NILI MYSTICI
EX PARADISO VOLUPTATIS,
SIVE VERBI DIVINI, SEPTEMPLICI
ALVEO DEFLUENTIS,

Et

Totidem Effusionibus Preciosi Sanguinis

D. N. JESU CHRISTI

SACRI

ALVEUS
TERTIUS,

Sive

TERTIUS ANNUS
Concionum in Dominicas
& Festa per Annum,

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO,
Fuldensi è Soc. Jesu.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

ANNO M. DC. LXIX.


NILI
MYSTICI
ALVEUS
tertius
SS. Sanguini JESU flagellati
Auctore R.P. PHILIPPO KISELIO è Societate IESU.






R.mus & PER.ill. DNS. D. FRANCISC⁹ CONRAD⁹ à STADION, ECCL. BAMB. HERB. EQUESTR. COMBURG. & COLL. AD S. GANGOLPH. RESP.tive PRÆPOSIT⁹ CUSTOS, SENIOR CAN. CAP. &c
Joan: Bey de Rull ad vivum pinxit
Anno 1669.
Jacob Sandrart sculp: Norimb:



REVERENDISSIMO
Et Perilluſtri DOMINO,
D. FRANCISCO CONRADO
à Stadion,

Eccleſiarum Imperialis Bambergenſis, Cathedralis Herbipolenſis, Equeſtris Comburgenſis, & Collegiatæ ad S. Gangolphi, juxta Bambergam reſpectivè Præpoſito, Cuſtodi, Seniori, Canonico Capitulari; nec non Eminentiſſimi Electoris Moguntini ad Ratiſponenſem Diætam Imperialem Legato Principali, ac Conſiliario intimo &c.

Domino meo perquam gratioſo.



ALveus Nili mei Myſtici tertius, Reverendiſſime Prænobilis ac Gratioſe Domine, diuturnioris impatiens moræ, ruptis, quibus hactenus tenebatur, repagulis, in Eccleſiæ Catho-

licæ agros totum ſe effundere geſtit; &, ut hoc majore cum fructu conſequatur, amicum votis omnibus SIDUS expoſcit, quod gratioſis virtutis nativæ radiis illum foveat, dilatet, fœcundet, itaque liberalius fluere, irrigare uberius, & fructuoſius faciat inundare: haud immemor quantum Alveus Primus à *Specioſi Fontis* affluxu ubertatis, & quantum ſecundus, in hoc vere ſecundus, ab Illuſtriſſimi ARIETIS influxu ſplendoris hauſerit & utilitatis. Neque operoſum fuit ejuſcemodi aſtrum reperire, quando te, Reverendiſſime Prænobilis & Gratioſe Domine, perilluſtre Sidus eſſe non unum comprobat argumentum. Sidus es ſublime, quod in honorum & dignitatum faſtigio collocatum orbi noſtro fulget conſpicuum. Sidus es pretioſum, quod admirabili virtutum variarum fulgore, animi celſitate, morum integritate, æquitatis ſtudio, Religionis orthodoxæ ardore quam inſtructiſſimum, ceu lucidiſſimis radiis oculorum noſtrorum acies non abſque congratulantis animi gaudio perſtringit. Sidus es coruſcum, quod omnigenis corporis & animi excultum dotibus, ingenii claritate, ſapientiæ lumine, judicii perſpicacia, conſiliorum profunditate nos attonitos in nominis ſui amorem reverentiamque ſuaviter compellit. Sidus es ſalutare, quod totum in publicæ rei commodum, pacis & tran-

& tranquillitatis incrementum, Principum concordiam, ſubditorum ſalutem & univerſi orbis Chriſtiani bonum multis jam annis lucet feliciter & ardet utiliter. *Sidus* denique es verè glorioſum; glorioſum ampliſſimo tuo & prænobili ſtemmati, quod acceſſione gloriæ tuæ radiare pulchrius & ſplendidius pergit inclareſcere: glorioſum Cathedralibus Bamberg. Herbipol. &c. Eccleſiis, quæ ſplendore hujus *ſideris* non minus lætantur quàm exornantur: glorioſum Eminentiſſimo Archiepiſcopo Moguntino, JOANNI PHILIPPO, S. R. Imperii Electori, qui hoc ſidere in ſtatus conſiliis, in publicis comitiis, cum nunquam intermoritura nominis ac famæ ſuæ gloria utitur fidenter, eoque negotia difficultate ardua, numero plurima, granditate ſumma aggreditur fortiter, urget conſtanter, exequitur laudabiliter. glorioſum poſtremo Eccleſiæ, Catholicæ & DEO ter optimo ter maximo, quibus ſic luces in terris, ut in cœlis tandem lucere merearis in omnes æternitates. Ita nimirum cum fœnore refundis acceptam à Majoribus tuis lucem, & generoſi ſanguinis Stadionæi non degenerem te probas hæredem. Sidera eaque perfecta & decora vos eſſe voluere Majores veſtri, aut quisquis Imperatorum, in rerum ab iis præclarè & fortiter contra Otto-

)( )(man-

mannicam Lunam gestarum testificationem, gentilitio vestro scuto ternas indidit lunas, pulchrè in ternario numero perfectionem, in Luna verò apte pulchritudinem exprimentes. Sidera vos ejuscemodi desiderarunt, quæ fortitudine, doctrina, prudentia, pietate radiarent, familiæ splendorem luminis proprii accessione cumularent, & ad partam Majorum suorum gloriam suam quoque copiose adjicerent. Si enim Lunæ sidus fortitudinis, doctrinæ, prudentiæ, pietatis, gloriæ incrementi est symbolum: Si masculam fortitudinem & excelsam animi magnitudinem Luna ex densis & atris nubibus emergente addito hoc lemmate: post TENEBRAS LUCEM, ingeniose Antiquitas expressit: Si virtutis pulchritudinem ejusque comitem felicitatem Luna Soli parallela hac cum inscriptione: SIMUL & SEMPER artificiose adumbravit: si doctrinæ & sapientiæ studium Luna pretioso redimita diademate, cui hæc epigraphe inarata erat, CUM PLENA EST, FIT ÆMULA SOLIS, scitè explicuit: Si Fortunarum & gloriæ incrementum tribus semilunis inter se complicatis, & cornubus hoc hemistichium respicientibus, DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM sapienter exposuit: consilio plus quam humano ducti sunt, qui tres Lunas in perpetuum ampliss-

plissimæ vestræ Familiæ symbolum statuerunt. Præsagiit enim vero illis animus quàm plurimos hac ex generosa stirpe Heroes catenata serie subnascituros, qui singulari fortitudinis, magnanimitatis, pietatis, felicitatis, doctrinæ & sapientiæ prærogativa insignes, ceu sidera perfecta & decora ad Imperii bonum, religionis incrementum, pacis tranquillitatem, in perennaturum prosapiæ suæ decus essent arsura. Nec vani in hoc fuere augures; quot enim & quàm multiplicia benè longam clarissimamque vestram Genealogiam exornant lumina? quæ non minus in generosi nobilissimique sanguinis hæreditatem, quàm in parem, si non majorem, per res à se præclarè gestas nominis successere celebritatem. Erectis in campo Martio trophæis Fortitudo & Scientia militaris celebrat Stadionæa belli fulmina, Heroes bellicis titulis & honoribus eminentes, quos secundi successus, frequentes hostium strages, crebræ victoriæ & hastiludia anno 1080. celebrata, vel maximè, illustres reddidere. Prudentia & Justitia suis in subsellиis & dicasteriis vestra scripsere nomina, velut quædam sapientiæ & æquitatis numina, quia vos amplissima elevati judicii dos Principum consiliis adlegit, & fœcunda profundorum consiliorum mens præfecit, ut quæ solers perspicacia invenisset sapienter, eadem

veſtra dexteritas fortiter & feliciter expediret. Inter quos eminet, magnus ille per Germaniam, Italiam, partesque tranſmarinas Magiſter, cujus in regendo prudentiam, in conciliis maturitatem; in bellis fortitudinem, in expediendis quibuſcunque arduis dexteritatem Illuſtriſſimus ordo B.Mariæ Virginis Teutonicus, & uterq́ue Ferdinandus, II. & III. S.R.I. Imperatores ſuſpexerunt; Suis in candelabris poſuere Cathedrales Eccleſiæ vos, ceu luminaria grandia, Præpoſitos, Decanos, imò Præſules & Epiſcopos, Auguſtana nimirum, celeberrimum illum Chriſtophorum, quem Imperatorum legationes, eruditionis fama, & religionis Orthodoxæ ſtudium, ſolidaque contra heterodoxam Lutheri hæreſin doctrina, orbi Germanico reddidit Venerabilem; ita ut merito Annales Anni 1517. in ejus commendationem laudesq́ue, pleno excurrant ſtylo, ut in illum, prout in Prædeceſſores ſuos fortuna nobilitatem, natura formam & majeſtatem, gratia ſuprema commendationis argumenta & omnem virtutis apparatum coegiſſe & liberali manu congeſſiſſe non immerito videatur. Hos inter Reverendiſſime Prænobilis & Gratioſe Domine, virtute tua & nominis celebritate, tu mihi radiare pulchrius, lucere clarius, ſplendeſcere videris amabilius. Trahit affectus omnium quovis magnete

gnete fortius illa tua excelſa mentis altitudo , tanta cum animi modeſtia conjuncta: rapit animos omnium ſuavis tua comitas & ſingularis qua polles majeſtas & humanitas : rapit in admirationē & æſtimationem inſignis illa prudentiæ tuæ & ſapientiæ lux conſiliorum grandium maturitate verè admirabilis, qua res æquè difficiles ac involutas planas explicataſque mira promptitudine & facilitate reddere conſueviſti. Patere ergò, Reverendiſſime Prænobilis & Gratioſe Domine, meum ad te trahi affectum, rapi animum & totum virtutibus tuis capi, quem meritis tuis jam pridem devinctum obſtrictumque tenes. Da hoc modeſtiæ tuæ & meæ temeritati, tribue hoc tuæ humanitati & meæ petitioni, hoc ſupplici confer beneficium, cui nil minus opinanti & immerenti gratiarum tuarum favores ſæpe ſæpius exhibuiſti, & fauſtiſſimum Alveo meo SIDUS exorere: effunde in illum gratioſos Lucis tuæ radios, explica ſuper illum Serenas benevolentiæ tuæ faces, tuo à ſplendore decorem, à claritate tua pulchritudinem, à copioſis virtutum tuarum influentiis capeſſat augmentum, tuiſque à Lunis auctus felici tandem curſu in Eccleſiæ Catholicæ agros ad majorem DEI Gloriam & plurimorum ſolatium remotis obicibus erumpat. Sitque , quoad perennabit, meæ in te gratitudinis & obſer-

obſervantiæ exile quidem, at perpetuum monumentum. Vive & vale diutiſſimè ſoſpes ad Imperii Romani utilitatem, Germaniæ honorem, Tuorum Ornamentum, bonorum ſalutem, omnium felicitatem. Ita vovet

Reverendiſſ. & Perilluſtris D. T.

Bambergæ d. 4. Martii
Anno 1669.

humillimus ſervus

Philippus Kiſelius
Soc. Jeſu.

Privi-

Privilegium Cæsareum,

Et potestas Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ superioris Societatis Jesu.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis Decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam ullos libros à nostris patribus hactenus editos, vel imposterum edendos intra S. R. Imperii Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis Hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere aut forma, sive in toto sive in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere & distrahere, clam vel palam audeat, vel præsumat; Concedo ego Nicolaus Lutz Societatis Iesu per Rheni superioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Patre Ioanne Paulo Oliva Ioanni Eliæ Höffling Bibliop. Bambergensi facultatem excudendi Nili Mystici Alveum Tertium, seu tertium Annum Concionum in Dominicas & festa, item Ignea Specula, ardenter Amantium Iesum Crucifixum, sive exhortationes per singulos menses anni ad Sodales Congregationis Christi in cruce agonizantis à R. P. Philippo Kiselio Societatis nostræ Sacerdote conscriptas. In cujus rei fidem hoc ei testimonium dari curavi. Hagenoæ 21. Octobris Anno 1668.

(L.S.)

Nicolaus Lutz.

Prædictus D. Joannes Höffling cessit jus suum prædicti Privilegii D. Joanni Arnoldo Cholino.


APPROBATIO

R.P. Præpositi Provincialis Provinciæ Rhenanæ Superioris.

EGo Nicolaus Lutz Societatis Jesu in Provincia Rhenana Superiore Præpositus Provincialis, Potestate ad id mihi facta à Patre Joanne Paulo Oliva Præposito Generali, Nili Mystici Alveum Tertium, sive Tertium Annum in Dominicas & festa, item Ignea Specula ardenter amantium Jesum Crucifixum, sive exhortationes per singulos menses anni, ad sodales Christi in Cruce Agonizantis à R.P. Philippo Kiselio Societatis nostræ Sacerdote conscripta, atque à Deputatis ad id Societatis ejusdem Theologis lectas & approbatas typis mandari permitto. In cujus rei fidem has literas manu propria subscripsi, consuetoque officii Sigillo munitas dedi. Hagenoæ 21. Octobris Anno 1668.

(L.S.)

Nicolaus Lutz
m.p.



INDEX THEMATUM.
In Dominicas ab Adventu usque ad Pentecosten.



INDEX THEMATUM
In Dominicas à Pentecoste usque ad Adventum.


INDEX THEMATUM.
In festa ab Adventu usque ad Pentecosten.



INDEX THEMATUM.

In festa à Pentecoste usque ad Adventum.

)(3 INDEX



INDEX RERUM.

A.

Primus numerus significat Concionem, Alter Paragraphum.

S. Bar-

con-

E.

)( )(Epu-

Jeju-

L.

Cur

)( )(3 Patien-

San-


T.

Tribu-

INDEX RERUM.

V.

FINIS.



CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.


Dicite filiæ Sion; Ecce Rex tuus, venit tibi mansuetus.

Matthæi 21. cap. v.5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. fuit potentissimus & mansuetissimus. Mansuetudine & amore, sibi subjugavit mundum, & iras divinæ Justitiæ placavit.

§. 1. *Ingens differentia inter Vetus & Novum Testamentum ostenditur ex c.19. Exodi.*


Ngens est differentia Vetus inter, & Novum Testamentum; per illud intelligimus omne illud tempus, quod fuit ab Adamo, usque ad adventum Christi Domini; hoc verò, quod fuit, est, & erit, à Christo Domino usque ad consummationem sæculi, vocamus Testamentum novum, sive Legem gratiæ. Differentia verò inde præsertim oritur, quod tempore legis naturæ, & legis scriptæ, Deus fuerit, *Deus terribilis, Dominus exercituum*; ab adventu verò Christi Domini, sive sub lege gratiæ, Deus fuit & est, bonus, suavis, benignus, misericors, mansuetus. Hunc discursum mei Exordii ex quibusdam locis sacræ scripturæ clarè intelligetis. Exodi 19. v.16. in monte Sinai à Deo datæ fuerunt Moysi tabulæ legis; *Et cæperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccina vehementius perstrepebat*: cum tanto strepitu, tantaque majestate Deus primâ vice tradidit Moysi tabulas legis; Scitis causam, ob quam Moyses iratus illas confregerit, ut necesse fuerit alterâ vice à Deo conscribi legem; quod contigit in silentio, sine ignibus, sine tonitruis, sine clangore tubarum. Hanc causam affert S. Augustinus; *Primâ vice solus Deus scripsit legem; altera vice Deus dictavit, & Moyses scripsit.* Itane? Deus solus? Deus infinitæ Majestatis? Deus terribilis, quid mirum quod audita fuerint tonitrua, quod micuerint fulgura, quod nubes operuerint montem! terribilis Deus erat in monte. Alterâ vice cum Deo, homo scripsit legem; in signum, quod sub alterâ lege gratiæ Deus esset futurus homo; quod venturus esset in hunc mundum, sine flammis, sine terroribus; Deus homo, Salvator suavis & mansuetus. Sanctus Augustinus in Exodum q.166. *Cum secundò lex datur, sine terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubis & tubarum, unde significatur, Timor esse in Veteri Testamento, in Novo Dilectio.*

§.2. *Et ex l. gen l. Reg c. 9. S. Luca.*

Advertite eandem differentiam ex libro Genesis, & libris Regum; Peccata Sodomæ clamârunt in cœlum, & Deus pluit ignes super impias urbes; peccant filii Aaronis & devorantur ab igne; ut & milites, qui Eliæ violentas voluerunt inferre

ferre manus. Fuit tum quasi igneus Deus, quia necdum homo; Luc.9. v.54. dicunt discipuli Christo Domino, *vis ut jubeamus ignem descendere de cælo super ingratos Samaritanos*, sed ipse respondit, v.55. *Nescitis cujus spiritus sitis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, erat enim Deus & homo, proinde suavis & mansuetus. Tertullianus l.4. adv. Marcionem: *Qui Sodomam & Gomorrham igneo nimbo exussit; cui cantatum est, ignis ante ipsum præcedet, & cremabit inimicos ejus. Discipulos ne ignem postularent, coercet.* In Veteri Testamento timor, in Novo Dilectio.

§. 3. *Ex differentia inter sanguinem Abelis & Christi Domini.*

Ob eandem causam, (ut ex S.Paulo ex cap.12. vers.24. ad Hebr. eandem differentiam proponam,) habemus, *Testamenti novi mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel*; ideo melius & clarius, ait S. Anselmus *quia sanguis Abel, mortem parricidæ fratris petiit; sanguis autem Christi, vitam persecutoribus impetravit. Sanguis Abel petiit vindictam, sanguis Christi misericordiam.* Causa est; Deus factus homo, fuit & est Rex mansuetissimus. Quod Christi Domini elogium dum hâc Concione paulò fusius expono, vos more vestro diligenter advertite.

§. 4. *Qualitates eximii Regis ex sacris literis, quæ omnes in excellenti gradu sunt in Christo Domino.*

Summo jure Christus Salvator noster dicitur, *Rex Regum, Dominus dominantium*, cœli, terræ, Angelorum, hominum, dæmonum, verbo omnium Creaturarum Dominus & Imperator. & qualis Rex? respondet Regius psaltes ps.23.v.10. *Dominus virtutum. ipse est Rex gloriæ*, ps.46. v.3. *Rex magnus super omnem terram* ps.75. v.13. *terribilis apud reges terræ.* ps.88. vers.9. *excelsus præ regibus terræ.* In tali rege requiritur potentia. Christus est rex potentissimus. Exigitur sapientia, est rex sapientissimus. Exigitur misericordia, providentia, liberalitas, mansuetudo, affabilitas, justitia; Christus est rex amantissimus, misericordissimus, liberalissimus, mansuetissimus. De potentia ipse ait Matth.28.v.3. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra.* De sapientia S.Paulus ad Coloss.2. (*In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi.* De misericordia David, *Misericordia super omnia opera ejus. Misericordia Domini plena*

est terra. Ps.32.v.5.) de providentiâ ait Judith cap.9.v.5. *Omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia constituisti.* Justitiam deprædicant omnes psalmi; liberalitatem innumera beneficia; Mansuetudinem hodiernum Evangelium, *Rex tunc venit tibi mansuetus. Gloria magnificentia nostri regis elevata est* Ps.8. v.2. & quod præcipuum est, *regni ejus non erit finis.* Ps.144. v.13. *Regnum hoc regnum omnium sæculorum.* De latitudine regni ait Ps.2. v.8. *dabo tibi possessionem tuam terminos terræ.* Ps.71. v.8. *dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* De multitudine famulorum Daniel c.7.v.10. *millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei.* D.Cyrillus Alex.l.12. in Joan. advertit titulum regium, qui Cruci, dum Filius Dei in illâ penderet, fuit affixus, non sine mysterio triplici linguâ, latinâ, hebræâ, & græcâ fuisse scriptum; *divinitus enim omnium gentium regnum Christo attributum esse significavit. Vt omnes populorum tribus & linguæ ei serviant.* Theophylactus, *hoc symbolum fuit, quod potentissimi gentium, quales Romani, & Sapientissimi, quales Græci, & religiosissimi, quales Hebræi regno Christi subjiciendi essent.*

§.5. Sapientissimum colloquium septuaginta interpretum de regiis virtutibus.

Referunt fide digni Auctores, inter Septuaginta Sacræ Scripturæ Interpretes, quos Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti Alexandriam evocaverat; ut divinæ legis libros ex hebraico transferrent in textum græcum, sapientissimum aliquando ad regiam mensam institutum fuisse Colloquium, quænam potissimùm virtutes & dotes requirantur in aliquo Rege, vel Principe. Quæstionem hanc ipse Rex Ptolomæus proposuit. Primus ordine respondit: *Hoc maximè modo regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia, ac longanimitate uteris.* Rex enim, debet esse mansuetus, patiens, & longanimis. Tertius regi dixit, *eris Rex gloriosissimus, si alii intelligant, te multa meditari, in populorum commodum; si illis vitæ alimenta atque alia cuncta opportunis temporibus tribueris.* Talis Rex vel Princeps amatur, qui sollicitus est, ne subditis desit panis. Undecimus respondit; *Sic est, ô Ptolomæe, Rex eris famosissimus, si erga populum tuum te beneficum, beni-*

benignumque præbueris. Vigesimus quartus dixit, *si benignitate & gratia excellens erga alios, atq; magnificus extiteris.* Sexagesimus sextus, *si bonis affeceris subditos tuos.* Quinquagesimus primus hanc Ptolomæo regulam præscripsit; *Revolve animo, ut Deus deleat superbos; mansuetos verò & humiles extollat; ut & tu ames animi demissionem.* Quinquagesimus tertius interrogatus, quid Regi sit maximè necessarium, respondit, *subditorum amor & dilectio, per hoc namque insolubile vinculum benevolentiæ texitur.* Subdidit quinquagesimus quintus, *si præterea Iustitiam ducem sequaris.* Quinquagesimi noni hæc fuit sapientissima maxima; *assidua tua cura & meditatio sit, ne quid committatur in plebem à rerum præpositis.* Sexagesimi octavi denique monitum fuit: *Excellentes super alios Reges gloriam obtinebis, si quæ ad emendandos hominum mores faciunt, perquiras.* Ecce regias virtutes! mansuetudinem, patientiam, curam & dilectionem subditorum, liberalitatem, clementiam, sanctitatem, justitiam, humilitatem!

§. 6. *Solus Christus D. est talis rex, & quibus titulis.*

Ite & quærite talem Regem in terris; huic deerit patientia, illi liberalitas, alteri humilitas; alios aliis commaculatos esse nævis comperiemus. Vivat Rex Regum Christus Dominus! Ecce hic venit mansuetus; hic venit in totius mundi salutem & commodum. Hic venit! totus beneficus & liberalis! Beneficiorum, quæ in nos contulit, magnitudinem & multitudinem comprehendere nemo potest. Ut ante dixi, est Rex potentissimus, sapientissimus, ditissimus, est totus suavis, totus mansuetus. Talis Rex est, titulo unionis hypostaticæ, propter quàm in unâ persona Christi Domini natura humana unita est divinæ, vi cujus Christus est Deus homo, Deo homini debetur dominium cœli & terræ. Talis Rex est Christus Dominus jure Redemptionis; dum enim homines suo sanguine redemit, omnes suæ potestati subjecit, & consequenter omnes Creaturas, quæ propter hominem creatæ sunt. Talis Rex est Christus Dominus titulo hæreditatis â Patre Cœlesti ipsi promissæ, Ps.2.v.8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Talis Rex est suo merito; *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad Crucem,*

propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen ad Philippenſ.2.v.7. Regnum Chriſti ideò ab Iſaia vocatur *Principatus:* in hebraico eſt Miſſir ſara, hoc eſt, ex ſpinâ Imperium. De tam excellentibus titulis regiæ Majeſtatis ex animo gratulamur Chriſto Domino, Regi noſtro; gaudemus verè & exultamus, quod tantus rex ad nos veniat in hunc mundum, ſuavis, miſericors, & manſuetus.

§.7. *In Chriſto Domino Majeſtas & manſuetudo admirabili modo fuerunt conjuncta.*

Pulcrè S.Bernardus ſer.3. in vigilia Nativitatis. *Nihil Deo ſublimius! nihil vilius limo! nihilominus divina ſapientia, tam amabili, quàm admirabili modo illa conjunxit.* Pari ratione dicamus, Nihil ſublimius Rege noſtro Chriſto! immenſa eſt ejus Majeſtas! infinitæ divitiæ! poteſtas divina! nihil amabilius formoſo puerulo! nihil manſuetius; mirabili tamen modo & ſuavi, in Chriſto Domino hæc duo conjuncta ſunt; Majeſtas & manſuetudo! Rex eſt, ſed totus manſuetus! Et quæ major fuit cauſa tanti myſterii, niſi ut Pater mittendo Filium, & Filius veniendo in hunc mundum, nobis oſtenderent ſuam dilectionem; ſive ut Apoſtolus loquitur, *propter nimiam charitatem qua dilexit nos:* & ut poſſemus comprehendere & ſcire (ad Epheſ.3.v.4.) *quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum ſupereminentis charitatis.* S.Aug.l.1. de Tr. *Hoc opus fuit maximi amoris expreſſivum;* ſed de hoc alibi. Alteram nunc Concionis partem aggredior.

§.8. *Ut Reges amentur à ſubditis, debent eſſe manſueti.*

Verùm quare Rex hic venit in hunc mundum tam manſuetus, tam humilis, ſine regio apparatu? huic quæſtioni ſatisfaciam hoc altero Concionis puncto. l.8. c.3. refert Joſephus Judæus ſeniores populi ſuaſiſſe regi Roboam, ut comiter populum alloqueretur, & poſito aliquantiſper faſtu regio, ad captandam multitudinis gratiam ſe accommodaret; hâc enim arte captos facilè illum amaturos: quod naturâ ita comparatum eſt, ut ſubjecti delectentur regibus manſuetis, & de ſuo faſtigio ſe nonnihil demittentibus. Quid dicam de ſalvatore meo, Auditores? quid? an non omnes optimi Regis partes abundè explevit? dicam ego, cum Doctore gentium, *Anathema ſit quiſquis non diligit Ieſum Chriſtum* Regem, tam manſuetum, benignum,

gnum, amabilem! Et quid non obsecro fecit, ut attraheret ad se corda hominum? ponderentur ejus sermones suavissimi, Matth.11. v.28. *Venite ad me omnes qui laboratis.* Considerentur labores, curæ, studia: inspiciantur virtutes, nil nisi amorem ac benevolentiam spirantes. Texit omninò Majestatem suam velo humilitatis, & potentiæ suæ gloriam, veste Humanitatis, ne illa fortè terrorem homini incuteret, sed mansuetudinis lenitate omnes ad se traheret.

In principio Creavit Deus Cælum & terram Gen.1. v.1. Cœlos David vocat tubas & linguas, ut *enarrent gloriam Dei* Ps.18. v.1. alii illos vocant specula, in quibus intuemur Majestatem Dei. Dici possunt rotæ currus divinæ magnificentiæ, Job.40. 26. ait, quod Deus extenderit *Cælum sicut pellem.* vel ut hebraicus textus legit, tu explicas Cœlos sicut cortinas. His cortinis Deus quasi texit & obduxit suam Majestatem. Cœli sunt papiliones sub quibus Deus latet; causam advertit S. Basilius. *Eam ob rem pro sua eximia humanitate Deus velum propria divinitatis obduxit, videlicet cælum, ne occideremus.* Nec existimes velim ista mea esse, sunt verba prophetæ, sic enim ait Isaias cap. 64.v.3. *Si aperueris velum, tremor qui à te proficiscitur, invadet etiam ipsos montes, & resolventur à seipsis, & contabescent.* Idem fecit Salvator noster, dum in hunc mundum venit, Majestatem suam in virginali thalamo virgineis texit velis. Theodorus orat. de Christi Nativitate. *Propterea non venit cum imperiali fastigio, nec obsequium deduxit Angelorum, non movit Archangelorum exercitus, sed venit omnium Dominus in tenui forma, paupertate circumamictus, ut venationem non effugaret.* Theodotus. *Adjungit se fugitivo; servus enim ad ipsum venire non poterat: accedit ad servum non majestate herili, non Angelorum satellitia præmittens, non igneos globos vibrans, non elementa concutiens* (ut Deus dans legem in monte) *sed quo fugitivum capiat, blandè accedit.* Jacet in Virgineo matris utero Leo de tribu Juda, sed fortitudinem suam contegit velo Humanitatis. O nobile velum! Sacrosancta Jesu Christi Humanitas! Tu ad te attrahis curiosos mortalium oculos, tu animos tibi devincis, tu regiam Dei Majesta-

§. 9. Deus infinitam suam majestatem tegit Cœlis veluti cortinis, Christus Dominus sanctissima Humanitate.

jeſtatem, futuram alias terribilem, reddis amabilem, ſuavem, jucundam!

§ 10. *Declaratur ſimili, manſuetudine trahi homines.*

Manſuetudine rapiuntur, & capiuntur corda hominum. quod S. Ephrem hoc ſimili declarat. *Si quis domi columbam foveat, eademque forte feneſtram apertam inveniat, & ex domo avolet, non virga, vel lapide, eam revocare conatur; Sed ſparſis leguminum granis, prudenterque ſtudet allicere & recipere.* Adamum veluti columbam in paradiſo collocaverat Deus, cum præcepto ne evolaret in arborem ſcientiæ boni & mali, ſed quia legem non obſervavit, è loco voluptatis fuit ejecta, itaque Filius Dei ex infinitâ miſericordiâ, de cœlis deſcendit in hunc mundum, ad reducendum genus humanum, atque ut ad ſe pertraheret filios Adæ: proinde venit non cum virgâ & lapidibus; ſed totus ſuavis, benignus, & manſuetus, ut etiam ſua carne & ſanguine nos paſcat. Auceps ut capiat aviculam, mutat habitum, cantillat ſuaviter; idem facit Chriſtus Dominus, ut cor hominis rapiat, & ad ſe trahat.

§. 11. *Quare Chriſtus Dominus comparetur pluviæ & agno?*

David prævidens futurum dominium Meſſiæ ait Pſal. 71. v. 8. *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à fluminibus uſque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* Ille ſcilicet, qui in hodierno Evangelio Jeroſolymam ingreſſus eſt, inſidens aſinæ, totam commovet urbem, & poſt ſe trahit; iſti pauperi & manſueto accinunt, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Et quibus armis ſibi mundum ſubjugavit? reſpondet David citato Pſ. v. 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*, id eſt, in virginali utero aſſumet naturam humanam; ſive, fiet homo, fiet parvulus mitis, ſuavis, & manſuetus: manſuetudo ſibi ſubjugat corda hominum. Ut benè dixerit Iſaias c. 16. v. 1. *Emitte agnum tuum Domine, dominatorem terræ.* An non melius dixiſſet, emitte leonem; cum leo rugit, trepidant montes; cum balat agnus, quis timet? In ſenſu morali & leo & agnus ſunt fortiſſima animalia; leo fortitudine, agnus manſuetudine: Chriſtus Dominus & leo fuit & agnus; leo, erga ſuos hoſtes, leo morti, leo diabolo & peccato: erga ſuos ſubditos eſt manſuetiſſimus agnus, & dominatur à mari uſque ad mare.

Cap. 1.

Cap.1. Judith.v.1. dicitur de Rege Arphaxado, *subjugaverat multas gentes imperio suo.* Hugo Card. legit; *Conciliavit*, quod verbum indicat benevolentiam & spontaneam subjectionem; bruta serviunt sub jugo, camo, & virgâ ab auriga coguntur ire quo vult: homo liber & ingenuus benevolentiâ trahendus est, non violenter cogendus: tunc homo subjugatur, cum conciliatur; sive benevola conciliatio, subjugatio est. S. Greg. Naz. orat. 1. *Præfectus non per vim coerceat, sed persuasione alliciat: nam quod necessitate extorquetur, præterquam quod tyrannicum est, & improbandum, ne firmum quidem & stabile est; quidquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa, atque distincta, simul ut dimittitur è manibus, rursus ad se redire consuevit.* Sollicita prorsus mater est Ecclesia; omnibus modis conatur extorquere pœnitentiam; verberibus, morbis, minis. Ut aliquot septimanis ante Christi Domini Nativitatem nostros animos sibi conciliet, suaviter agit; dum memores nos reddit suavissimi mysterii, in quo Filius Dei in utero Virginis factus est parvulus; ut suavissimus & mitissimus pusio sua mansuetudine corda nostra ad se trahat. *Ecce venit tibi mansuetus.*

§. II. Mansuetus conciliat sibi hominum animos.

Illo deinde tempore quo tribus ultimis vitæ annis cum hominibus, & præcipuè publicanis atque peccatoribus fuit conversatus Christus Dominus, non fuit agrestis & rigidus, sed jucundus atque affabilis, ut amore omnium potiretur. S. Laurentius Novariensis, hom. de pœnit. *Vt hac societate, quasi arte, omnes converteret ad salutem.* S. Cyrillus. 2. in Joannem. c. 97. *Vt misericordiam suam omnibus praberet.* B. Abb. Magnus, *ut omnibus esset gaudium.* S. Thomas. *Conveniens fuit ut familiariter cum hominibus conversaretur, ut omnibus fiduciam daret ad se accedendi.* Super verba illa S. Matthæi c. 9. v. 10. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis ejus*: ait S. Hieronymus. *Videbant publicanum à peccatis ad meliora conversum locum invenisse pænitentiæ, & ob id etiam ipsi non desperant salutem.* Cajet. *Benignus Iesus etiam Samaritanis se non negavit.* Joannis. 1. v. 37. *stetit Iesus, & cla-*

§. III. Quàm mansuetus fuerit Christus Dominus, dum conversaretur in terris.

& clamavit dicens, si quis sitit, veniat ad me & bibat. Ponderate, *si quis*! ait Cajet. *Nemo excipitur, sed cuilibet sitienti spirituale bonum monstratur fons, monstratur iter ad fontem.* Venite Auditores, & ego vobis ostendam suavissimum & salutiferum illum fontem: notissimum est, ut Beata Virgo per hunc sacrum Adventum, ob novem menses, quibus Filium Dei in utero gestavit, appelletur Hortus voluptatis, vel Locus Voluptatis, aut amœnus hortus; fons hujus horti, cum salientibus aquis in vitam æternam, est Christus Dominus Salvator noster; imò præsens nobis est, realiter in sanctissimo sacramento Eucharistiæ; jucundus & affabilis, ut amore nostro potiatur: ut suavissimâ suâ societate, veluti arte, nos convertat ad salutem: ut omnibus præbeat suam misericordiam, *Ecce*, ideo *Rex tuus venit tibi tam mansuetus*.

§. 14. *Fabula de amore, vincente omnes Deos.*

Fingunt Poëtæ Deos aliquando indixisse bellum hominibus; apprehenderunt itaque singuli arma sua, Jupiter fulmen, Mars ensem, Neptunus tridentem, Hercules clavam, Vulcanus malleum, Pallas hastam; ex alterâ parte pro hominibus stat solus amor, in formâ juvenis tam speciosi, tam humani & amabilis, ut mox Dii amore ejus rapti, positâ irâ, arma quoque posuerint. Et ecce ad pedes formosissimi pueri, suum abjicit fulmen Jupiter, amor triumphat! Mars suas deponit clypeos, scuta, gladios: Amor vincit! Neptunus suum cedit tridentem: Amor illum extorquet è manibus! Hercules, & ipse suam demittit clavam: fortior urget amor! Vulcanus, incudem cum malleo consecrat: Amor sollicitat! Pallas defigit in terrâ hastam puerulo sacram: Amori cedunt omnia. Omnia vincit amor! Fabulas agnosco: sed hoc certum est; fulmina, enses, flammas, & æternos ignes minabatur mundo divina justitia; quamprimum verò vidit amorem, sive filium Dei in carne; parvulum in utero virginis, posuit iras, vicit amor & mansuetudo. *Amor* (inquit S. Bernardus ser. 24. in Cant.) *dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax! & quid violentius mansuetudine? non tantum ut homines sibi subjuget, & conciliet, sed ut etiam de Deo triumphat!* Ecce ideò Rex noster mansuetus venit in terras.

Itaque

Itaque Auditores, amplectamur ejus dilectionem (monet nos S. Bernardus) ne magnus Deus sine causa factus sit parvus homo; ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus! Nam teste Ruperto in Genesin.) *Adventus Filii Dei, sicut est electis in multitudinem misericordiæ, sic reprobis est in abundantiam iræ atque vindictæ.* (ut post octiduum audiemus in Evangelio de extremo die judicii.) Si magnitudinem beneficii agnoscimus, dicamus ex corde cum S. Augustino ex c.14. l. medit. *Gratias agimus tibi clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum cum perditi essemus culpa nostra, mirabiliter liberasti nos.* Gratias agimus pietati tuæ, & multas tibi laudes referimus ex totis præcordiis nostris, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, quâ nos miseros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, misisti eundem unigenitum tuum, de sinu tuo salvare nos peccatores, tunc filios perditionis. Gratias tibi agimus pro tua mira & inenarrabili charitate, quâ nos indignos sic amasti, & salvasti per unicum, & dilectum Filium tuum. Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, per fidem rectam, & condigna fidei opera. §. 15. *Aureum monitum S. Bernardi & S. Augustini.*

S. Augustinus in med. c.17. *Quantum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicandus, honorandus, laudandus, glorificandus, qui nos sic amasti, sic salvasti!* *Liceat mihi sanctissime* Præsul ex animi mei sententiâ, huic tuo Problemati respondere (finienda enim jam est Concio, sed non nisi cum debito amoris mei affectu) *quantum à nobis miseris es timendus, quantum amandus?* In promptu est responsum. *Timendus, ut Iudex es, amandus ut Salvator.* Timendus, ut Rex; amandus ut pater. Quantùm benedicendus! mille laudum cumulis, mille affectibus, amoribus mille, mille cordibus. Tu, tu inquam, mi Jesu, qui nos sic amasti, sic salvasti. Accipe amantium vota, admitte cordium nostrorum affectus, ne despice laudes tibi debitas. Dum vivimus, dum morimur, nil linguæ nostræ, nil corda, nil §. 16. *Epilogus ex eodem S. Augustino.*

 oculi,

oculi, nil affectus animi, nisi te unum ac solum mitissimum, Regem ac patrem nostrum loquentur, cogitabunt, suspicient, anhelabunt.



CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Erunt signa in sole & luna, & stellis.

Luc. 21. cap. Vers. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. ut Agnus, & mansuetissimus Rex amandus est: ut leo & severus Judex timendus est.

§. 1. *Quatuor signa in sole; Obscuratio, Statio, percussio, retrocessio.*

§. 2. *Aureum monitum B. Patrum est, ut præveniamus diem Iudicii.*

§. 3. *Vt eundem timeamus.*

§. 4. *Iesum! quem ob pulcritudinem amamus: eundem ob judiciariam potestatem debemus timere.*

§. 5. *Exemplo Ninivitarum; qui timuerunt & sperarunt.*

§. 6. *Deus, vel Christus D. duos habet pedes, alterum Iustitiæ, Misericordiæ alterum: cum Maria Magdalena, utrumq; debemus amplecti.*

§. 7. *Bonitas Dei, vel Christi D. non debet esse incentivum peccati.*

§. 8. *Ecclesia incutiendo terrorem, se opponit malitiæ & astutiæ Dæmonis.*

§. 9. *Christus D. ut Agnus amandus est, ut Dominator timendus.*

§. 10. *David ita fuit recordatus Misericordiæ, ut non fuerit oblitus Iustitiæ.*

§. 11. *Quàm periculosum sit, recumbere in sola Dei misericordia.*

§. 12. *Quare S. Chrysostomus hæc verba; Deus misericors est, vocet frigida verba.*

§. 13.

§.13. *Leo Armenus Imperator, in amplexu crucis fuit trucidatus.*

§.14. *Elegans symbolum Caroli V. Imperatoris.*

SUper citata verba, *Erunt signa in sole*, pulchrè dixit Albertus Magnus, *Quæ futura sint illa signa in sole, non placuit Christo Domino determinare; nisi velimus accipere ex præteritis.* Tunc enim quatuor signa erunt in sole, quæ jam in præterito legimus accidisse: quæ sunt, Obscuratio, Statio, Percussio, Retrocessio. De obscuratione ait c.6. apoc. v.12. *Sol factus est niger quasi saccus cilicinus.* Idem contigit in Passione Christi. Stetit Sol, cum hoc illi imperavit Josue. De tertio signo ait c.8.v.12. Apoc. *Percussa est tertia pars solis, tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum.* Ezechias denique obtinuit, ut sol fuerit retrogressus. Ita fortassis in die Judicii errabit Sol, stabit, ascendet, descendet, obscurabitur, ut ostendat se timere, tremere, trepidare ob iram judicis venientis ad judicium. Et quomodo trepidabunt impii, audituri sententiam æternæ damnationis! S.Hier. in Jer. *Iram Dei, muta sentient & pertimescent Elementa. Quomodo sentient impii?* Isaias. c.13.v.13. *super hoc, cœlum turbabitur*, quæ verba S.Hieronymus sic explicat, *Cœlum erit triste, terra movebitur, elementa quoque iram creatoris agnoscent.* Quomodo turbabuntur damnandi ad inferos. Juxta Ezechielem c.32. v.7. *Operiet cælos, & nigrescere faciet stellas ejus: solem nube teget, luna non dabit splendorem suum, omnia luminaria cœli mærere faciet*; Quæ inter damnandos erit mœstitia? Cum Christus Dominus penderet in cruce, sol materialis, quasi non valens sustinere injuriam Domini sui, factus est niger sicut saccus cilicinus, luna tota facta est sicut sanguis; tam graviter enim, & crudeliter Domino omnium creaturarum injuriato in cruce, sol extasin passus est per tres horas. Addit Auctor operis imperfecti; *aut super opera impiorum indignantes, aut novissimam in eis Dei iracundiam demonstrantes, ut adhuc viventibus impiis super terram jam gustus detur infernalium tenebrarum.* Aliæ phrases sanctorum Patrum sic habent; Erubescet luna, confundetur Sol; Sol apparebit teter, sed! præcipitabiturne

§.1. *Quatuor signa Solis, obscuratio, Statio, Percussio, Retrocessio*

turne sol in infernum, ut ibi ardeat? Non! quare erubescit? quare timet? quare obscuratur? diceturne fortasſis, terribilis sententia super lunam & stellas? Minimè! & cur trepidant? cur patiuntur extasin? soli, lunæ, stellis, elementis, omnibus creaturis terrorem incutiet ultima ira venturi Judicis; quis terror, quis metus erit in illis, quibus dicetur illud Matth.25.v.41. *Discedite maledicti in ignem æternum*; & momento à dæmonibus rapientur in tartara! Et cur iterum in adventu mater nostra Ecclesia nos terret hodierno Evangelio? Puto S.Gregorium advertisse causam, dum piè queritur super c.27.S.Matth. *Hunc, quem omnia insensibilia elementa Dominum senserunt, adhuc infidelium Iudæorum* (& pertinacium peccatorum) *corda, Deum esse minimè cognoscunt, & duriora saxis, scindi ad pœnitentiam nolunt.* Itaque hodiernum Evangelium dispositio & ad agendam pœnitentiam, quam post octiduum prædicabit S.Joannes Baptista. Conabor hac Concione aliqua proponere, quæ cor etiam durissimi peccatoris concutere possint:

§.1. *Aureum monitum SS.Patrum est, ut præveniamus diem Iudicii.*

Benè nos monet S.Augustinus in c.13. S.Matthæi; *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in isto die quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Proinde, qui de æternâ salute solliciti sunt, semper & quotidie mortem habent præ oculis, judicium meditantur, & utrumque; mortem suam & judicium, præordinant pro viribus. Quos laudat S.Bernardus ser.5. in vig. Nat.Domini. *Iis prodest Christi mors, & Passio, qui mortem propriam prævenientes, & prævidentes, ad illam præparantur, ne inopinatos intercipiat mors.* Et nos hoc sacro tempore adventus, ad festum Nativitatis Christi, salubrius nos disponere non possumus, quàm si prævideamus, & præveniamus diem Judicii. Illum diem terribilem, modò timere debemus, ut tum non timeamus. S.Augustinus l.3. *Cessat vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat Deus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare.* Mirabilis fuit modus, quo Nathan Davidem perduxit ad pœnitentiam; causam advertit, S.Irenæus l.4. c.45. *Vt ipse dans sententiam, de semetipso & semetipsum judicans mise-*

misericordiam consequeretur, & remissionem. S. Paulinus epist. 10. *Ninivitæ meruerunt denuntiatum evadere excidium, quia se spontaneis luctibus cruciando divinam sententiam prævenerunt.* Hoc faciemus, si vivamus in continuo timore extremi judicii.

Habemus sane causas longè justissimas. S. Thomas. *Quantò enim Iudex justior & fortior est, tantò magis timendum est. Illum timere, sapiens consilium est, quo nullum melius homo peccator reperire potest.* S. Hieron. *Erige aures peccator! misericors est Dominus! sed noli esse negligens; sequitur enim, & Iustus.* S. Augustinus. *Potestatem ejus timete; misericordiam ejus amate; nec sic de misericordia ejus præsumatis, ut potestatem contemnatis; nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis.* Mel est misericordia ejus infinita; est enim ei proprium, misereri semper & parcere: mel est sermo ejus, suavitate conditus cœlesti; est enim sub linguâ sponsi, mel & lac, teste sponsa, cant. 5. v. 1. & teste regio Psalte, Ps. 44. v. 3. *diffusa est gratia in labiis ejus.* Melleum est pectus ejus, & cor dulcissimum, siquidem artifex ejus est melleus Spiritus Sanctus, spiritus amoris, spiritus suavitatis. Mellea sunt quinque ejus benedicta Vulnera, sunt enim quinque velut alvearia; sunt quinque melleæ amoris officinæ. Nolite tamen ideò omnem exuere timorem; nolite nimium fidere; nam quæ mellea est, est & aculeata apicula; amorem simul gerit & dolorem; diligere novit & lædere, favos circumfert & aculeos. Timete impii, altè nimis in vestras medullas infiget furoris sui aculeos Jesus Judex vester. Tertull. l. 2. contra Marcionem. *Deus* (dicere idem possumus de Christo Domino) *Patrem se exhibet & Dominum, Patrem clementia! Dominum disciplina; Patrem potestate blanda, Dominum severa; Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessario. Diligendum, quia mavult misericordiam, & ut peccator vivat, quàm moriatur. Diligendum, quia vult ut peccator convertatur: timendum, quia tandem tremendus est judex.* §. 3. *Et ut timeamus.*

Cum Act. 1. cap. v. 11. Christus Dominus gloriosè ascendisset in Cœlos, & Apostoli attoniti persisterent in loco, oculos elevantes in altum, duo apparuerunt Angeli dicentes, *Hic Iesus qui* § 4. *Iesum quæ ob pulchritudinem amamus.*

eundem ob judiciariam potestatem timere debemus.

qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Ruperti Abbatis observatio super hæc verba est peculiaris, dum ait. l. 1. de timore c. 8. *Hæc prænuntiatio est plena timoris, tanquam vox tubæ, grande & terribile bellum nuntiantis. Grande & dulce gaudium intuentium, quia talis elevatus est* (sua virtute, in tantâ gloriâ.) *Sed & grandis timor, ac tremor exspectantium, quia talis & sic veniet, ad judicandum vivos & mortuos:* sic est auditores, benefacimus amando Christum Dominum, laudabilis est nostra in illum spes & fiducia; non reprehendo, quod mel quæramus apud dulcissimum Jesum; præsertim per adventum. Sed mater nostra Ecclesia hodie nobis proponit terribile Evangelium de judicio; Hic Jesus judicabit! ut timeamus!

§ 5. Exemplo Ninivitarum, qui timuerunt, & speraverunt.

Cum spe, fiduciâ, & amore erga Christum Dominum debet misceri timor; *Vt Ninivitis* (S. Zeno ser. de Jona) *nuntiatus fuit interitus, crediderunt & timuerunt & quanto sciverunt Dominum non esse mendacem, tanto propensius de ejus pietate præsumpserunt.* Laudo omnes illos, qui de Christo Domino sentiunt in bonitate, quod dulcis sit & misericors! sed creditisne quod hic idem sit olim venturus, judicaturus mundum? timete! non timebitis sine fructu; de quo ait Isaias c. 26. v. 17. *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis.* S. Thomas legit. *Pœnitentiæ salutaris.* Hanc intendit mater Ecclesia, ut itaque sanctè timidos nos reddat; proponit signa illa terribilia! quæ ante adventum Judicis, erunt in sole, lunâ, & stellis.

§ 6. Deus vel Christus Dominus duos habet pedes, Justitiæ & Misericordiæ, utramque cum Magdalena amplecti debemus.

Clarè sacer textus Luc. 7. insinuat; Sanctam Magdalenam, non unum tantum pedem Domini rigasse suis lacrymis, sed utrumque; ait enim, *cœpit rigare pedes ejus, & osculabatur pedes ejus. Stans retro secus pedes.* Non sine magno mysterio, quod S. Bern. ser. 6. in Cant. advertit. *Pedes Dei,* (vel Christi Domini) *alterum Iustitiam, alterum Misericordiam nominemus. Merito beneplacitum est Domino, super timentes eum; & in eis, qui sperant super misericordia ejus. Curato, ut neutro frauderis illorum. Alioquin alterum sine altero osculari, non expedit: quia & recordatio solius judicii, in barathrum desperationis præcipitat; & misericordiæ fallax*

fallax assentatio, pessimam generat securitatem. Ante octiduum duxi vos ad osculum pedis dexteri, mansuetissimi Regis; dum ostendi, quàm dulcis, & longanimis sit Dominus noster. Spero vos concepisse peculiarem amorem erga Christum Dominum. Hodie vos ducere cupio ad alterum pedem; date pedi Justitiæ demississimum osculum, & timete! hic idem Jesus veniet ut judicet mundum. Timete! justus est!

Exodi 32. cap. Moyses urgenti populo, ut à Domino impetraret veniam gravissimi peccati, idololatriæ, respondit, v. 30. *Ascendam ad Dominum si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Alii vertunt. *Si fortè expiationem obtineam pro peccato vestro.* Cajet. *Si fortè faciam condonare peccatum vestrum.* Sic Ninivitæ dixerunt, *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus* Abiit Moyses, & in monte, ardentissimâ illâ oratione, *aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti*; placavit Dominum, & obtinuit veniam; redux tamen ad populum de monte, noluit hoc illi indicare, *ne incentivum peccati fieret postmodum veniæ facilitas.* Hæc fuit intentio Ecclesiæ antè octiduum; proposui nobis adventum Regis mansuetissimi, quem facillimè possumus placare, sed ne illa mansuetudo, illa bonitas nostri Salvatoris nobis sit occasio peccandi liberius: Hic Jesus, qui jam nos invisit in specie amantissimi sponsi, reviset olim in formâ severissimi Judicis. Non tum iterum equitabit in asina, non sibi olivæ, non palmæ ramos præferri tum sinet, non tum locum habebit illud amabile acroama, *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Matth. 21. v. 5. Veniet! sed ut Judex! veniet! sed ut Paterfamilias, famulorum suorum operas atque labores inspecturus. Veniet! sed ut Rex, rationem initurus cum subditis. Veniet! sed ut belli Dux, duobus asseclis, irâ & justitia comitatus. Quo tum te vertes peccator infelix? quid ages? quid senties! si iratum aspicias vultum judicis tui, Patris tui, Regis tui, Imperatoris tui? age nunc, ita spera de Dei clementia, ut non sis immemor Justitiæ.

§. 7. Bonitas Dei, vel Christi Domini non debet esse incentivum peccati.

In hoc sollicita mater Ecclesia se opponit malitiæ, & astutiæ Diaboli; nam (S. Fulgentius ep. 7. ad Venant.) *plerumque pecca-*

§. 8. Ecclesia, incutiendo

timorem, se opponit astutia Sathana.

peccatores, sub spe indulgentiæ, in peccatis tentat; & compellit eos Dei justitiam non metuere, & suadet, de Dei bonitate gaudere. S. Gregorius Magnus. *Plerumque hostis callidus, mentem, quam peccato supplantat, cum de ruina sua afflictam videt, respicit, securitatis pestiferæ blanditiis seducit.* Subdit deinde. *Admonendi sunt, qui peccata lugent, ut de misericordia Dei, quam postulant, præsumant, ne vi immoderatæ afflictionis intereant.* Rursumque admonendi sunt, ut sic de spe fiduciam habeant, ne tamen incautâ securitate torpescant: Esau Gen. 25. v. 32. abiit, parvi pendens, quod primogenita vendidisset, *quia putabat* (ait Pererius) *patrem suum, tale ejus promissum irritum facturum, & sperabat nunquam, se fratri suo cessurum jura primogenituræ.* Hanc aliqui concipiunt opinionem de Christo Domino; non permissurum ut cœlum non obtineant illi, pro quibus mortuus est; hanc opinionem fovet & nutrit diabolus, ut decipiat. Sed in hodierno Evangelio se opponit Ecclesia, dum proponit terribilem adventum Judicii, ut timeamus; hoc agite auditores; amate Christum Dominum ut benignissimum Redemptorem; sed timete eundem, ut severum Judicem. Sol obscurabitur, luna non dabit splendorem suum, stellæ cohorrescentes suâ discedent statione, delabentur in terras; elementa suis convulsa sedibus dissolventur. Cœlum ipsum, terribili rerum omnium conturbatarum facie perterritum contremiscet; & tum aderit hic Jesus, hic Rex! tremendus Judex!

§. 9. Christus Dominus, ut agnus amandus est; ut Dominator timendus.

Ex v. 1. cap. 16. Isaiæ, *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ.* Ostendi ante octiduum, Christum sua mansuetudine subjugasse sibi mundum; Card. Jacobus de Vitriaco aliam causam advertit, ob quam Isaias Messiam vocat agnum & Dominum sive leonem; *Agnum vocat, ne desperemus; Dominatorem, ne præsumamus. Agnus est Christus Dominus Salvator noster* (S. Joannes Chrysost. hom. 29. in Gen.) *ut qui in peccatis est, non desperet, nullus qui in profundum ipsum malitiæ descendit, salutis suæ spem abjiciat, sed ineffabilem Dei cogitet misericordiam.* Sed hic agnus, hic idem Jesus, etiam leo est, ne quis sit præsumptuosus, sed anxius & sollicitus. Considerans misericordiam, ne despera

ſpera; gaude & ama benignisſimum agnum. Sed cogitans Juſtitiam, & diem judicii, time: hic quivis cum Guilhelmo I. Rege Angliæ dicat; *ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro.*

§ 10. *David ita fuit recordatus Misericordiæ, ut non fuerit oblitus Iuſtitiæ.*

Omnes ſciunt; quoties Regius Pſaltes in pſalmis ſeſe conſoletur, recordatione divinæ bonitatis & miſericordiæ; ſed juſtitiæ non fuit immemor, imò Pſ.70. v.17. *Introibo in potentias Domini? Domine memorabor juſtitia tuæ ſolius.* Hugo Card. *Iuſtitiæ: qua ambitioſo Lucifero non pepercit: qua Adamum de Paradiſo ejecit: qua pro parva delectatione, tot myriades hominum æterno deputat incendio.* *Itaque* (ut ait S.Greg. l.33.mor.c.10.) *nemo ſic juſtitiam timeat, ut nulla ſpei conſolatione convaleſcat: neque ita confidat de miſericordia, ut adhibere vulneribus ſuis digna pœnitentiæ negligat medicinam.* *Sed: quem præſumit ſibi parcere* (quem amat ut agnum) *ſemper etiam cogitet, & diſtrictè iudicare.* Cogitet ſimul eſſe leonem, ſive fore aliquando terribilem Judicem. Sed ſic timendus eſt, ut benè monet S.Proſper, *ut ad ipſum confugiatur, hoc hodie intendit* Eccleſia; erunt ſigna, time, & dum tempus eſt fuge ad Chriſtum. Utrumque agite, amate, ſperate, & timete.

§ 11. *Quàm periculoſum ſit, recumbere in ſolâ Dei miſericordia.*

S.Hildebertus ep.15. *In miſericordia Dei ſperare ſaluberrimum eſt conſilium, ſed de ea totum pendere, periculoſum eſt refugium:* de quo queritur Job.cap.24.v.23. *Dedit ei Dominus ſpatium pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* In hebraico. *Et ille recumbit ſuper miſericordia Dei.* S.Hieronymus. *Infelix propterea Iſrael, & dignus maledictione perpetua, qui in tantum impietatis deſcendit profundum, ut ſolius Dei velit ſalvari miſericordia.* Timeo ne hæ querelæ proferri posſint, contra illos ſectarios, qui juſtificationem hominis, & ſalutem adſcribunt ſoli Chriſto Domino.

§.12. *Quare S. Chryſoſt. hæc verba, Deus miſericors eſt, vocat frigida verba.*

Pulcherrimum diſcurſum, ſi legere vultis, invenietis in S. Joanne Chryſoſt. hom.23. in acta. *Fratres mei dilectiſſimi, clamo, exalto vocem meam, quaſi tubam, moriemur: hoc certum eſt; quando? hoc incertiſſimum.* Pari modo hodie nos terret Eccleſia; Erunt ſigna, ſed, quid eſt hoc? dum ego de his ago; aliqui ex vobis di-

bis dicunt, at Deus misericors est! &, quamdiu frigidum hoc & ridiculum verbum dicemus; & hoc dicite, Justus est Dominus. *Misericors est, ut ametis! justus Iudex est, ut eundem timeatis.* S. Aug. ser. 102. de temp. *Fratres cum ingenti tremore consideremus; de sexcentis millibus duo tantum terram promissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum misericordem esse volunt, ut justum esse non credant vel non metuant.*

§. 13. *Leo Armenus Imperator, in amplexu crucis fuit trucidatus.*

Leo Armenus Imperator, teste Cedreno, juratus inimicus crucis Christi, cum se vidit cinctum gladiis hostium, cerneretque mortem præ oculis, pavidus confugit ad erectam crucem, arctè eam complectens, sperans fore; ut ad hanc aram refugii sibi parcerent hostes, & vitam condonarent; sed statim scelestum hominem inter amplexus crucis innumeris plagis affectum confecerunt. O peccatores, modo dum tempus est gratiæ, per seriam pœnitentiam confugite ad Christum crucifixum, modo agnus est. Cum hoc signum apparebit in extremo die Judicii, cum in judicio tuo particulari hoc idem signum oculis tuis obversabitur, cum jam exigetur ratio, tum velle pœnitere, tum confugere ad vulnera Salvatoris, cùm mors instat, cùm sonat tuba Judicii, cum ultimæ fluunt arenæ fatalis clepsydræ; actum erit; tum Iudex terribilis erit leo, tum tuum pectus patebit fatali telo fulminatricis sententiæ, *Discede maledicte!* In conspectu crucis damnaberis ad inferos. Hic Jesus, qui fuit agnus, erit leo, & Dominator Dominus, cujus potestati nemo poterit resistere.

§. 14. *Elegans symbolum Caroli V. Imperatoris.*

Ex variis symbolis Caroli V. Augustissimi è Domo Austriaca Imperatoris, pro præsenti materia hoc mihi placet; pingi jussit Aquilam, dextera fulmen, sinistra ramum Olivæ præferentem, cum hac epigraphe, *suum cuique*! Loco aquilæ pingite crucem; dexteræ alligate agnum cum ramo Olivæ; sinistræ leonem cum fulmine; talis apparebit Filius hominis in tremendâ illâ horâ. Electis erit agnus! impiis terribilis leo! O Leo de tribu Juda; O Jesu, Judex meus! O amor meus, Deus meus! ut amem te, mille mihi stimulos addidisti; sed non minus, ut timeam. Timeo, timeo, tuam mi Jesu majestatem! timeo Iusti-

Iustitiam; tu confixisti timore tuo carnes meas. Vale immunde munde; timor Judicis mei, suadet tibi nuntium remittere. Valete impuræ deliciæ, valete amantissimi mei sodales, Jesum timeo, judicem meum timeo, diem illum extremum Judicii timeo.



CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Matth. cap. 11. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de ingenti pœnitentiæ efficacia, & variis quas in anima pœnitente operatur mutationibus.

§. 1. *Diu ante minatur Deus antequam puniat, ut habeamus spatium cogitandi de pœnitentia.*

§. 2. *Quodvis peccatum remitti potest per pœnitentiam.*

§. 3. *Quo sensu dicatur, quod Deus obliviscatur peccatorum.*

§. 4. *Ubi & quando debeamus abscondere peccata, ut Deus illorum non recordetur.*

§. 5. *Varia eximia elogia Pœnitentiæ.*

§. 6. *Digressio ad præparationem necessariam, pro Nativitate Christi.*

§. 7. *Pœnitentia fortes habet humeros: portare potest quosvis peccatores.*

§. 8. *In hoc præsertim apparet efficacia pœnitentiæ, quod peccatorem totum immutet, v. g. Magdalenam.*

§. 9. *Idem patet in Davide.*

§. 10. *Tragica historia, ex Thoma Cantipratano.*

§. 11. *Mutatio, quæ fit per pœnitentiam, declaratur similibus.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Gaudium Henrici Susonis, de conversione alicujus peccatricis.*

§.14. *Pœnitentia delet tenacissima peccata.*

§.15. *Pœnitentia, regno & honori restituit Nabuchodonosorem.*

§. 1. *Diu ante minatur Deus, antequam puniat, ut habeamus spatium cogitandi de pœnitentia.*

ANte dies octo, Dominica secunda Adventus, terribilibus signis, quæ præcedent Adventum judicis, & aliis circumstantiis, quæ diem judicii facient terribilem, conatus sum impiis salutarem incutere timorem Domini, ut à peccatis desistant; timeo ne fortassis aliqui cogitent, abiere tot dies, & sol necdum est obscuratus; lucet adhuc ut ante; non vidimus adhuc lunam sanguineam, multis minus stellas decidentes de cœlo; longanimis est Dominus; fulgurat, tonat, sed non tam cito ferit & percutit; sic est: tam bonus est Deus: tardat venire, etiam de sæculo in sæculum, sed causam advertite, cum S. Ioanne Chrysost. super cap. 25. in lib. reg. in quo narratur Ierosolymam aliquot annis fuisse obsessam à Rege Nabuchodonosore, & ait, *Nunquid statim Deus à prima die urbem poterat tradere, & facere hostibus subditam? sed propterea interim trium annorum tempus conteri permisit, & ipsos obsidione premi gravissima, ut & militum timore, & fame premente castigati, cogitarent, aliquod peccato remedium fieri.* Amos c. 1. v. 14. populo minatus fuit terribilem terræ motum, biennio antequam contigit: *quia enim Deus libentius emendare, quàm punire eos voluisset, per interposita temporum spatia vindictam distulit, ut de emendatione cogitaret populus; Et fit, pompa terroris; ne molem ipsam terroris incipiant experiri.* Ita, licet & hodie terreantur impii; tamen vindictam differt Deus, ut cogitemus de pœnitentiâ. Quam rem nobis utilem simus facturi, si agamus pœnitentiam, intelligetis, cum hac Concione aliqua de ejus efficacia, & mirabilibus effectis proposuero.

§. 2. *Quodvis peccatum remitti potest per pœnitentiam.*

Angelicus Doctor Sanctus Thomas 3. q. 86. art. 8. doctè ut solet, hanc quæstionem exponit; An per veram pœnitentiam, cujusvis etiam gravissimi peccati venia & remissio obtineri possit! Respondet affirmativè, si de tempore, quo peccator adhuc vivit in hoc mundo, sit quæstio: toto enim illo tempore homo est Dominus liberi sui arbitrii, quo, adjuvante Dei gratia, quæ nunquam deest, se determinare potest, ut detestetur

ma-

malum, ut recedat à creatura, & convertat ſe ad creatorem. Diabolis & damnatis, quia obfirmati ſunt in malo, & quia in æternum non valent dolere de peccatis, nulla pœnitentia erit ſalutaris; ſicut nec illis, qui ſubinde in hoc mundo ita ſunt obſtinati in malo, ut non velint pœnitere. Ex ſuppoſitione verò, quod, quantumvis enormis peccator, ſerio agat pœnitentiam, pro tali credimus Remiſſionem peccatorum, in ſymbolo fidei noſtræ; contraria aliquorum hæreſis huic articulo, ait ſanctus Doctor, *repugnat divinæ miſericordiæ: vinceretur enim quodammodo Deus ab homine; ſi homo vellet peccatum deleri, quod Deus delere non vellet.* Confirmat deinde, ſanctus Doctor ſuam ſententiam. decantatiſſima promiſſione Ezechielis c.8.v.21. *ſi impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Tanta fuit iniquitas Ninivitarum, ut intra 40. dies minatus illis fuerit per Jonam ultimum urbis excidium, ſed mox, ſuam ipſorum damnationis ſententiam reſciderunt; jejuniis ſcilicet, & orationibus, addit cauſam S. Ephrem ſer. de pœn. Ninivit. *Vt quantum pœnitentia valeret demonſtraretur. Nam ſententiam Dei iſta immutavit, atque diſſolvit.*

§. 3. *Quo ſenſu dicatur, quod Deus obliviſcatur peccatorum.*

Poteſt fieri, ut nonnulli ſit aliquis ſcrupulus, quomodo de Deo dici poſſit, quod obliviſcatur, vel non recordetur iniquitatum; ſed puto ſcrupulo ſatisfeciſſe Hugonis Card. gloſſam in citatum locum Ezechielis. *Non recordabitur ſcilicet ad puniendum; quia pœnitens peccator meminit ad dolendum, confitendum, ſatisfaciendum. Quia cum homo punit, Deus parcit; cum homo meminit, Deus oblivioni tradit: cum homo aperit, Deus tegit.* S. Thomas. *Dicitur Deus obliviſci peccata eorum, qui vere pœnitent, quia non damnabit eos.* Ut demonſtretur, quantum valeat pœnitentia. Nemo itaque ex me quærat, an his paucis diebus, qui adhuc reſidui ſunt ante diem Nativitatis, omnes peccatores poſſint obtinere veniam peccatorum, ut in conſpectu Jeſuli appareant mundi; neque enim aliud cum S. Joanne Baptiſta reſponſurus ſum, Matth. 3. v. 2. quàm, *pœnitentiam agite*; cogitate peccata veſtra, de iis ingemiſcite, dolete, confitemini; accedite

ſacrum

ſacrum pœnitentiæ tribunal: ſedet in eo Vicarius Chriſti; aperite animi veſtri maculas, effundite coram Domino corda veſtra; nullam, quæ gravior eſt, peccati labem ſilentio involvite; inducet omnem maculam veſtram non atramento, ſed ſanguine ſuo Jeſus; non recordabitur ſcelerum, teget turpitudines veſtras univerſas, manibus ſuis ſanguineis.

§ 4. *Ubi & quomodo debeamus abſcondere peccata, ut Deus illorum non recordetur.*

Sanctus Bernardus piiſſimam mihi ſuggerit præparationem pro inſtanti feſto Nativitatis, dum in eadem verba Ezechielis, *Dominus non recordabitur omnium iniquitatum*, ait, de gratia & libero arbitrio. *Non quod omnino non peccaverint*, (hoc eſt impoſſibile; ſed ut quoad culpam macula deleatur, aboleatur, & quoad pœnam, ad puniendum) *non imputetur: quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate abſconditur.* Duplicem poſſumus intelligere charitatem, & illam, quâ peccator per actus veri doloris ob amorem Dei & Chriſti Domini ex toto corde dolet ſe ſummum bonum offendiſſe, & illam, quâ Chriſtus Dominus tales pœnitentes complectitur. O pœnitentes animæ! velletiſne libenter agere pœnitentiam, libenter confiteri? ſed retinet vos pudor; prohibet id verecundia; venite oſtendam vobis locum, ubi ſcelera veſtra poſſitis abſcondere, oſtendam locum ubi ſtatim tegantur; Crucifixum accedite; ecce foſſas charitatis! En vulnera Salvatoris! hic abſcondite hoc facitis, dum detegitis Confeſſario, qui ſedet loco Chriſti Domini, qui ejuſdem poteſtate lavat vos in ſanguine agni; ſi hoc fiat, quæcunque occurrant peccata, remittentur quoad pœnam, & quoad culpam: tales animæ ſuper nivem dealbantur. Advertitiſne quam à vobis exigam pœnitentiam, pro præparatione ad feſtum Nativitatis? ſeriam ex corde contrito Confeſſionem: hujus tanta eſt vis & efficacia, ut mereatur remiſſionem omnium peccatorum.

§. 5. *Varia eximia elogia Pœnitentiæ.*

Agnovit S. Thomas de Villa Nova, cum exclamavit in ſer. Dom. 4. quadrag. *O eximia pœnitentiæ virtus! O forte lixivium, quod omnes peccatorum maculas tam facilè diluit! O unctio ſalutaris, quæ lepram animæ tam ſuaviter ſanat! O theriaca potentiſſima, quæ omne virus cordis extinguit!* Pœnitentia eſt ſalutaris illa piſcina,

ſcina, plena aquis vitæ, in quibus ſi laventur paralytici, hydropici, &c. ſtatim convaleſcunt. Pœnitentia eſt fragrantisſimum illud unguentum nardi piſtici precioſi, quo Magdalena turpisſimam mephitim ſuorum ſcelerum momento disſipavit: Pœnitentia! eſt mirabilis illa virga Moyſis, quâ aperire poſſumus mare rubrum ſanguinis Chriſti, ut in illo ſubmergamus omnia peccata noſtra. Pœnitentia, eſt ſapientisſima Domina Thecuis l. 2. Reg. 14. v. 24. hæc fuit mediatrix inter Davidem & Abſolonem; hæc filio parentem reconciliavit: pœnitentia noſtra eſt mediatrix, inter Deum, Chriſtum Dominum, & peccatores. Pœnitentia filios prodigos reducit ad patrem miſericordiarum. Ex tot eximiis elogiis pœnitentiæ ſic diſcurro.

§ 6. *Digreſſio ad praparationem neceſſariam pro Nativitate Christi.*

In cordibus, quæ contaminata ſunt fœdisſimis turpisſimorum ſcelerum maculis, in his inquam cordibus non naſcetur Jeſulus! ite, quærite lixivium; pœnitentiam agite. In animis leproſis NN. non naſcetur Jeſulus! ite, quærite ſalutarem unctionem pœnitentiæ; fit illa præſertim, cum ſacerdos ait; *abſolvo te*; tum enim anima talis inungitur oleo ſanguinis Chriſti, & ſanatur omnis lepra: In cordibus, in quibus latet venenum alicujus odii, in his non naſcetur Jeſulus; ite, quærite fortisſimam theriacam pœnitentiæ; per hanc prius omne virus debet extingui. Jeſulus non intrabit illas animas, quæ graviter olent ante faciem Domini: opus prius eſt balſamo pœnitentiæ. Hydropici, paralytici, claudi non cogitent de adventu Jeſuli, niſi prius laventur in piſcina pœnitentiæ. Verbo, pœnitentia nos prius debet reconciliare Salvatori noſtro, antequam ille nos admittat ad amantisſimum ſuum conſpectum.

§. 7. *Pœnitentia fortes habet humeros. Portare poteſt graviſſimos peccatores.*

Ideo pius ille Religioſus, deſperabundum peccatorem valde fuit conſolatus his verbis; *forti animo eſto, nec de ſalute vacilles; validos habet pœnitentia vera lacertos; ipſa Majeſtati violentiam infert, vincit invincibilem, mutat incommutabilem.* Omnes ſimul peccatores, qui hactenus ſalvati ſunt, & ſalvabuntur uſque ad diem judicii, repræſentat mihi illa ovicula, Joan. 10. v. 20. cum quâ pingi ſolet Paſtor bonus quam fert in ſuis humeris. Omnes hæ oviculæ cum cruce fuerunt impoſitæ humeris

Christi, cum bajulavit crucem suam in monte Calvariæ; ferre tantum pondus non potuisset, nisi divinos habuisset lacertos; Vicaria Christi Domini est pœnitentia! Pœnitentiam agite peccatores; hæc & vos deportabit in cœlos.

§. 8. *In hoc præsertim patet efficacia veræ pœnitentiæ, quod peccatorem totum immutet; v.g. Magdalenam.*

In hoc præterea apparet magna vis & efficacia veræ pœnitentiæ, quod peccatorem planè immutet. Hic quoque paragraphus suggeret mihi pulchrum discursum de necessariâ præparatione ad festum Nativitatis. O mi Jesu concede mihi hanc gratiam, ut peccatorum aliquorum corda tibi præparem, pro grato diversorio. Per pœnitentiam id poterit fieri. Magdalena saucia telo pœnitentiæ cerva, currit ad dulcissimos pedes Jesu Salvatoris, ibique prostrata potentissimos duos elicuit affectus, amoris & doloris: doloris, de peccato! amoris, erga Deum suum. Scandalizatur Pharisæus Simon, Luc. 7. Quod Christus Dominus hanc fœminam à se non rejiceret; & aperit causam Scandali, dum ait, v. 39. *quia peccatrix est.* Primâ fronte putare quis possit, Simonem benè fuisse questum, fuisse rem importunam, talem fœminam non vocatam irruere in locum talis convivii. Sed ait Christus Dominus ad Simonem deciperis Simon; fœmina, quam cernis, non est amplius illa quæ fuit; erras, non est amplius peccatrix; licet fuerit vaga, sensualis, superba; dum afflicta ad pedes meos gemit, dum plorat; non amplius dici debet peccatrix, vides hanc mulierem? Id est (sic explicat Dion. Carthus.) aspicere & considerare debes, merito personam, & facta hæc ejus. Unde & Christus notanter ait, vides hanc mulierem, quasi dicat, attende fœminam istam valde notabilem; cujus gesta hæc sunt consideratione dignissima. Viden' ejus oculos? fuerunt vagabundi, petulantes, impudici; jam per pœnitentiam conversi sunt in fontes lacrymarum! Viden' ejus comas? fuerunt funiculi vanitatis; pœnitentia commutavit illas in catenas castissimi amoris! Viden' ejus os & labia, de quibus veluti ex cloaca profluxere verba immunda? his labiis, hac linguâ, quia pœnitens est, lambit & osculatur pedes sui Salvatoris. Balsamo, quo usa fuit ad vanitatem, eosdem ungit, ut tota tua domus spiret suavissimum odorem.

Itaque

Itaque Simon, muta mentem tuam, Magdalena non eſt amplius peccatrix, ſed mulier omni laude digniſſima. O peccatrices animæ! quæritis fortaſſis ex me, ſi quæ cura ſalutis veſtræ hoc ſacro tempore vos tangit; quomodo præparare vos debeatis ad feſtum Nativitatis Chriſti? pœnitentiam agite; per pœnitentiam mores & vitam veſtram mutate. O mi Jeſu, veni! Ecce hæc peccatrix, hæc anima immunda, non eſt amplius talis; en ut jam deplorat laſcivos adoleſcentiæ luxus, en ut cum Magdalena laxat habenas lacrymis, ut tundit reum pectus, ut omnibus membris animi ſui pœnitudinem conteſtatur! Veni mi Jeſule! ecce hæ anima ſuperba, non eſt amplius talis; vide, ut ſui humiliandi undique captat occaſionem; vides ut ſe infra omnes deprimat, vides, ut vix reos audeat oculos in cœlum attollere. Veni mi Jeſule, ecce hæc anima peccatrix tot annos immorata odiis, rixis, diſcordiis, jam non eſt amplius talis: manſueta eſt, pacifica eſt, ſpirat amorem, beneficia, benevolentiam! Sed alio jam me vocat egregia Davidis virtus.

Miror non rarò verba, quibus David Rex à Deo tam eximiè fuit laudatus, *Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum & faciet omnes voluntates meas*. Act. 13. v. 22. hæccinè cum veritate de Davide dici potuerunt; qui uxorem concupivit alienam? qui incidit in adulterium? qui occidit Uriam? Sanctus Juſtinus M. q. 78. ad Orth. hanc quæſtionem ſic proponit, *ſi Deus Davidem eſſe virum ſecundum cor ſuum affirmavit, quomodo poſtea idem propheta, & adulterium & cædem commiſit*. Reſpondet. *At enim per pœnitentiam David delicta ſua correxit, ac proinde uti cor Dei inventus eſt*. Pœnitentia immutavit omnia; cor regium Davidis, elutum lacrymis doloris, factum eſt novum, mundum, principale: quod S. Petrus Dam. confirmat. ſer. 56. *Grandia vulnera ſic reſtrinxit, ut non ſolum vulneris, ſed nec cicatricis veſtigia remanerent. Translatum eſt & ablatum peccatum, quod dividebat inter Deum & David*. Sublato peccato David fuit idem qui prius. O efficaciam pœnitentiæ! O ſuperbi,! vultis parvulum Jeſulum ſuſcipere in cor humile? pœnitentiam agite. Fuiſtis aliquando filii Dei pacifici, ſecundum cor veſtri

§ 9. *Idem patet in Davide.*

Salvatoris; per iram, per odium incidiſtis in gravia peccata; ſi pacificum filium Dei iterum exſpectatis, eſſe debetis, qui prius fuiſtis: itaque pœnitentiam agite, hæc grandia vulnera ſic reſtringet. &c.

§. 10. *Tragica hiſtoria ex Thoma Cantipratano.*

Rem Tragicam narrat Thomas Cantiprat. l. 2. apum. cap. 30. de adultero, cujus facies in pœnam, cum à commiſſo adulterio domum rediret, mutata fuit in monſtroſam faciem alicujus turpiſſimi diaboli, cum horrore & clamore totius familiæ: cum pœnitentia ductus manè ad ſuburbanum ſacellum vellet exire ad confitendum peccata ſua, ipſa animalia, & paſtores territi à tali monſtro aufugerunt; aufugiſſet quoque ſacerdos, quem quærebat, niſi intellexiſſet quis eſſet; & *ubi miles cum mira contritione, & lacrymis eſt confeſſus, continuo larvalis illa confuſio deterſa eſt, & propriam faciem cum integritate recepit.* O ſi videremus, quibus larvis induti ſubinde peccatores ingrediantur ſedem confeſſionalem! bufones! viperæ! hirci! ſed ea eſt vis Pœnitentiæ, ubi cum verâ contritione ſua odia, ſuas libidines, ſua ſcelera confitentur; cum abſolvuntur, continuò omnis larvalis confuſio detergitur! utinam Angeli de Cœlis, his feſtis Natalitiis; utinam Parvulus de Bethleem, de præſepio, cum gaudio ſpectet talia ſpectacula!

§. 11. *Mutatio quæ fit per pœnitentiam, declaratur ſimili.*

Immutationem, quæ per pœnitentiam fit in anima peccatoris, alio elogio, & ſimul pulchro ſimili declarat Sanctus Ephrem Syrus hom. de pœnit. *Pœnitentia, ſalutis eſt arbor, propterea quod multos in peccatis mortuos reſuſcitavit; inſeritur in ipſa omnis cœleſtis conditio, ac ſtatus, quia Divinitatis eſt conſors.* Arbores malæ, arbores Sylveſtres ſunt peccatores, in tali arbore Caro plantat ſurculos luxuriæ; in alio ramo Mundus inoculat ramum avaritiæ, his arboribus minatur Chriſtus Dominus radicem, & ignes ſempiternos. Pœnitentia verò, eſt ſapientiſſima hortulana: tales arbores ſcit radicitus evellere; imò mortuas, per mortem peccati, reſuſcitat ad vitam gratiæ. Surculos vitiorum commutat in ramos virtutum; redditque nos iterum conſortes Divinitatis.

§. 12. *Proſecutio.*

Idem Sanctus Ephrem deinde per alia ſimilia, immutationem

nem de quâ agit, fusius sic exponit; *seipsum, ex ferro, aurum facit, qui verè pœnitentiam agit, rursusque ex ligno petram; & quando legitimè resipuerit, se ipsum ex mortuis excitat, & è tenebris lux efficitur: In cordibus aureis, in cordibus gemmeis, in cordibus vivis, in cordibus lucidis, inter radios gratiæ, inter flammas Sancti amoris vult nasci Parvulus de Bethleem*; O peccatores agite igitur poenitentiam, ut hæc ex ferro in aurum vos convertat. *Pœnitentia Petrum propriæ dignitati restituit, sua negatione collapsum: Pœnitentia Saulum Apostolum creavit; quoniam ipsum persecutorem, ut Christi servus fieret, compunxit. O artificiosam pœnitentiæ gratiam! Excitavit urbes Pœnitentia, & gentes concidentes erexit, unicoque impetu Niniven civitatem permagnam restauravit!* S. Ambr. ser. 30. in verba illa Prov. 30. v. 20. *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit & tergit os suum, dicit, non sum operata mala.* Sic loqui solent adulteræ, quæ immersæ profundo malitiæ contemnunt scelera sua. Sed S. Ambrosius advertit, adulteram verè poenitentem sanissimo sensu hæc eadem dicere posse; *hæc enim est virtus Christi Domini, ut quivis peccator, qui eius unda se laverit, denuo in virginitatem* (vel integritatem) *reparatus, non meminit, ante quod fecerit, & rediviva nativitate* (instar Phoenicis) *infantiæ innocentiam præferat; juventutis scelera non agnoscat, sitque virgo fidei Christi, qui fuerat adulter corruptionis peccati.*

Sanctus Henricus Suso, cum magnam peccatricem convertisset; illi scripsit affectuosissimas literas, ex quibus hæc paucula excerpsi; soror amantissima, ex tua conversione sentio jubilum, quod explicare non possum: affectuosissimo affectu ago gratias Coeli Reginæ, quæ radiis suæ misericordiæ tuas tenebras, in quibus vivebas, illuminavit & dissipavit; O Cygni coelestis paradisi gaudete & cantate mecum! annuntio vobis gaudium magnũ! in terris conversa est magna peccatrix. Filia mortis, resuscitata est ad vitam! Vas corruptionis, factum est, vas electionis! hortus plenus spinis, conversus est in rosetum! Stella eclipsata recepit splendorem suum! Carbo niger factus est igneus! Æthiopissa, super nivem est dealbata! Quæ abiit post

§. 13. Gaudium Henrici Susonis de conversæ magna peccatrice.

 vestigia

vestigia hircorum; rediit, & cum dilecto suo pascitur inter lilia. Advertitis haud dubiè miram vim pœnitentiæ; miram ejus virtutem atque efficaciam. Sic est Auditores, ejus dextera operatur has mutationes. hæc à morte fœtentem jam animam resuscitat ad vitam; hæc ex vase corruptionis, vas facit æternæ gloriæ; hæc spinas transmutat in rosas, lolia in lilia, vepres in virtutes: hæc fugat tenebras, reducit lucem, stellis suum restituit splendorem, hæc carbones nigros convertit in ignem lucidissimum. Et cur non pœnitentiam amplectimur? cur ad eam non illico confugimus?

§. 14. *Pœnitentia delet tenacissima peccata.*

Super verba illa Isaiæ cap. 1. v. 18. *si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*; ait Lyranus; nominat hos duos colores *coccini*, & *vermiculi, qui sunt valde tenaces & mansivi*; ex instinctu scilicet Spiritus Sancti Pœnitentiam nihilominus tantæ esse efficaciæ, tam esse forte lixivium, ut & illas eluat maculas tenacissimas.

§. 15. *Pœnitentia suo honori restituit Nabuchodonosorem.*

Nabuchodonosor Rex ejectus è regiâ, septem annis cum bestiis vixit, in squalore, fame, & siti. Et post septennium levavit oculos in cœlum, pœnitentiam egit, & ait, Dan. cap. 4. v. 33. *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem, decoremque regni mei perveni.* D. Cyrillus Hier. Catech. 2. *Cum devenit ad eorum, quæ patraverat, pœnitentiam, ac infirmitatem suam agnovit, tunc restituit illi Deus regni honorem.* Huic accedit egregium S. Bonaventuræ dictum 3. p. stim. Div. amoris cap. 17. *Ego fœdissimus fimus, & abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa clementia Dei mei, tabernaculum ejus; & qui sum plenus sanie & fœtore, ero sanctum Dei templum, sapientiæ sedes, & habitaculum Spiritus Sancti.* O Auditores ô si, quemadmodum ad Nabuchodonosorem olim, ita ad nos noster quoque sensus reverteretur! ô si ex brutis multi iterum transformarentur in homines! ô si ex fœtidissimo scelerum fimeto, corda nostra transirent denuo in tabernaculum Dei! Jesu, pœnitet tuam offendisse clementiam, agnosco infirmitatem meam, agnosco ingratitudinem, agnosco infelicem vitæ meæ statum, restitui cupio in

pio in numerum hominum, imò in numerum filiorum tuorum, volo cor meum reparari habitaculum Spiritus Sancti, tu pœnitentem ne despice, tu qui dedisti velle placere tibi, da & posse; decretum est, sincera meraque exomologesi conscientiæ meæ sordes eluere, decretum est cum Magdalenâ lacrymis atque suspiriis indulgere, decretum est in pœnitentiâ vivere & mori; tu modò pœnitentem ne despice, Jesu, Jesu!

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Vox clamantis in deserto.

Luc. 3. cap. Vers. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de digno fructu poenitentiæ, qui est, firma & stabilis emendatio vitæ. Ostendit præterea, in quàm periculoso statu vivant, quàm irritent iram & vindictam Dei, qui poenitentiam facile abjiciunt, & redeunt ad priora scelera.

§. 1. *Vera pœnitentia, est fons veræ latitiæ.*

§. 2. *Pœnitentia suavis est, licet multi non agnoscant. Propositio Concionis.*

§. 3. *Pœnitentia Pharaonis gravem habuit defectum, ideo punitus fuit à Deo.*

§. 4. *Ninivitæ per veram pœnitentiam obtinuerunt veniam, recidivi in priora scelera, puniti sunt.*

§. 5. *Modus, quo tandem excisa fuit, urbs Ninive.*

§. 6. *Quid sit abjicere pœnitentiam. Quo sensu reviviscant peccata semel dimissa.*

§. 7. *Testimonia aliqua B. PP. de gravitate recidivæ.*

§. 8. *Tales pœnitentes imitantur Saulem, qui psallentem David voluit lancea confodere.*

§. 9. *Sunt canes revertentes ad vomitum, & sues. &c.*

§. 10.

§.10. *Super tales pœnitentes Deus tandem effundit iram suam.*

§.11. *Sunt inimici mentientes Domino: quid sit tempus eorum fore in sæcula.*

§.12. *Tragicum exemplum divinæ vindictæ.*

§.13. *Seria adhortatio, ne cum magno periculo, post actam pœnitentiam, iterum peccemus.*

§.1. *Vera Pœnitentia, est fons veræ lætitiæ.*

ANgelicus Doctor S. Thomas in Ps. 6. poenit. hoc advertit. *Omnes psalmi pœnitentiales incipiunt à luctu, & terminantur in lætitiam.* Qui frequenter & devotè illos recitant, affirmabunt id verissimum esse. Addit Ang. Doctor hanc causam. *Quia per planctum pœnitentiæ, pervenitur ad regnum cælorum: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: Matth. 5. v. 5. quod in se ipso regius psaltes expertus fuit, unde ait Ps. 29. v. 12. *Convertisti planctum meum, in gaudium mihi.* Ps. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* De quo gaudio S. Basilius in Ps. 29. ait; *Non cuilibet animæ gaudium hoc tribuitur à Deo, sed ei, quæ peccatum suum vehementi luctu, & assidua lamentatione ploraverit.* S. August. in Ps. 93. *Hoc est: quoties egi pœnitentiam, toties me consolatus es; unam fudi lacrymam; unam merui consolationem; decem fudi lacrymas, decem consolationes merui; quantumcunq; fuit pondus lacrymarum, & pœnitentiæ, tantus fuit & consolationum numerus.*

§.2. *Pœnitentia suavis est, & levis Crux, licet multi non agnoscant. Propositio Concionis.*

Sed *quare multi abominantur & fugiunt pœnitentiam*, quærit S. Bern. ser. 2. dedic. Eccl. & respondet. *Vident Crucem, sed non unctionem. Vos*, fratres dilectissimi, *qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adjuvantis suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam amaritudo nostra dulcissima.* Multum interest, quibus oculis aliquis aspiciat Poenitentiam Teste Æliano l. 14. de variis hist. Xeuxis depinxerat Helenam; cum illam vidit Nicostratus celeberrimus etiam pictor tam attonitus, tam fixis oculis, tanta attentione fuit illam intuitus, ut ex astantibus nonnemo illum interrogaverit; *Quidnam usque adeo artem eam admiraretur?* Respondit Xeuxis, *Amice non me rogares, si meos haberes oculos; sive si intelligeres tantum artificium quo hæc imago Helenæ est depicta.* Idem

dicere

dicere possumus de virtute pœnitentiæ; horridis vestibus est induta sacco cilicino tecta, aspersa caput cineribus velut eam pœnitentiæ Concionator S. Joannes Baptista depingit. Facies tamen poenitentiæ est formosa, læta, amoena; sed mundani & sensuales homines, molles, delicatuli, non habent oculos, nec mentem, ut agnoscant & intelligant precium & excellentiam hujus virtutis. Cum non dubitem, vos post paucos dies in Nativitate Christi, à nato Infantulo expectare coelestes consolationes, ostendi ante octiduum per admirabiles poenitentiæ operationes, virtutem hanc esse verissimam præparationem, ad lætissimum illud festum. Poenitentia nobis & præsertim peccatoribus parat viam, quâ ad Christum D. pervenire possumus. Afferam hac concione, aliquas circumstantias & perfectiones, quas vera Poenitentia necessario requirit: De benevola interim attentione vestrâ non dubito.

§ 3. *Pœnitentia Pharaonis gravem habuit defectum, ideo punitus fuit à Deo.*

Vera poenitentia debet esse stabilis & firma; poenitentia mutabilis, variabilis, infirma, temporanea, displicet Deo, & est periculosa! ficti & simulati poenitentes, sunt in periculo æternæ damnationis. Talis poenitens fuit Pharao, de quo ait Lippomannus; in c. 8. Exodi. *Pharao impius Deum timere incipit, sed serviliter, & intercessionem postulat* (Moysis ad Dominum) *non sincere, simulator pænitentiæ, quam statim abjicit, dum liberatur à malo.* Tales simulatores poenitentiæ, in majoribus solennitatibus per annum, subinde reperiuntur in Ecclesia; confitentur, communicant cum aliis; promittunt vitæ & morum emendationem; post paucos dies poenitentes rursus abjiciunt; & majori audaciâ in pristina ruunt scelera: tam diu, donec cum impio Pharaone præcipitentur in rubrum & igneum mare æternæ damnationis.

§ 4. *Ninivitæ per veram pœnitentiam, obtinuerunt veniam. Recidivi in*

Certum est, Ninivitas ob minas Jonæ veram egisse poenitentiam, adeo ut illa poenitentibus proponatur pro speculo, in quo videre possint quid agendum sit, ut convertantur ad Dominum. Vidit Deus opera eorum, & placatus fuit, ut sententiam à Jona latam executioni non dederit; Matth. 12. ait Christus D. *Viri Ninivitæ pænitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* fe-

lices, quod per poenitentiam misericordiam obtinuerint; infelicissimi, quod poenitentiam deinde rursum abjecerint. Quia post abitum Prophetæ, in bono non perseverarunt, sed ad pristinos mores redierunt, ad idololatriam, tyrannidem, horrendas libidines, aliaque scelera, iratus Deus ipsorum inconstantia, & quod ejus misericordia ita abuterentur; tandem destruxit sceleratam urbem, ut plerique Ninivitæ miserè perierint. S. Hieronymus in prologo in Jonam hoc probat ex cap. 14. v. 6. Tobiæ, in quo senior Tobias, qui in Ninive habitabat in agone filio Tobiæ dixit, *fili ego morior; post meam mortem in urbe hac ne remaneas, Prope erit interitus Ninivæ; Non excidit verbum Domini,* (quod locutus fuerat per Jonam,) *video enim, quia iniquitas ejus finem dabit ei*; Scilicet scelestæ civitati, ut destruatur; & simul divinæ misericordiæ, ut non amplius parcat. Adducit S. Hieronymus testimonium Herodoti; *Ex quo intelligimus primo tempore ad Ionæ prædicationem, acta pœnitentia Ninivitas veniam consecutos: postea verò in pristinis vitiis perseverantes Dei in se provocasse sententiam,* non tantùm quoad urbis destructionem, sed æternam damnationem; prout S. Thomas ait super verba Christi D. superius citata: *Condemnabunt comparatione, non auctoritate; quia inter condemnandos resurgent Ninivitæ.*

§. 5. *Modus, quo tandem excisa fuit urbs Ninive.*

Post destructionem ab Arbace illatam, refloruit rursum Ninive, sub potentissimis Regib⁹ qui fuerunt Teglathalasar, Salmanatar, Sennacherib, Araddon, sub his ducibus Ninivitæ fuerunt fortissimi bellatores, & Israelitis gravia intulerunt bella, ut legimus l. 4. regum. sed hi posteri Ninivitarum, parentibus & majoribus fuerunt longè pejores; ut tandem iratus Dominus post 96. annos illis miserit novum Jonam, Prophetam Naum, qui de novo ruinam urbis fuit minatus & prophetia ipsius impleta fuit, modo, quem refert S. Epiphanius in vitâ Naum, ubi ait; Hic est propheta ille; qui post Jonam, ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis igneque olim vastaretur. Id, quod tandem contigit, quippe eam terræ motu unquam ambiente, mox etiam aqua, de solitudine superveniens, superiores omnes urbis locos occupavit. & S. Dorotheus in vita ejus-

tâ ejuſdem Prophetæ. *Nam ſtagnum, quo civitas illa circumdabatur, facto terræ motu ſubmerſit eam, ac perdidit; & ignis è ſolitudine ortus, ſuperiorem illius partem conſumpſit.* Triplicis legis fuerunt tranſgreſſores, Divinæ, naturalis, humanæ, tria itaque elemenra, Ignis, aqua, terra conſpirarunt, & Deo ſic volente de impiis, quod pœnitentiam aliquoties abjeciſſent, vindictam ſumpſerunt.

Sed magis in particulari advertere oportet pœnitentiam abjicere vel illam ſimulare, nihil aliud eſſe, quàm rurſum committere præterita & deleta per lacrymas peccata, forte etiam prioribus graviora B. Patres vocare ſolent Recidivam, planè periculoſam. Quærit S. Thomas, utrum peccata remiſſa, per novum peccatum mortale reviviſcant ad reatum æternæ damnationis? Reſponſio eſt negativa. nam *ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* ad Rom. *Nunquid incredulitas illorum, fidelitatem Dei evacuavit? abſit*: ſed doctrinæ S. Thomæ videtur contradicere parabola, in quâ, ſervo à domino, dimittitur omne debitum decem millium talentorum; qui tamen, mox traditus fuit tortoribus quoadusque redderet univerſum debitum; eo quod ipſe à debito abſolutus aliud debitum conſervo dimittere noluiſſet. Angelicus Doctor bene advertit objectionem, ideo p. reſpondet. 3. p. q. 88. art. 1. Contingit, quod ſequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati. in quantum ſcilicet, aliquis homo ſecundo peccans, ex hoc ipſo videtur gravius peccare, quàm prius peccaverat juxta illud Rom. 2. v. 5. *Secundum duritiem tuam, & impœnitens cor; theſaurizas tibi iram in die iræ*; ex hoc ſcilicet ſolo, quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat. Multò autem magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati, ſecundo peccatum iteretur (quid ſi 3. 4. &c.) quanto majus eſt beneficium, peccatum remittere quam peccatorem ſuſtinere; ſic igitur per peccatum, ſequens pœnitentiam, redit quodammodo reatus priorum peccatorum non in quantum cauſatur ex illis peccatis prius dimiſſis; ſed in quantum cauſatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus.

§. 6. Quid ſit abjicere pœnitentiam. Quo ſenſu reviviſcãt ſcelera ſemel dimiſſa.

 Varias

lices, quod per poenitentiam misericordiam obtinuerint; infelicissimi, quod poenitentiam deinde rursum abjecerint. Quia post abitum Prophetæ, in bono non perseverarunt, sed ad pristinos mores redierunt, ad idololatriam, tyrannidem, horrendas libidines, aliaque scelera, iratus Deus ipsorum inconstantia, & quod ejus misericordia ita abuterentur; tandem destruxit sceleratam urbem, ut plerique Ninivitæ miserè perierint. S. Hieronymus in prologo in Jonam hoc probat ex cap. 14. v. 6. Tobiæ, in quo senior Tobias, qui in Ninive habitabat in agone filio Tobiæ dixit, *fili ego morior; post meam mortem in urbe hac ne remaneas, Prope erit interitus Ninivæ; Non excidit verbum Domini,* (quod locutus fuerat per Jonam,) *video enim, quia iniquitas ejus finem dabit ei*; Scilicet scelestæ civitati, ut destruatur; & simul divinæ misericordiæ, ut non amplius parcat. Adducit S. Hieronymus testimonium Herodoti; *Ex quo intelligimus primo tempore ad Ionæ prædicationem, actâ pœnitentiâ Ninivitas veniam consecutos: postea verò in pristinis vitiis perseverantes Dei in se provocasse sententiam,* non tantùm quoad urbis destructionem, sed æternam damnationem; prout S. Thomas ait super verba Christi D. superius citata: *Condemnabunt comparatione, non auctoritate; quia inter condemnandos resurgent Ninivitæ.*

§. 5. *Modus, quo tandem excisa fuit urbs Ninive.*

Post destructionem ab Arbace illatam, refloruit rursum Ninive, sub potentissimis Regib⁹ qui fuerunt Teglathalasar, Salmanatar, Sennacherib, Araddon, sub his ducibus Ninivitæ fuerunt fortissimi bellatores, & Israelitis gravia intulerunt bella, ut legimus l. 4. regum. sed hi posteri Ninivitarum, parentibus & majoribus fuerunt longè pejores; ut tandem iratus Dominus post 96. annos illis miserit novum Jonam, Prophetam Naum, qui de novo ruinam urbis fuit minatus & prophetia ipsius impleta fuit, modo, quem refert S. Epiphanius in vitâ Naum, ubi ait; Hic est propheta ille; qui post Jonam, ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis igneque olim vastaretur. Id, quod tandem contigit, quippe eam terræ motu unquam ambiente, mox etiam aqua, de solitudine superveniens, superiores omnes urbis locos occupavit. & S. Dorotheus in vita ejus-

tâ ejuſdem Prophetæ. *Nam ſtagnum, quo civitas illa circumdabatur, facto terræ motu ſubmerſit eam, ac perdidit; & ignis è ſolitudine ortus, ſuperiorem illius partem conſumpſit.* Triplicis legis fuerunt tranſgreſſores, Divinæ, naturalis, humanæ, tria itaque elemenra, Ignis, aqua, terra conſpirarunt, & Deo ſic volente de impiis, quod pœnitentiam aliquoties abjeciſſent, vindictam ſumpſerunt.

§. 6. Quid ſit abjicere pœnitentiam. Quo ſenſu reviviſcãt ſcelera ſemel dimiſſa.

Sed magis in particulari advertere oportet pœnitentiam abjicere vel illam ſimulare, nihil aliud eſſe, quàm rurſum committere præterita & deleta per lacrymas peccata, forte etiam prioribus graviora B. Patres vocare ſolent Recidivam, planè periculoſam. Quærit S. Thomas, utrum peccata remiſſa, per novum peccatum mortale reviviſcant ad reatum æternæ damnationis? Reſponſio eſt negativa. nam *ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* ad Rom. *Nunquid incredulitas illorum, fidelitatem Dei evacuavit? abſit*: ſed doctrinæ S. Thomæ videtur contradicere parabola, in quà, ſervo à domino, dimittitur omne debitum decem millium talentorum; qui tamen, mox traditus fuit tortoribus quoaduſque redderet univerſum debitum; eo quod ipſe à debito abſolutus aliud debitum conſervo dimittere noluiſſet. Angelicus Doctor bene advertit objectionem, ideo p. reſpondet. 3. p. q. 88. art. 1. Contingit, quod ſequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati. in quantum ſcilicet, aliquis homo ſecundo peccans, ex hoc ipſo videtur gravius peccare, quàm prius peccaverat juxta illud Rom. 2. v. 5. *Secundum duritiem tuam, & impœnitens cor; theſaurizas tibi iram in die iræ*; ex hoc ſcilicet ſolo, quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam expectat. Multò autem magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati, ſecundo peccatum iteretur (quid ſi 3. 4. &c.) quanto majus eſt beneficium, peccatum remittere quam peccatorem ſuſtinere; ſic igitur per peccatum, ſequens pœnitentiam, redit quodammodo reatus priorum peccatorum non in quantum cauſatur ex illis peccatis prius dimiſſis; ſed in quantum cauſatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus.

§. 7. *Testimonia B. PP. de gravitate recidivæ.*

Varias pulcherrimas sententias invenio apud B. Patres quibus conantur ostendere, quanta sit illorum malitia, qui commissa peccata sæpius quidem confitentur, sed in eadem relabuntur. Salvianus l. 4. de provid. ait; Taliter fermè omnia agunt, ut eos, non tam pudeat, pœnitentiam criminum ante egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituisse, quod ante malè vixerint, quàm postea, quod se promiserint bene victuros. Tertullianus l. de poenit. c. 5. Nonne (quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est) diabolum Domino (talis inconstans poenitens) præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit; & judicato, pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit; Ita qui per delictorum poenitentiam, instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam poenitentiam poenitentiæ satisfaciat. Per illam sacramentalem absolutionem, immunda peccatoris anima, lota fuit in purissimo sanguine agni Immaculati; abstersæ sunt scelerum sordes; revocatus fuit pristinus animi decor; sed heu! post paucos dies, itur in antiquam sylvam, iterum ruitur in sordes, iterum contaminatur decor animæ. Infelix anima! quid juvat recepisse candidam divinæ gratiæ vestem, si illam mox exuas? quid juvat, è luto surrexisse, si in illud mox iterum te prosternas? quid juvat rupisse vincula dæmonum, si iis mox sponte collum submittas?

§ 8. *Tales pœnitentes imitantur Saulem, qui psallentem David voluit lancea confodere.*

1. Reg. 19. cum Saul vexaretur à maligno Spiritu, & magis ab invidia erga Davidem, David formosissimus juvenis, astitit lateri Regis, & tam suavi manu psallebat cythara ut Rex sibi redditus fuerit. Sed, O ingratum caput! v. 10. *Nisus fuit Saul configere David lancea in pariete.* S. Basilius de Seleucia orat. 15. *Paululum à dæmonis exitu levatus Saul, medicinæ precium, cædem obtulit quasi ad mentem sobriam se recepisset, ut iterum serviret invidiæ.* Quot videmus Saules in fictè pœnitentibus? servi sunt superbiæ iræ, libidinum, invidiæ, & quod inde sequitur, mancipia diaboli; sed cœlestis David, per pœnitentiam, offert illis gratiam, ut per pœnitentiam, se liberent ab hac servitu-

te. Pro

te. Pro medicinâ offert preciosissimum sanguinem; fiunt rursum filii Dei; de tenebris educuntur in admirabilem lucē (prout ante octiduum fusius ostendi) sed quod offerunt ipsi precium pro tanto amore, pro tanto beneficio, pro tam salutari medicina, infiniti precii? hoc, ut de novo, lancea superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, &c. nitantur transfigere dulcissimum cor Salvatoris. Hoc offerunt precium; ut novam cædem, novam rebellionem moliantur; Paululum, à diaboli exitu levati, per paucos dies quasi ad sobriam mentem se receperunt, ut iterum serviant prioribus peccatis; ut iterum fiant mancipia diaboli; Verbo, ut S. Paulus loquitur, sibi iterum crucifigant Filium Dei!

S. Petrus ep. 2. c. 2. illos vocat, canes revertentes ad vomitum, & sues lotas in volutabro luti. S. Gaudentius tr. de Machabæis, sues semper immundi sunt & de fonte, vel de fluvio exeuntes, iterum volvuntur in cœnum. - Idcirco Dominus Matth. 8. legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum, id est, in eorum gregem, qui immunditiis semper dediti, & cœno involuti sunt vitiorum. Hoc paucis diebus ante festum Nativitatis agunt prædicatores Verbi D. ut invitent peccatores ad fontem pœnitentiæ; ad roseos fontes Christi Salvatoris, ut ibi se lavent, ut mundentur, & sic corde mundo & novo recipiant Christum Salvatorem in Eucharistia, &c. Ut spero facient plerique; sed hoc quoque moneo, ut solliciti sint, veram agere pœnitentiam, firmam, constantem: hoc rogo, ne de his fontibus ne de profluvio preciosi sanguinis Christi Salvatoris, iterum, veluti sues, & porci, volvantur in cœnum ullius peccati mortalis; quod si fiat, necessarium est, ut immundus quoq; spiritus, redeat ad prius habitaculum, & posteriora fiant peiora prioribus.

§. 9. Sunt canes revertentes ad vomitum & sues &c.

Oseæ. 5. 10. ait Dominus illi. *Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminum: super eos effundam, quasi aquam, iram meam.* ad literam sermo est, de avaris, qui sine termino sunt insatiabiles, septuaginta vertunt; *Transferentes terminos.* In sensu tropologico, Deus de illis conqueritur, qui suæ malitiæ non ponunt certum terminum, ut tandem serio resipiscant, sed transferunt

§. 10. Super tales pœnitentes Deus effundit iram suam.

ferunt terminos, de mense in mensem, de anno in annum; & si fortassis semel in anno confiteantur, &c. deinde tamen de novo cogitent termino seriæ emendationis, & ita iterum in priora scelera relabuntur Theophylacti verba sic sonant. Quando verò quibus Princeps Juda, confessus fuerit ac promiserit, se non eisdem pravis studiis admoturum mentem, idque secum decreverit, & iterum transmoverit tales fines, ac decretum suum fecerit irritum; ac reversus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur: perinde ac rubri maris aqua, supra Pharaonem, quia sæpius fuerat mentitus: Multi puniuntur, ut illi hebræi, qui cogitarunt de reditu in Ægyptum, contra quos Numer. 11. concitatus furor Domini; percussit eos plagâ magnâ; illorum gerentes typum, qui virtutis iter ingressi, ad præteritæ vitæ tenebras pedem retro ferre laborant. S. Cyrillus Alexand. l. 9. in Joannem. *Inde sumenda nobis sunt exempla, ne ad deploratas revertamur peccatorum illecebras.* Cap. 2. v. 6. ait Dominus per os Prophetæ Amos; *Hæc dicit Dominus, supra tribus sceleribus Gaza, & super quatuor, non convertam eum.* Gaza fuit civitas Philistæorum; sonat autem fortitudinem, ait Rupertus Abbas, & Judæorum designat rebellionem adversus veritatem. quo posito, Glossa & S. Hieronymus ait, Deum hoc voluisse dicere: Expectavi multo tempore, ut agerent pœnitentiam, & ideo volui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem. *Verum quia tertio, & quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, & plagis corripere delinquentes. Si conversus justus, à justitia sua fecerit iniquitatem ponam offendiculum coram eo, ipse morietur.* Ezech. 3. v. 20. S. Greg. hom. 11. in Ezech. id est, justo eum judicio deserens, ponit ei offendiculum, ubi gravius impingat. Hoc autem non est ad peccatum impellere; sed à peccato non liberare; in pœnam, quod conversi, quod post pœnitentiam, iterum peccent: & in æternum deinde non pœniteant.

§. 11. *Sunt inimici mentientes Do-*

Juxta prophetiam Regii psaltis ps. 80. v. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.* De quibus loquatur, vel quos vocet inimicos Dei, intelligito ex ore S. Augustin.

Canis

Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti, hoc est inimici Domini mentiti sunt ei. Venit aliquis pœnitens ad Confessarium, qui sedet loco Christi; & ipsius nomine interrogat; Fili! promittisne vitæ emendationem? Ita Pater! deseresne hanc malam consuetudinem, blasphemandi? &c. Ita, Pater. Remittes, nuntium huic pravæ tuæ societati, quæ te ad malum sollicitat? Ita Pater! excludes ædibus tuis concubinam? Ita Pater! Obscœnas imagines removebis ab oculis? obscœnos libros depones è manibus? Ita, ita mi Pater! Rursumne linguam tuam solves in blasphemias, in Dei tui contemptus? Non. Rursumne suspectam frequentabis domum, domum castitati tuæ inimicam? Non. Rursumne in multam usque noctem, compotando, vociferando, ludendo, pergræcaberis? Non. Rursum verba in proximum tuum contumeliosa, verba detractoria, verba odii atque iræ effundes? absit mi pater, absit bene habet; video mentem, laudo propositum, ego te absoluo; vade in pace fili mi, noli amplius peccare. Hæc quidem ita fieri solent: at ecce vix una aut altera dies abit; hic iterum, quæ nuper placuere, placent; placet antiqua mala societas, placet concubina, placent obscœni libri, turpes imagines, sermones incasti, placet antiqua cum sociis compotatio, placet vindicta, rixa, odium. Verbo, placent iterum scelera, ! aurea virtus, propositum sanctum, Deus ipse Opt. Max. displicent. S. Augustinus; *Et erit tempus eorum in æternum:* non accipio nisi ignem æternum, de quo dicit, *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.*

mino; quid sit tempus eorum fore in secula.

§ 12. *Tragicum exemplum divinæ vindictæ.*

Inimicus mendax fuit ille fictus pœnitens, apud Thomam Cantipr. qui ut paschalem absolutionem, quæ illi ob notoria scelera ab Episcopo negabatur, obtineret, seriam spopondit emendationem, imprecatus sibi vindictam de cœlo, si rursum peccaret; peccavit rursum feria. 3. vel 4. paschalis, & mortuus, corruens in terram horribili voce exclamavit, *Vindicta Dei super me.*

§. 13. *Seria adhortatione post.*

Auditores si cogitatis his diebus de pœnitentiâ, videte ut deinde non peccetis iterum. Fili, ait S. Joannes Chrys. ser. de

lapsu

ustam pænitentiam cum magno periculo iterum peccemus.

lapsu primi hominis, *Noli peccare post veniam: noli vulnerari post curam; noli sordidari post gratiam. Cogita; graviorem culpam esse post veniam; renovatum vulnus magis dolere post curam; periculosius hominem sordidari post gratiam.* S. Th. sicut enim in corporalibus, nullus status ita periculosus est, sicut recidivantium; ita in spiritualibus qui post gratiam cadit in peccatum, difficile resurgit ad bonum. S. Petrus Chrysost. *Recidiva, letalis sæpius ægritudo.* Iterum S. Joannes Chrys. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui se ipsum post gratiam sordidat. Grave est, hominem instructum delinquere; gravius *absolutum peccare, pessimus est qui Patronum post datam libertatem offendit.* Quale scelus esse putatis, si servus ab hero libertati restitutus, variis affectus beneficiis; nihilominus sit ingratus, & vitæ ejus insidias struat. Auditores amantissimi, prolapsus in genua, cum lacrymis, cum gemitu cordis mei, per viscera misericordiæ nostræ supplico; & oro, per preciosum sanguinem Jesu Christi, per ejus Vulnera per mortem illius; per amorem, quo amatis Matrem misericordiæ, Virginem Mariam; pœnitentiam agite; sed non peccate iterum; perseverate in dolore de peccatis præteritis; permaneant firma Sancta proposita; aderit nobis bonus JESUS, & perducet nos ad regnum cœlorum. Amen!

CON-



CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI.

Ecce hic positus est in ruinam.

Luc. 2. cap. Vers. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VAriè explicat citatum thema.

§.1. *Vt solem, sic Christum Dominum, diversi, diversimodè intuentur.*

§.2. *Iudæi noluerunt illum agnoscere.*

§.3. *Primus sensus horum verborum; hic positus est in ruinam.*

§.4. *Alius sensus.*

§.5. *Alius.*

§.6. *Explicatur* ex l. 1. reg. c. 5.

§.7. *Quomodo Salvator mundi, poni possit in ruinam.*

§.8. *Et hæc quæstio hæreticorum, sed afferuntur variæ causæ huius ruinæ. Volunt aliqui cadere.*

§.9. *Probatur ex B. Patribus.*

§.10. *Cum tremore oportet operari salutem.*

§.11. *Vaticinium Simeonis, plurimos concernit.*

§.12. *Semper illud habendum est præ oculis.*

§.13. *Ruinam quisque sibi ascribat.*

SOlem Orientem, diversi diversimodè pro diversa organi dispositione aspiciunt. Oculi sani, fortes, clari, puri, aquilini, pulcherrimis solis radiis delectantur; gaudent videre solem. juxta illud Ecclesf. 11. v. 7. *dulce lumen & delectabile est oculis, videre solem.* Oculis lippientibus, claritas solis est contraria & molesta. S. Aug. *oculis ægris odiosa est lux* S. Chrysost. *Sol oculos debiles lædit, sanos delectat.* Ideo aliqui veluti

§. 1. *Vt solem, sic Christum Dominum diversi, diversimodè intuentur.*

noctuæ, sunt hostes solis, delectantur magis tenebris, quàm luce. De die claudunt fenestras, ne solis radios intueri cogantur. In sensu mystico per solem cum Malachia.c.ultimo,v.2. intelligo Christum Salvatorem nostrum; *Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitia.* Ortus fuit hic sol, cum ante paucos dies in stabulo Bethlemitico parvulus infans de utero Virginis Matris prodiit. Orientem hunc solem prima fuit intuita Virgo Mater & gavisa fuit gaudio magno, quia oculos habuit longè purissimos. Intuitus fuit Sanctus Joseph, intuiti fuerunt pastores, & magno simul gaudio repleti sunt, quia oculi illis erant mundi ac simplices. Intuiti sunt Angeli cum gaudio, quia cœlestes habuerunt oculos. Dulce & delectabile fuit illis oculis, solem sive Jesulum natum conspicere.

§.2. *Iudæi noluerunt illum agnoscere.*

Impia verò Synagoga, rebelles & obstinati Judæi, impius Rex Herodes, cum audivissent aliquid de orto hoc sole, de nova luce, quæ venit in hunc mundum, contristati sunt. Matth.2. v.3. *audiens autem Herodes Rex turbatus est, & &c.* Nimirum excæcatos habuerunt oculos Judæi, sub panniculis, sub fœno & stramine, in præsepio positum suum aspicere Messiam noluerunt. Dilexerunt magis tenebras quàm lucem. ob quam causam justus Simeon in hodierno Evangelio dixit; *Ecce hic &c.* Idem sol, sive parvulus de Bethlehem, his festis Natalitiis omnium oculis aspiciendus proponitur. Oculis puris, mundis, simplicibus dulce & delectabile est, videre hunc solem, sive puerum etiam in paupertate, in humilitate, in stabulo, in præsepio. Oculi arrogantes, sublimes, avari, turpes, incasti, hanc lucem aversantur; grave illis est illum intueri. Nimirum sunt noctuæ, quæ quia *malè agunt, oderunt lucem.* Joannis.3.v.20. Sunt noctuæ, quæ cum mundo, licet Salvator sit lux vera; tamen eum non cognoscunt. Noctuæ, quæ lucem venientem in hunc mundum non receperunt. His Salvator mundi positus est in ruinam. Illis verò qui lucem non fugiunt, sed ut genuini aquilæ pulli, ad conspectum solis exhilarantur, positus est in resurrectionem. Adesdum Auditores, videtis, quanta hujus sit materiæ dignitas, quanta item necessitas, animos proinde dicenti, atque aures advertite.

Primò

Primò positus est Christus Salvator noster, & multis in ruinam, & multis in resurrectionem. id est, filius Dei est resurrectio omnium humilium, quos exaltat & elevat; & est ruina omnium superborum, quos deprimit. juxta. v. Cantici B. V. Luc.1.v.52. *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.* Est humilium erector, & superborum debellator. Eccl.10.v.17. *sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit milites pro eis.* Josephos & Davides constituit Reges; Pharaones & Nabuchodonosores dejecit è solio. Prov.17.v.16. *qui altam facit domum, suam quærit ruinam.* hoc itaque sensu citati thematis, Christus humilibus est causa salutis, sive resurrectionis; superbis causa damnationis, sive ruinæ. Vel, humiles à Christo salvantur, superbi damnantur. §.3. *Primus sensus horum verborum, positus est in ruinam.*

Secundò. Positus est in ruinam & resurrectionem multorum; nam est resurrectio bene credentium, quorum multi sunt; & est ruina omnium infidelium, quorum innumerabilis est numerus; hic ergo fuit sensus verborum Simeonis; multi ex Judæis & gentilibus videbunt Messiam, in paupertate, in qua natus est; tamen credent esse filium Dei, videbunt jacentem in præsepio & panniculis, tamen intellectum suum captivabunt in obsequium fidei, *hi salvabuntur*; plurimi non credent, *hi damnabuntur.* His erit Christus ruina, illis resurrectio. Pari ratione hodie veri fideles à Christo salvabuntur, plurimi, atque adeo omnes infideles, gentiles, Turcæ, Judæi, Schismatici, hæretici omnes, qui non credunt, prout oportet: damnabuntur. §.4. *Alius sensus.*

Tertiò. Parvulus natus in Bethlehem, positus fuit in ruinam vitiorum, & resurrectionem virtutum. Nam per vitam novam, sanctam, cœlestem, per exempla heroicarum virtutum, destruxit regnum peccati, & plantavit regnum virtutum in ejus humilitate ruit superbia, in paupertate avaritia, in castitate luxus, in mortificatione sensualitas, in benignitate ira & odium; juxta vaticinium Isaiæ c.19. v.1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (id est, assumet carnem à peccatis immunem, nascetur parvulus puer, symbolico scilicet ita poëtæ, ut celeritatem & cœlestem Majestatem, robur, pugnam, & victo- §.5. *Alius.*

riam Dei significent, dicere, Deum nubibus vehi, nubibus insidere, & inequitare, quasi inde procellas, ventos, grandines, & tonitrua in hostes jaculetur, quæ omnia Christo Domino conveniunt.) *& ingredietur Ægyptum* (sive hunc mundum vitiis tenebrosum.) *& movebuntur simulacra Aegypti*, sive ruent scelera & vitia. Neque enim idola tantum, cum Christus puer illam ingressus est, corruerunt, sed postmodum Ægyptum, imò totum mundum (superstitionis & maledictionis elogio, ut Tertullianus loquitur) debellavit Christus; cum deinde per Apostolos ejus errores & vitia dejecit & contrivit.

§.6. *Explicatur ex l. 1. reg. c.5.*

Ut quondam l.1.reg.c.5.v.3. ad præsentiam arcæ Dagon pronus in terram prolapsus est, ita dum in nube levi, sive brachiis B.V. veluti Cherubico throno delatus fuit in Ægyptum Divinus Infans, plurima simulacra Deorum confracta in terram dejecta ceciderunt. Quare Christus Dominus fuit ruina Idololatriæ, & resurrectio veræ fidei. Ruina scelerum, resurrectio virtutum. Itaque Auditores, si his diebus Parvulus de Bethlehem, in cordibus vestris per gratiam iterum natus, destruxit regnum peccati; si humilitas parvuli vobis placuit, si prostrata jacet vestra superbia; si reliquæ placuere virtutes, si econtra vitiorum, gulæ, avaritiæ, luxuriæ, odii simulacra contrita corruerunt, ruinam hanc debetis Christo, ipse in vobis est resurrectio virtutum, consequenter multis causa salutis, plurimis ruina & causa æternæ damnationis.

§.7. *Quomodo Salvator mundi possit poni in ruinam.*

Plerique sancti Patres & interpretes conveniunt in hoc sensu verborum Simeonis, sed meritò præbet hæc interpretatio causam huic quæstioni: Nunquid Christus venit in hunc mundum, nunquid natus est homo, nunquid jacet parvulus in præsepio, ut omnes homines vitam habeant, & abundantius habeant? qua ergo ratione potest dici ruina, sive causa mortis æternæ? imò passus est, mortuus est in cruce, sanguinem fudit, non propter se, sed propter nos homines, & propter nostram salutem, cum ergò non omnes salvabuntur; saltem illi, qui in illum credunt, qui sperant in Christi meritis; certè videtur ad Dei bonitatem & misericordiam spectare, ut vel omnes, vel plurimi

plurimi ſaltem fidelium ſalventur. videtur hoc dandum paſſioni, ſanguini, morti, valori infinito meritorum Chriſti, ut pauci æternis inferorum ſuppliciis addicantur.

§ 8. *Eſt quæſtio Hæreticorum. Sed afferuntur variæ cauſa. Volunt cadere.*

Hæc nimirum eſt trita & ſuavis illa cantilena multarum ſectarum, quarum aſſeclæ certi & ſecuri ſunt de ſua ſalute, non ob merita propria, ſed ſola merita Chriſti, licet mandata non ſervent, licet legi Divinæ ſint inobedientes, contra clara verba S. Scripturæ. Eſdras. c. 8. v. 26. qui cùm in conſideratione hujus veritatis, fundatæ in ſacris literis, plurimos damnandos, ardenter oraret, dixit. *Non iraſcaris ſuper nos, ſed parce populo tuo, & miſerearis hæreditati tuæ, tu autem creaturæ tuæ miſerearis.* Reſpondit illi Dominus. *Noli adjicere de multitudine eorum qui pereunt, nam & ipſi accipientes libertatem, ſpreverunt altiſſimum, & leges ejus contempſerunt, & vias ejus dereliquerunt.* Ecce cauſas ſpirituales ruinæ: quotquot etiam credentes in Chriſtum, tamen ipſum & ejus legem ſpernunt, mandata non ſervant, damnantur; illis omnibus Salvator poſitus eſt in ruinam, quod tamen Chriſto Domino non eſt aſcribendum, ſed ipſorum malitiæ & perverſæ voluntati; Fecit Salvator noſter, quod ab ipſo exigere poſſumus. Natus eſt homo, in ſudore & laboribus prædicavit Evangelium, mortuus eſt pro omnibus; nullius damnatio illi imputari poteſt, ſed ipſi potius peccatori, de quo conqueritur Matth. 23. v. 37. *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, ſed noluiſti.* Ecce cauſam ruinæ, nolle vocanti gratiæ cooperari. Iſ. 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* in hebraico eſt, *rebellem & contumacem.* Apoſtolus vertit Rom. 10. v. 21. *non credentem & contradicentem.* Expandi manus meas, quaſi diceret ad Judæos, jam ab initio ſinum & manus expandi, quaſi profundens in eos munera & chariſmata, ac præſertim manus expandi in cruce, ut eos ad me etiam moriens, licet ab eis occiſus, allicerem, & amplecterer; Expanſa vident brachia, & rident. Advertunt paratum me in amoris amplexus, & contemnunt. Omnia ſentiunt benevolentiæ ſigna, & rejiciunt. Quid ergo mirum ſi pereant? quid mirum ſi illis poſitus ſim in ruinam; cum

ultro illi quærant præcipitium. Perditio tua ex te Israel, ex me autem tantummodò salus, amor, bonitas, clementia. Tua hæc est ingrate popule culpa, tua est ingratitudo, cæcitas, vecordia, durities. In tuo horto nascuntur hi fructus pestiferi; ego autem sum arbor vitæ, rami mei, rami honoris, rami charitatis. quis hoc non agnoscit? ob incredulitatem, ob rebellionem, ob tantam contumaciam illis justus Judex Salvator positus est in ruinam.

§.9. *Probatur ex Sanctis Patribus supra Isaiam.*

Citatum versum Is. omnibus reprobis applicat S. August. l. de Virg. *Inspice vulnera ejus, qui pro te pependit in Cruce.* (patent scilicet impiis quavis horâ ad pœnitentiam, sed nolunt ingredi.) *Inspice sanguinem, quem pro te fudit.* (hunc offert in ablutionem peccatorum, sed spernunt.) *Inspice brachia ejus extensa ad te* amplexandum (sed respuunt.) *Inspice cor apertum ad te recipiendum*, sed hærent, tardant, morantur, differunt, donec obruantur à morte; in agone ab eodem Salvatore deturbantur in inferos. Sed quis causam ipsi Christo ascribere jure possit? ex te perditio tua est impie. Ob tua scelera Jesus est tibi positus in ruinam. Absit, absit, ut hoc suavissimo & amantissimo cordi Christi Salvatoris imputemus. De impio ait Ps. 108. v. 18. *dilexit maledictionem, & veniet illi, noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Job. 24. v. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius; propter quod intrant tenebras damnationis æternæ*, Eccl. 19. v. 14. *Deus enim ab initio reliquit hominem in manu consilii sui, & posuit ante eum bonum & malum, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, ut eligat.* Si mortem eligat, & proinde Christus sit ipsi in ruinam, non Christo sed sibi ascribat; Deus bonitati & misericordiæ suæ abundè satis fecit, ut per Is. c. 5. v. 3. dixerit, *Iudicate inter me & vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Vites, palmites innumerabiles hactenus excisæ sunt, & ardent in inferno, sed judicate inter illas & Christum Salvatorem, an aridis lignis, an Cœlesti agricolæ causa damnationis sit imputanda? Infelix lolium, quid quereris te in ignem conjici? an putas injuriam tibi irrogat hortulanus? minimè verò! lolium, si nescis,

nescis, pabulum est ignium; non est, mihi crede, hortulani vitium, quod te evellat, dissipet, confringat, comburat. Tu hortulum illius fœdare non debueras; tu inter flores ac fructus non succrescere: tu terram illam ab ipso Deo benedictam, rosis ac liliis debitam, non debueras occupare. Noli proinde de tua infelicitate conqueri, noli in judicium vocare prudentem hortulanum, malignitati potius tuæ, tuæ sterilitati, si quid asperius pateris, adscribe.

Ideò sollicitè S. Apostolus monuit Philippenses. c.2. v.12. §. 10. *Cum tremore oportet operari salutem.*
Cum metu & tremore vestram salutem operamini. quibus gaudiis, quibus solatiis, quibus affectibus! quo amore his diebus excepimus in corda nostra parvulum de Bethlehem, dum eundem puerum hodie conspicio in ulnis & brachiis Simeonis, & audio, illum plurimis positum esse in ruinam, frustra pro illis natum, passum, crucifixum, toto corpore contremisco, quem non perterreat hoc funestum vaticinium optimi senis, plurimos scilicet damnandos. Si diceretur, ex omnibus hominibus unus damnabitur, si saperemus, nullus esset qui non timeret & diceret, *Nunquid ego sum?* Christus Dominus dixit, Matth.26. v.24. *unus vestrum me traditurus est; veruntamen væ homini illi*, & omnes Apostoli trepidarunt, omnes dixerunt, *Nunquid ego sum?* omnes invasit ingens parvor ob atroces minas Christi, in unum caput.

Ad plures, ad innumerabiles se extendit atrox vaticinium, §. 11. *Vaticinium Simeonis plurimos concernit.*
ecce positus est hic in ruinam multorum. Nunquid ego, nunquid vos Auditores estis ex illis? quis scit? cum metu & tremore operemur nostram salutem. O si subinde hæc nostra esset cogitatio! nunquid & ego sum infelicissimus homo, qui damnandus est? nunquid & mihi parvulus de Bethlehem, amabilissimus ille puer natus est, positus in præsepio, involutus pannis in ruinam? an fortè & pro me sanguinem sudavit sed in ruinam? an fortè in virgineum ejus corpus inhumana carnificum flagella sævierunt, ad meam ruinam? O ruina funesta! O averte à me hanc ruinæ infelicis catastrophen mitissime Jesu! Quid si in ruinam meam penetrant benedictum Jesu caput ac cerebrum spinæ?

ſpinæ? O ſpinæ! O aculei! parcite, parcite; nolite lædere amantiſſimum meum Salvatorem; ſi in ruinam id meam, non ad ſalutem cedat. O Crux ponderoſa! Crux immanis, dura, fatalis! quàm tu acerbè fatigas ſponſum animæ meæ Jeſum, quàm inclementer premis virginales ejus humeros! O utinam non ad ruinam meam! avertite hoc boni ſuperi! Vos Sancti Angeli eam potius crucem in me conjicite, illa meos onerate humeros, manus ac brachia, ut vel ſic in ſalutem, non in ruinam convertatur. Ita! Ita auditores mei, cogitandum, ita loquendum, ita ſentiendum eſt; utinam ſaperent mortales, & provida mente ejuſmodi eventus proſpicerent! aliam profectò vivendi rationem inirent.

§. 12. *Semper illud habendum eſt præ oculis.*

Ecce poſitus eſt hic in ruinam. Severa hæc prædicatio eſt, (inquit Didacus Stella in hunc locum) *quam omnes, qui Chriſtiani ſumus, ſæpè contemplari debemus, ut videamus quid in nobis operetur agnitio Chriſti, an ad meliora pergamus, an verò ad deteriora ruamus.* Severa prædicatio! auditu enim horribile eſt, quod Chriſtus (ah ille Jeſulus!) ſit futurus in ruinam. horribilius quod non uni vel alteri, ſed multis; horribiliſſimum, quod hoc non tantum prædicetur gentilibus, Judæis, hæreticis, ſed & Catholicis; Videtur Simeon hanc prophetiam ſumpſiſſe ex Iſ. cap. 8. v. 14. *Dominus, in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali domibus Iſrael, in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Non intentione Chriſti, ſed malitia propria.

§. 13. *Ruinam quisque ſibi ipſi adferebat.*

Stat in via publica columna, vel crux, quæ viam tibi monſtrat; ſi tu oculos claudens in illam impingas & corruas, quis in cauſa, niſi tu? venit Chriſtus in mundum, venit ut viam in cœlum nobis monſtret. Stat præ noſtris oculis ſanctiſſima ejus crux, veluti ignea columna, nos oculos avertimus, imò claudimus, & dum in crucem impingimus, neceſſe eſt nos ruere in ſcelera, ex ſcelerum voragine in abyſſum damnationis, ſed his meritò Chriſtus Salvator occinit, quod dixit de Judæis, Joannis. 15. ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent. Audite ſuper-

ſuperbi, humilitas Chriſti poſita eſt vobis in ruinam, ob ſuperbiam in inferno ardebitis æternum, ſed non habetis excuſationem. Audite delicata Veneris mancipia; nuditas Jeſu Chriſti in crucem ſuffixi poſita vobis eſt in ruinam, ob ſcelera veſtra nefanda; & quo velo turpitudines illas veſtras contegetis, eo potiſſimum die, quo Sol juſtitiæ abominanda tenebrarum opera ſuis radiis perſtringet; audite invidi, audite, qui odia atque inimicitias fovetis in cordibus! manſuetudo Jeſu mei poſita vobis eſt in ruinam: cauſam non ignoratis; terribilis illa erit ruina, quæ vos ſimul æternum miſeros, æternum inimicos, invidos Cacodæmonum ſocios involvet. Audite peccatores omnes, quibus acerba ſunt virtutum nomina, vita ac mors Salvatoris veſtri poſita vobis eſt in ruinam. Sed veſtra culpa hæc acciderunt, vos ipſi foveam, in quam prolabimini, effoditis miſerandi mortales; vos ipſi ultro! mortem quæritis, non vitam: non ſalutem, ſed perniciem: non cœlum, ſed cœnum; non reſurrectionem, ſed ruinam: Lumen candelæ comburit papiliones, qui involant in illud; & vos ardebitis impii; cui adſcribetis cauſam, num Chriſto? qui velut lux ad illuminandas mundi tenebras venit? an veſtræ cæcitati, & impudentiæ, quâ velut noctuæ & veſpertiliones lucem odiſtis, & involare audetis?

Statuam Theogenis, quidam ejus obtrectator, ſingulis poenè noctibus tam diu flagris cecidit, donec tandem ſuper ipſum corruit, eumque oppreſſit. (Pauſanias.) Et cui adſcribenda hæc ſtrages, hæc ruina? an ſtatuæ, an obtrectatori? Vos ferte ſententiam. Vos impii! timete magis terribilem lapſum & ruinam, quam jam jam, ſacroſancta crux Salvatoris Jeſu minatur, in quam impias manus injicitis! illa crux, quam ſcelerati veſtri mores concutere, labefactare, & in terram dejicere moliuntur: Cadet crux! ſed in veſtram ruinam! cadet de cruce Jeſus! in ruinam veſtram! cadent cum eo infiniti ponderis merita, in ruinam veſtram! cadet auguſtus crucis titulus in ruinam veſtram! cadet ſalutis veſtræ ſtatua! §. 14. *Proſecutio, & Epilogus.*

O miſeri, revocate pedem, revocate ſceleſtas
Impia turba manus! jam, jam minitatur acerbas

ſpinæ? O ſpinæ! O aculei! parcite, parcite; nolite lædere amantiſſimum meum Salvatorem; ſi in ruinam id meam, non ad ſalutem cedat. O Crux ponderoſa! Crux immanis, dura, fatalis! quàm tu acerbè fatigas ſponſum animæ meæ Jeſum, quàm inclementer premis virginales ejus humeros! O utinam non ad ruinam meam! avertite hoc boni ſuperi! Vos Sancti Angeli eam potius crucem in me conjicite, illa meos onerate humeros, manus ac brachia, ut vel ſic in ſalutem, non in ruinam convertatur. Ita! Ita auditores mei, cogitandum, ita loquendum, ita ſentiendum eſt; utinam ſaperent mortales, & provida mente ejuſmodi eventus proſpicerent! aliam profectò vivendi rationem inirent.

§. 12. *Semper illud habendum eſt præ oculis.*

Ecce poſitus eſt hic in ruinam. *Severa hæc prædicatio eſt,* (inquit Didacus Stella in hunc locum) *quam omnes, qui Chriſtiani ſumus, ſæpè contemplari debemus, ut videamus quid in nobis operetur agnitio Chriſti, an ad meliora pergamus, an verò ad deteriora ruamus.* Severa prædicatio! auditu enim horribile eſt, quod Chriſtus (ah ille Jeſulus!) ſit futurus in ruinam. horribilius quod non uni vel alteri, ſed multis; horribiliſſimum, quod hoc non tantum prædicetur gentilibus, Judæis, hæreticis, ſed & Catholicis; Videtur Simeon hanc prophetiam ſumpſiſſe ex Iſ. cap. 8. v. 14. *Dominus, in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali domibus Iſrael, in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Non intentione Chriſti, ſed malitia propria.

§. 13. *Ruinam quisque ſibi ipſi adſcribat.*

Stat in via publica columna, vel crux, quæ viam tibi monſtrat; ſi tu oculos claudens in illam impingas & corruas, quis in cauſa, niſi tu? venit Chriſtus in mundum, venit ut viam in cœlum nobis monſtret. Stat præ noſtris oculis ſanctiſſima ejus crux, veluti ignea columna, nos oculos avertimus, imò claudimus, & dum in crucem impingimus, neceſſe eſt nos ruere in ſcelera, ex ſcelerum voragine in abyſſum damnationis, ſed his meritò Chriſtus Salvator occinit, quod dixit de Judæis, Joannis. 15. ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent. Audite ſuper-

ſuperbi, humilitas Chriſti poſita eſt vobis in ruinam, ob ſuperbiam in inferno ardebitis æternum, ſed non habetis excuſationem. Audite delicata Veneris mancipia; nuditas Jeſu Chriſti in crucem ſuffixi poſita vobis eſt in ruinam, ob ſcelera veſtra nefanda; & quo velo turpitudines illas veſtras contegetis, eo potiſſimum die, quo Sol juſtitiæ abominanda tenebrarum opera ſuis radiis perſtringet; audite invidi, audite, qui odia atque inimicitias fovetis in cordibus! manſuetudo Jeſu mei poſita vobis eſt in ruinam: cauſam non ignoratis; terribilis illa erit ruina, quæ vos ſimul æternum miſeros, æternum inimicos, invidos Cacodæmonum ſocios involvet. Audite peccatores omnes, quibus acerba ſunt virtutum nomina, vita ac mors Salvatoris veſtri poſita vobis eſt in ruinam. Sed veſtra culpa hæc acciderunt, vos ipſi foveam, in quam prolabimini, effoditis miſerandi mortales; vos ipſi ultro! mortem quæritis, non vitam: non ſalutem, ſed perniciem: non cœlum, ſed cœnum; non reſurrectionem, ſed ruinam: Lumen candelæ comburit papiliones, qui involant in illud; & vos ardebitis impii; cui adſcribetis cauſam, num Chriſto? qui velut lux ad illuminandas mundi tenebras venit? an veſtræ cæcitati, & impudentiæ, quâ velut noctuæ & veſpertiliones lucem odiſtis, & involare audetis?

Statuam Theogenis, quidam ejus obtrectator, ſingulis pœnè noctibus tam diu flagris cecidit, donec tandem ſuper ipſum corruit, eumque oppreſſit. (Pauſanias.) Et cui adſcribenda hæc ſtrages, hæc ruina? an ſtatuæ, an obtrectatori? Vos ferte ſententiam. Vos impii! timete magis terribilem lapſum & ruinam, quam jam jam, ſacroſancta crux Salvatoris Jeſu minatur, in quam impias manus injicitis! illa crux, quam ſcelerati veſtri mores concutere, labefactare, & in terram dejicere moliuntur: Cadet crux! ſed in veſtram ruinam! cadet de cruce Jeſus! in ruinam veſtram! cadent cum eo infiniti ponderis merita, in ruinam veſtram! cadet auguſtus crucis titulus in ruinam veſtram! cadet ſalutis veſtræ ſtatua! §. 14. *Proſecutio, & Epilogus.*

O miſeri, revocate pedem, revocate ſceleſtas
Impia turba manus! jam, jam minitatur acerbas

Crux ruitura neces; quid enim nisi vasta ruina
Pondere tam vasto, tracto, fractoque sequatur.

Amabo vos Auditores mei, hoc consideremus attentius, operemur singuli cum tremore salutem quisque suam; & an Christus in ruinam nobis sit positus; ex vitæ nostræ, morumque cursu despiciamus.



CONCIO VI.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Remansit Puer Iesus in Ierusalem.

Luc. 2. cap. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COmmendat omnibus pietatem, Religionem & Cultum Dei, in quibus virtutibus, quales sumus erga Deum; talis ipse est erga nos.

§. 1. *Aliqua causæ ob quas Iesus duodennis, insciis parentibus mansit in Ierusalem.*

§. 2. *Prosecutio, & propositio Concionis.*

§. 3. *Qualis est homo erga Deum; talis est Deus erga hominem: proinde confertur cum speculo.*

§. 4. *Speculum hominis justi erga Deum fuit Abraham; quàm grave Deus illi imposuerit præceptum.*

§. 5. *Adamantinus & liberalis animus Abrahami erga Deum: dum ipse suis manibus voluit immolare Filium.*

§. 6. *Qualem verò Deus se exhibuerit erga Abrahamum.*

§. 7. *Fundamentum hujus concionis, contrahitur ad pietatem & Religionem, quæ est via ad cœlum.*

§. 8. *Regum & Principum prosperitas, pendet ab hac virtute.*

§. 9. *Encomium Nepotiani.*

§. 10. *Quàm Religio sit eximia virtus.*

virtus. Honorius fuit felicissimus Imperator.

§.11. *Pietas & Religio sunt bases & columna regnorum, illis corruentibus, ruunt cætera.*

§.12. *Vnde interitus & devastatio Samariæ? Digressio ad Germaniam.*

§.13. *Religio punit publica peccata contra cultum divinum.*

§.14. *Qualis quisque in particulari, in pietate est erga Deum vel Christum D. talis ipse est erga quemvis in particulari.*

§.15. *Id experiuntur animæ Sanctæ.*

REmansit puer Iesus in Ierusalem. Didacus Stella: *Fuit hoc factum divino consilio & providentia*, ob varias causas: citatus auctor ait; *Filius à Matre discedit per parvum tempus, clam, sine matris culpa, ut majus desiderium & ferventius in matre exardesceret.* Ita super verba sponsæ Cant. 2. v.17. *Revertere dilecte mi.* ait S.Bern. ser.74. in Cant. *Forte se subtraxit sponsus, quo avidius revocaretur, teneretur fortius.* Hoc hodie fecit Christus duodennis, respectu Matris suæ. Respectu nostri, divino consilio hoc factum est, ut si aliquando Deus nobis subtrahat suam præsentiam, sive internam animi consolationem, tum discamus, commendare nos in manus Domini, parati, ad tempus ferre, quidquid voluerit, nec propterea ab eo discedamus; sed potius toto hoc tempore cum magna cura & diligentia incedamus, *inquirentes quod perdidimus.* Ipsa B. Virgo per aliquod tempus caruit hoc tanto thesauro, in nostrum solatium; postea verò quæsivit, ut nobis relinqueret exemplum & denique illum invenit, ut animum nostrum ad simile opus corroboraret. Pergit Didacus Stella. *Neque enim patiebantur viscera piissimi Iesu, Beatissimæ Virginis angustias, & dolores longius protendi: ne acerrimi doloris cruciatu tabescens amplius cruciaretur. Nec voluit statim inveniri, quia majus gaudium afferunt illa, quæ carius emuntur.* Vix explicari ullo pacto potest, ingens illud Virginis gaudium, quando suum filium suis oculis præsentem aspexit. Ex quo elicies, non esse perpetuam tristitiam servorum Dei: nam etiamsi labores & ærumnas hic patiantur, postea spiritus consolationes & gaudia immittit.

§ 1. *Aliquæ causæ ob quas duodennis puer, inscíis parentibus remanserit in Ierusalem.*

§. 2. *Prosecutio, & concionis Propositio.*

Remansit præterea in templo inter Doctores; & ad ostendendum quod homo erat; ideo homines Magistros humiliter audiebat: ad probandum verò, quia Deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat: ut omnes stuperent super prudentia ejus. Iterum cogitate, quo gaudio sanctissimi Parentes, Maria & Joseph post triduum hoc loco illum reperirent; quibus interrogantibus Luc. 2. v. 48. *Fili quid fecisti nobis sic?* genuinam exposuit causam, ob quam ipsis insciis remansisset in templo; *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Pietatem & religionem erga Deum, verumque ejus cultum nos voluit docere; de eximia hac virtute soleo agere in meis Concionibus hujus Dominicæ. Hodiernam dividam in tria puncta. In primo, pro fundamento ponam hanc sanctorum Patrum maximam, quales nos exhibemus erga Deum; talem se nobis ostendit, si per virtutem religionis illum colamus, mille nobis exhibet beneficia. Maxima secundi puncti hæc erit; à pietate & virtute religionis, maximè Regum & Principum, pendet regnorum incolumitas. Si tempus patiatur in tertio puncto, primam maximam applicabo Christo Domino, & piis ejus amatoribus. Verum ut ego utilissimam materiam pro dignitate tractem, ut vos cum fructu audiatis, necessariam gratiam peto & spero, à duodenni Jesulo, cui sit honor & gloria in sæcula, Amen.

§. 3. *Qualis est homo erga Deum; talis est Deus erga hominem. Proinde Deus confertur cum speculo.*

Fundamentum hujus Concionis multi sancti Patres his verbis proponunt; qualis est homo erga Deum, talis est Deus erga hominem. Declaratur simili ex Sacra Script. Sap. 17. v. 6. Vocatur Deus *speculum sine macula* non tantum propterea, *quod quæcunque fiunt, vel fieri possunt, in Deo resplendeant, sicut in quodam speculo*, ut loquitur S. Thom. 1. p. q. 13. art. 8. Sed quia, sicut in speculo omnibus motibus, atque actibus, quibus, qui speculum intuetur, movetur, vel agitur; iisdem ipsis, etiam imago, quæ per speculum formatur, actibus & motibus commovetur, vel agitur, in nullo prorsus declinans. *Ita & Deus &c.* ideo ait Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo*: contra verò per Oseam c. 4. v. 6. *Oblita es mei; ego quoque obliviscar tui.* Idem de Deo affir-

affirmant alii. Jac.4. v.8. *Appropinquitate Deo, & appropinquabit vobis.* 2.Paral. c.15. v.2. *Si dereliqueritis Dominum, derelinquet vos.* Luc.6.v.38. *Date, & dabitur vobis.* Ne cogitemus dici hæc de juſtis tantum, de peccatoribus ait Jeremias c.18. v.8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem eis.* In Maria Magdalena veluti ſpeculo intueri poſſumus, quid agendum ſit animæ pœnitenti; in eadem contemplari poſſumus, quomodo Deus, *accedentem ad ſe pœnitentem ſuſcipiat, quomodo obediat ſupplicanti, ſedet lacrymantem, lamentanti condoleat.* S. Aug. *Qualis apparueris Deo, talis oportet, ut tibi appareat Deus; ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ, ſuaves, mites, humiles, & miſericordes requirit Dominus.* Pſ.72.v.1. *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde.* pſ.144. v.19. *Voluntatem timentium ſe faciet:*

§.4. *Speculum hominis juſti erga Deum fuit Abraham: quàm grave Deus illi impoſuerit præceptum.*

Speculum pulcherrimum viri juſti, Deo addictiſſimi, timentis eum, & facientis omnem voluntatem ejus fuit Abraham, cum immolare voluit filium ſuum Iſaac; S. Paulus ait ad Hebr.11.v.19. *Eum in parabolam accepit.* S.Joan.Chryſoſt. id eſt, *in Exemplum.* Nota eſt hiſtoria ex c.22. Gen. Sed nunquam ſine affectu narrari, legi, vel audiri poteſt, quæ dicturus ſum, heri cum lacrymis conſideravi & ſcripſi. Ait illi Dominus; Abraham volo ut mihi offeras ſacrificium: libentiſſimè, reſpondit Abraham; habeo armenta boum, vitulorum, aliorumque animalium; tua Majeſtas illa mihi dedit, reddam & immolabo omnia. Non, inquit Dominus; volo animalia, volo occidi aliquem hominem, in ſacrificium, quod deſidero. Et hunc facilè inveniam, reponit Abraham, ſunt in vicinia Cananæi, Phariſæi, ſunt ii inimici tui; indicam illis bellum, & occidam plurimos, ſi ita jubes: de victoria, te adjuvante non dubito. Abraham mi; hominem deſidero ex tua domo. Sit ita; habeo ſupra trecentos famulos, immolabo, quem volet Dominus. Audi Abraham! Volo immolari hominem, iterum ait Dominus, qui ſit tibi ſanguine junctus. Mihi ſanguine junctum? Domine! habeo duos filios, Iſmaelem ex ancilla mea Agar; Iſaacum ex Sara; filium tam dilectum, tam charum, tam diu expecta-

tum, de quo mihi promisisti, quod in semine ejus benedicentur gentes terræ; sicut stellæ cœli.

Hunc volo tandem ait Dominus v. 2. *Tolle filium tuum Vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atq; ibi eum offeres in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* S.Joannes Chrysost. hom.47. in gen. *Vnumquodque verbum sufficiens erat, ad sauciandam animam justi. Tolle*; occide, perime; *Filium*, non arietem; *tuum*, non alienum; *quem diligis*, scio hoc, tamen tolle. *Vnigenitum* ex Sara, non Ismaelem. *Isaac*, risum tuum, gaudium tuum, solatium tuum; *in holocaustum* volo totum comburi, non statim, sed super montem, quem post triduum tibi ostendam; O infelicem patrem! *O quantum formidabiles erant illæ cogitationes! nulla hasta tam acuta esse queat, quàm cogitationum istarum aculei, qui ab intimis visceribus acuebantur.* S. Joan. Chrysost. hom.3. in 2. ep. Cor. fortè Abraham quæsivit ex Domino, Domine mi! & quis erit sacerdos, qui hanc victimam immolabit, qui filii mei jugulo cultrum immittet? Te, te, respondit Dominus, volo esse Sacerdotem, tu gladium stringes, tu accedes focum, tuis manibus combures filium tuum, ut nec capillus remaneat.

§. 5. *Adamantinus & liberalis animus Abrahami erga Deum. Ipse suis manibus vult immolare filium.*

Audistis gravitatem præcepti; jam audite, qualis fuerit Abraham erga Deum suum; quàm obediens, quàm humilis, quam liberalis, quàm unitus cum sanctissima ejus voluntate, summo manè cum filio, & duobus servis abit ex domo, vadit in sylvam, quærit aliquot ligna, colligat in fasciculum, imponit humeris Isaac; pergit uno, altero, tertio die; & ideo Deus tempus sacrificii protraxit, ut Patris cor cruciaretur magis. O martyrium paterni cordis! vespere tertii diei, ait illi Dominus, ecce verticem hujus montis, in hoc volo mihi immolari filium tuum. Statim, sine mora, relictis ad radicem montis famulis & jumento, cum solo Isaac scandit montem. Refert Sacra Scriptura, Genes. 22. v. 8. Isaacum in via dixisse, *Pater mi!* O Pugionem in corde patris! Quid vis, fili! O Spinas! Pater, *si sacrificare volumus, ubi victima?* O lanceam! O lanienam viscerum in pectore Patris! Miratur S.Joannes Chrysost. Cor Abrahami

hami ad has voces non dissiliisse in mille partes. Sed Abraham intrepidus respondit, ***Dominus providebit sibi victimam holocausti***, fili mi! S. Joan. Chrysost. hom. 47. in Gen. ***Quasi adamas manebat invictus***, tandem cum in monte construxisset altare, composuisset ligna, ait, fili, tu eris sacrificium, ego his manibus te immolare debeo, ecce gladium, quo jubeor te occidere, ecce ignem, quo te debeo comburere. Fili sic imperat Dominus. Miramur obedientiam Abrahami, non miremur minus obedientiam Isaaci. Qualis fuit Pater erga Deum, talis fuit filius: Fingite Auditores, interesse vos huic tragœdiæ; fingite, videre vos mœstum cum patre filium; fingite, videre vos innocentem Isaaci vultum; quin etiam fingite, percipere vos aureum ejus ad patrem responsum, hunc ferè vel similem in modum, Pater! ah Pater mi! quid est, quod mea te fata affligunt? libenter morior; libenter cado victima Dei mei; libenter vitam offero cum sanguine. qui jubet, Deus est! ille Deus, à quo vitam habemus & omnia; ille Deus, cui non parere, nefas; ille Deus, ex cujus Dominio & potestate universi pendemus. Quid caput vertis Pater mi! quid mœstos in sidera oculos erigis? age, quod agis. Et tibi gloriosum erit mactare; mihi mactari. Utrumque in mandatis est Dei; utrumque faciendum. En cervicem meam, feri Pater mi, feri; Deus jubet. Tibi verò æterne Deus! tibi inquam, gratias ago immensas, quod me dignam gloria tua victimam selegeris. Tibi, quam mihi dedisti, lubens restituo vitam, cor, sanguinem, animam. Suscipe me in sacrificium. Dixit; ecce jam capulo manum admovet Abraham Pater, jam fatale stringit ferrum, jam librat ictum; cum ecce tibi adest Angelus, inclamat Abrahamum, jubet retrahi dexteram, recondi gladium; Isaacum illæsum discedere.

§. 6. *Qualem verò se Deus exhibuerit erga Abrahamum.*

En Auditores; vidimus in primâ parte hujus historiæ, qualis fuerit Abraham erga Deum, restat altera ut videamus, qualis fuerit Deus erga Abrahamum. Sic ait Dominus; Gen. 22. v. 15. 6. ***Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*** Conveniunt sancti Patres, Deum

his

hus verbis Abrahamo promisisse Messiam, Salvatorem mundi, quasi diceret, Abraham dedisti mihi filium tuum, dabo tibi meum. Filius tuus fuit unigenitus de Sara; meus unigenitus est, ab æterno, de mea substantia & essentia. Immolare voluisti filium, quem diligis; ego meum diligo amore infinito. Non pepercisti, fuisti paratus illum occidere, neque ego parcam. Tu onerasti humeros Isaac lignis; ego ponam supra dorsum filii mei, iniquitatem totius generis humani cum ponderosa Cruce. ipse in altari crucis erit victima. Meministis adhuc vocularum, quas protulit Isaac, Pater mi! Pater mi! scandite montem Oliveti; ecce offert se ad mortem Christus Dominus, sed quàm affectuose hic tristis & sanguineas fundens Lachrymas Jesus, petit sententiam Luc. 22. v. 42. *Pater mi! si possibile est, &c. transeat*, In hoc est ingens differentia, Isaaco parcitum fuit, non filio Dei. De quo Mysterio pulchrè ait Lippomannus, *Deus ait, Abraham, quia non pepercisti filio tuo, propter me; vicissim tibi tradam filium meum, & non parcam ei. Vt enim melior sum, sic tibi amoris signum majus præstabo.* Non permittit Deus se vinci ab homine; quales nos sumus erga Deum, talis est erga nos, & modo longè perfectiori.

§. 7. *Fundamentum Concionis contrahitur, ad virtutem Religionis & Pietatis: quæ est via ad Cœlum.*

Fundamentum hujus meæ Concionis, nimium arenæ exhausit ex mea clepsydra; murus, quem volo superstruere, est Religio & pietas: quales præcipuè in hac virtute sumus, talis erga nos est Deus, S. Joannes Chrysost. hom. 14. in gen. *Si vobis curæ fuerint divina, & ipse quoque Deus pro nobis sollicitus erit, ut magna securitate per pelagus hujus vitæ navigemus.* Christus Dominus ait Matth. 6. v. 33. *quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus.* S. Joannes Chrysost. *Iustitia autem ejus est via pietatis, per quam itur ad regnum*; ad cœlum. in hac autem vita omnia adjicientur vobis; scilicet necessaria ad victum, & juxta promissionem à Moyse factam Deuter. 11. cap. v. 13. *Si ergo obedieritis mandatis meis, & diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei* (Ecce religionem, pietatem, cultum divinum!) *in toto corde vestro, & in tota anima vestra, dabit pluviam terræ. Qua in re pulchrè docemur, tanto melius nobis esse, quanto fuerimus magis ad oculos*

Domini

Domini ſuſpenſi. Præclarè illud à pluvia, tempore ſiccitatis, ſimile, rem noſtram explicat: Enimverò cum omnia in campis torrent æſtu, cum Sirius ardor, lethalem quendam quaſi languorem, frondibus ac floribus, fructibuſque inducit, cum à multis hebdomadis aut menſibus, cœlum quaſi ferreum aut ęre fuſum, omnem negat imbrem ac pluviam; O quàm piis, quàm ſollicitis cœlum oculis identidem aſpicimus! O quoties volantes per aëra nubes intuemur; an fortè ſuos aquarum theſauros in aridam terræ faciem velint effundere. Ita, ita, Auditores mei, ita ſuſpenſos ad oculos Domini nos eſſe convenit! ſi obedierimus mandatis Domini; ſi ejus religionem, cultumque pro viribus promoveamus, ſi oculos in cœlum ac cœleſtia converterimus, tum cœleſtium in nos conſolationum imbres deſcendent, tum arida cordis noſtri terra, ſalutari de cœlo pluvia refocillabitur.

Neque putandum eſt, cujuſque in particulari felicitatem dependere ab hac virtute; regnorum, imperiorum proſperitas comes eſt pietatis & religionis. Lib.7.Polit.c.8.monet Ariſt.in aliqua Rep. *Primum eſt curatio rerum divinarum.* l.5.c.11. oportet Principem res divinas curare ſeriò, & ante omnes. addit pulchram rationem: nam & minus injuſtum aliquid ſperant ab eo Principe pati, quem religioſum, Deorumque verentem exiſtimant; & minus ei inſidiantur, adjutores habenti Deos. alibi ait, Deos proniores eſſe in eos, qui maximè illos colunt. Livius. l.5. *Omnia proſpera eveniunt ſequentibus Deos, adverſa autem ſpernentibus.* Cicero gloriatur orat. de aruſp. reſp. Romanos non calliditate aut robore, ſed pietate ac religione omnes gentes ſuperaviſſe. De Scipione Africano refert Livius l.26. Ex quo togam virilem ſumpſit, nullo die prius ullam publicam, privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingreſſuſq; ædem conſideret, & plerumque tempus ſolus in ſecreto ibi tereret: *atque hoc illi ad hominum commendationem, & imperia maxima valuit.*

§. 8. *Principum & Regum proſperitas pendet ab hac virtute.*

Nepotianum hoc elogio mactat S.Hier. Erat ſollicitus ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi

§. 9. *Encomium Nepotiani.*

janitor creber in porta, si sacrarium mundum, si vasa nitida: in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita; Qui Martyrum reliquias, diversis floribus & arborum comis adumbravit. Macte virtute: cujus talia principia, qualis finis erit. Egesippus. Quo attentior circa templum cura exercetur, eo magis succrescit, sui imperii vigor.

§. 10. *Quare Religio sit eximia virtus. Honorius fuit felicissimus imperator.* Religio est illa virtus, quæ magis de propinquo accidit ad Deum, quàm aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem divinum. Et ideo religio præeminet inter alias virtutes morales; in aliquo regno vel communitate ingentis utilitatis. Orosius l.7.cap.24. Baronius.t.5.referunt de Honorio Imperatore, quod plurimos vicerit tyrannos, Alaricum, Constantem, Maximum, & alios, *ut tandem pax & unitas per universam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita fuerit, & corpus Christi, quod nos sumus, integrata disscissione sanatum fuerit:* verbo, Honorius fuit felicissimus Imperator, *& apparuit, quàm verissimum, atque certissimum sit, tunc Deum curare, atque tueri Principum regna; cum ipsi Principes pro Religione laborant.* S.Aug. l.5. de civit. Dei. c.24. Illos felices reges, & beatos judicat Christiana religio, qui suam potestatem ad Dei cultum, maximè dilatandum Majestati ejus famulam faciunt, qui Deum timent, diligunt, colunt; hos enim appellat felices. non autem qui diutius imperarunt, vel filios reliquerunt, vel hostes damnarunt:

§. 11. *Pietas & religio sunt basis & columba regnorum. Illa ruente ruunt regna.* Econtra autem ubi jacet religio, jacet quoque felicitas regnorum. Cum Daniel prædicare voluit ruinam Synagogæ, dixit cap.9.v.27. *Deficiet hostia & sacrificium.* S.Isidorus Pelusiota l.3.ep.249: *ac maximè quidem, per sacerdotii extinctionem, regni quoque & aliarum rerum eversionem simul demonstravit; nam regni basis est Pietas erga Deum.* Nunquam hactenus legi de piissimo & felicissimo Rege Hisp. Phil. II. quod refert Bovenius in annalibus PP. Capuc. ad annum 1590. Religiosissimum ex Ordine illo Patrem in raptu vidisse in cœlis illustrissimum thronum, radiantem gemmis, juxta illum pulcherrimam, columnam, coronatam regio diademate; cogitanti, cujus foret hæc sedes, dixit

illi

illi vox cœlestis, Eam Philippo II. Hisp. Regi, qui etiamnum superstes erat, servari. Columnæ verò mysterio, ipsius in fide Catholica tuenda, ac propaganda pietatem, & constantiam significari. Corruente in aliquo imperio hac columna, omnia ruunt in deterius. 1. Reg. 19. ait Dominus ad Samuelem, usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel. S. Hier. in c. 8. Oseæ. *Quia radicem pietatis non habuit.* Glossa ait, *Saul reprobatus est à Deo, & ab incircumcisis viliter occisus*; quia contra religionem peccavit; quia fuit impius in Deum.

Cum regnum florentissimum Samariæ, incidisset in idololatriam, & proinde devastatum fuisset ab hostibus, ait Oseas c. 8, v. 5. *Projectus est vitulus tuus Samaria.* legunt alii. *Projecit te vitulus tuus Samaria.* Arias Montanus. Significat Israelem, cujus regia fuit Samaria, cornu petitum & projectum esse ab eo vitulo, quem ipse sibi aluerat. Significat autem abductionem & captivitatem Israelitarum, qui propria idolomaniæ culpa à suis sedibus ejecti sunt, perinde ac si cornibus vituli, quem nutrierant (quem adorarant) expulsi & exturbati fuerint. O florens olim Germania! Germania, terror quondam hostium! Germania, invicta in adversis Regina! ubi nunc tua fortitudo? ubi Majestas? ubi decus, & gloria? ubi victoriæ, & triumphi? heu! mutatus est color optimus, squallida tibi modò est facies, color luridus ac mortualis. Quid mirum? projecit te neglectus cultus divini. O Sacrum Imperium Romanum! quis tuas, quibus expositum es, calamitates sine lacrymis commemoret? quàm enervatæ tibi sunt vires antiquæ! quàm fractum robur! quàm labefactata Majestas! Nimirum eo miseriæ, tua te projecit impietas, hi sunt fructus neglectæ Religionis; sic usu venit, cum cultus Divinus incipit desipere.

§. 12. *Unde interitus & devastatio Samariæ. Digressio ad Germaniam.*

Exigit vera Religio, ut peccata publica contra Religionem in aliqua urbe à Magistratu serio puniantur. Fieri potest, ut in aliqua urbe aliqui etiam diebus festis raro compareant in templo, ut palam diebus prohibitis comedantur carnes (est locus pro invectiva, quæ loco, ubi dices, debet accommodari,

§. 13. *Religio punit publica peccata contra cultum Divinum.*

V.G.si venderentur publicè libri hæretici) si pacem, si unionem speramus, in hoc vigil esse debet Magistratus. Rex Clodovæus oppressurus Arianos, cum Turonensem agrum deberet transire cum exercitu, prohibuit in honorem S.Martini ne aliquis militum Rusticis ullum damnum inferret; legis transgressorem statim jussit capite plecti dicens; *Et ubi erit spes victoriæ, si beatus Martinus offenditur?* Muto nonnihil hoc dictum, & dico; si cultus Dei negligitur, ubi spes pacis? si vera Dei Religio non est in amoribus, ubi spes victoriarum in bello? si honor Dei non habetur præ oculis, ubi vera poterit pedem figere felicitas?

§.14. *Qualis quisque in particulari pietate est erga Christum Dominum, talis est ipse ergaquemvis in particulari.*

In tertia parte Concionis, illa quæ dixi, accommodare volui Christo Domino. Talem enim & ipse se erga nos ostendit, quales nos sumus erga ipsum. Testis est sponsa, cum ait; Cant. 7.v.10. *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius.* Hugo Carth. sic explicat hæc verba; *Ego dilecto meo,* id est, *ei meipsam devotè offero.* S.Gregorius ait, spōnsam voluisse dicere, *unum Deum concupisco; respectionis ejus suavitatem, visitationis ejus benignitatem, conversationis dulcedinem, gaudenter experior.* Et talis erga illam fuit sponsus, benignus, dulcis. Cant.3. Sponsa quærit sponsum, addit Rich. de S.Vict. *Multo labore, instantia, & oratione sponsa dilectum invenit, & tandem in cubiculum introducit, dignum enim est, ut post fatigationem tandem requiescat, & dilecto, tot sudoribus & discursionibus apprehenso fruatur, nec facilè ab ejus amore avellatur. Monet ergo sponsus, ne filiæ Ierusalem suscitent à suavi somno, id est, quiete Divini amoris.* Sic sponsus remunerare voluit sollicitudinem sponsæ, amorem cum amore.

§.15. *Id experiuntur animæ sanctæ.*

Cant.2. ait sponsa, v.5. *fulcite me floribus, quia amore languo.* talis fuit sponsa; amavit. Qualem experta fuerit sponsum, mox addit. v.6. *Læva eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* quasi diceret, quàm bonus, quàm dulcis est sponsus meus! quia amo! amat me! quia libenter ipsi adsum, deliciæ illius sunt conversari mecum. Orig. *Tam ingentia bona inde consecuta est sponsa, quia vulnerata amore Dei fuit.* Teste Blosio in monili spirituali cap.18. Christus Dominus dixit personæ sanctæ, de S.Gertrude dum adhuc viveret. *Cum nemo*

hodie.

hodie vivat, qui per puram intentionem, bonamque voluntatem, mihi vicinior atque conjunctior sit, quàm illa; Ego quoque ad nullam animam in carne degentem majori favore inclinor, quàm ad animam illius; unde & nusquam convenientius invenire me potes, quàm in Sacramento Altaris; ac deinde in corde & anima hujus sponsæ meæ. S. Catharinæ Senensi dixit, *Cogita de me, & ego cogitabo de te.* Ludovicus Granatensis mentionem facit fontis, quem si placidis oculis, & in eum semper fixis accesseris, aquam puram invenies. Si ab eo oculos alio deflectas, aut cum altero loquaris, turbidam. Talis fons est Salvator noster. Accedite mortales miseri, ad hunc inquam fontem accedite; bibite ex eo sitibundi; nunquam ab eo oculos, nunquam animos avertite: nihil nobis sit antiquius, nihil carius vero Dei cultu. Sic limpidas semper bibetis aquas, cum lætitia: Sic haurietis aquas cum gaudio ex fontibus Salvatoris. Vera quippe Religio, nil habet turbulenti, pacata sunt hic omnia, omnia tranquilla. Verus Dei Cultus fontem aperit, ex quo qui bibit, sereno semper vultu cœlum aspiciet, nec opus habebit turbidis paludum aquis, nec salsis Oceani fluctibus, nec olentibus stagnorum laticibus. Vera Dei Religio recreat, exhilarat; satiat:



CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.

Joan. 2. cap. Vers. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUggerit tria media, Devotionem, hilarem patientiam, & Orationem, quibus amaritudo matrimonii, converti potest in dulcedinem; spinæ in rosas, aqua in vinum; ut conjugatii vivant vitam lætissimam, Deo acceptabilem.

§ 1. *Sensus literalis horum verborum, Iesus venit ad nuptias.*

AD literam, scimus ex hodierno Evangelio Christum Dominum revera, & corporaliter cum sanctissima Matre sua venisse ad nuptias, quæ habitæ sunt in Cana Galilææ. Hugo Card. *Sed quomodo vocati sunt Iesus & Mater ejus, atque discipuli ejus ad nuptias, cum essent pauperes, quales non solent passim ad convivia vocari?* Respondet; *Credo quod sponsus & sponsa pauperes erant, & ideo pauperes invitarunt, & comparuit Christus Dominus amator pauperum.* Beda ait hac Dominica. Quod ad nuptias venire dignatus est, juxta literam rectè fidem credentium confirmat; & insinuat, quàm damnabilis sit hæresis illorum, qui nuptiis detrahunt. Si enim thoro immaculato, & nuptiis debita castitate celebratis, culpa inesset, nequaquam Dominus ad has venire voluisset; osor omnis iniquitatis, & amator Castitatis, etiam in conjugatis. Ad literam, primo miraculo in nuptiis voluit manifestare gloriam suam.

In sen-

In sensu mystico pulchrè ait S. Augustinus tract. 7. in Joannem, *Quid autem mirum, si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? habet enim hic sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit, Spiritum Sanctum.* S. Hugo Card. ait, *Nuptiæ quoque sunt inter Deum & hominem, quæ quotidie celebrantur in hominis justificatione, & conversione peccatorum.* In istis nuptiis convertuntur aquæ tristitiæ, in vinum spiritualis lætitiæ; in his nuptiis sunt tria bona matrimonii. Scilicet fides, id est, fidelitas, ne Christo dimisso, adulter, id est, diabolus admittatur, ad thorum humani cordis. Item proles bonorum operum; gratia sanctificans, amicitia cum Deo, sed væ illis Matribus, quæ proprios filios occidunt, labendo in peccatum mortale, quod est destructio & eversio illius fidelitatis, & obedientiæ, & amoris, quem debemus Deo & sponso nostro Christo Jesu. Tertium bonum matrimonii est, inseparabilitas, ut sicut uxor & maritus separari non possunt, ita etiam anima nunquam separetur à Christo Domino. Hæc tria in statu matrimonii, fidelitas, fœcunditas, consequenter ordinatus amor prolium, cura & sollicitudo illas benè educandi, inseparabilitas mutui amoris; germinans ex amore pax & concordia; hæc & talia, pulcherrima mihi suggerunt documenta, quæ animo optimo, ex corde bono, conjugatis & iis qui matrimonium inire cogitant, proponam: Rogo, ut consueta me benevolentia dicentem audiatis. *§. 2. Sensus mysticus, & Concionis ex illo propositio.*

Experientia docet, in florido horto Matrimonii, inter lilia & rosas (utuntur hoc modo loquendi aliqui ex sanctis Patribus) crescere etiam spinas; id est, non carent conjugati tribulationibus & afflictionibus, desunt sæpè multa, etiam vinum in nuptiis. Quam primam conjugatam, ob lapsum in peccatum hac sententia condemnavit Dominus, Gen. 3. v. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Gravissimæ hæ sunt pœnæ, quas sentiunt conjugati; amaritudines, miserias, dolores, mutuam & gravem servitutem. S. Paulus has difficultates exponit his verbis. 1. Cor. 7. c. v. 33. *Qui cum uxore est, sollicitus* *§. 3. Conjugatos, ipse Deus condemnavit ad multas miserias.*

est,

est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Putat S. Doctor Angelicus Apostolum hac sententia proponere quatuor magna onera status matrimonialis. Primò. *Vinculum conjugale,* sive inseparabilitatem, quomodocunque vivant. *qui cum uxore est* maritus verbi gratia alligatus catto malæ mulieri, vel contra uxor alligata molosso, sive rixoso viro; & tamen necesse est ut simul vivant. Secundo *sollicitudinem,* quâ conjuges dies noctesque vexantur, circa negotia hujus mundi, circa temporalia, circa necessaria ad victum & vestitum, *sollicitus est quæ sunt mundi.* Tertio est *privatio libertatis,* sive mutua & necessaria subjectio, præsertim mulieris erga maritum, tanquam caput: sed & maritus obligatus est, ut conetur facere, quæ placeant uxori. O servitutem! Quartò *est divisio cordis & cogitationum,* est quædam interna inquietudo, ob plurima adversa, quæ cum patientia tolerare oportet. S. Augustinus propterea nuptias & matrimonium vocavit, *fluctivagam tempestatem.* l. 11. in gen. S. Thomas subdit explicationi verborum S. Pauli, quæ ante citavi, *Magna amaritudo in domo est uxor tristis.*

§. 4. Miserias matrimonii S. Paulus vocavit. Tribulationem. Tribulatio v. G. viri est mulier querula.

Super verba S. Pauli 1. Cor. 7. 18. *Si autem acceperis uxorem non peccasti. Et si nupserit Virgo non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* ait Theophylactus, *sollicitudines in matrimonio, & mœrores obvenientes, tribulationem vocat.* S. Thomas in glossa, *Matrimonio conjuncti habebunt carnis tribulationem, quia imminet eis anxietas mentis; & labor corporis, circa provisionem domus & prolis.* Retinete bene has voculas, tribulatio, amaritudo, anxietas, mœror, sollicitudo, labor, afflictio. Est v.g. in domo mulier querula, die Dominica vel festo revertitur ex templo domum maritus, prima salutatio conjugis est, O te præclarum virum! Vidisti nostram vicinam in templo? Vidisti qualem Domina Caia capitis ornatum circumtulerit? Vidisti, quàm eleganti togâ & damascenâ quidem illa alia vicina nostra, ad spectantium voluptatem glorietur? quàm mihi vilis est, quàm attrita, quàm lacera togula? O mi marite! an non advertisti, quàm nitidè capita fœminarum ambiant, vela illa ex holoserico nigra! quàm venusta sunt aliarum passim mulie-

rum

rum collaria, quàm ampla, quàm honesta, quàm magnifica! Ego verò omnibus his carere cogor ornamentis, sat video, contemptui me potius à te haberi, quàm honori. pudet me propemodum prodire in publicum; ecquid enim peior mea esset, quàm aliarum, quæ in eodem statu versantur, mulierum conditio? Cogita, marite, an non causas habeam, & tristandi, & conquerendi, justissimas. Sic illa. Alias vix maritus redit domum; cum querula uxor lamentatur, & ubi fuisti? nunquid in illa domo? nunquid vidi te loquentem illi ancillæ? Testor conscientias vestras anxias, miseri in multis mariti; O quot devorare vos oportet fastidia, quot verba aspera, inepta, stulta: quot verbera & vulnera vobis infligit, una malæ conjugis lingua! nolo infandos renovare dolores; video vos vestro isto silentio, veritatem hujus orationis quasi tacitè comprobare. Status vester, status est tribulationum.

Terribilis sanè tribulatio! uxor, vel est pauper, vel dives, vel est formosa, vel deformis. alere pauperem est tribulatio; subjectum esse diviti, æquè magna afflictio: fœminæ divites non raró sunt superbæ, arrogantes, insolentes, ambulatrices, tales uxores nonnulli vocant *infernum viri*; mitius ego loquar; puto saltem esse *purgatorium*. Fœminæ fœdæ non libenter contemnuntur: proinde taceo; ipsi mariti tacere coguntur. De pulchrâ ait S. Hier. *difficilè custoditur, quod plures amant*; nihil tutum est, cogitate, an uxores, qualescunque sint, non sint tribulatio viri? §. 5. *Item uxor pauper, dives, formosa, deformis.*

Vertite folium; est v. g. maritus Zelotypus: & quid est, tribulatio, anxietas, mœror in corde uxoris. Maritus est compotator; hæret in multam usque noctem in popinis, dilapidat substantiam domus, patiuntur interim uxor & liberi famem; O anxietas bonæ conjugis! Maritus, addictus est chartarum lusui, addictus aleis, addictus omni levitatum generi. O tribulatio uxoris! maritus tauri instar indomiti, furit ac sævit, susdeque vertit omnia; fulgurat, tonat, fulminat, sternit, prosternit obvia quæque, & obvios. Compatior tibi miseranda conjux! compatior & vobis miserandæ proles, quæ verè panem §. 6. *Similis fiat inductio contra viros.*

vestrum comeditis in angustiis, in tribulatione, in doloribus.

§. 7. *Non ideo debent terreri conjugati. Amaritudinem matrimonii possunt convertere in dulcedinem. & primo quidem per devotionem.*

Non est quod conjugati propterea terreantur; quod S. Bernardus ait ser. 1. de Dedic. Eccl. *Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam amaritudo nostra dulcissima*; idem verissimum est de statu matrimonii. Hoc inprimis fieri potest per veram devotionem; ut prima conjugatorum cura sit Deo servire. Pulchrè meo judicio S. Thomas hoc observavit 2. 2. q. 82. a. 4. *Hinc habes, quod non sunt devotæ personæ, quæ communiter tristes ac sylvestres nesciunt conversari cum aliis, nisi perturbentur aut dissolvantur. Nam devotæ personæ sunt hilares, lætæ in animo suo.* Hoc monitum piissimis aliis verbis sic explicat sapiens Ecclesiastes cap. 9. v. 7. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Hæc profectò non est parva tribulatio viri, cum uxor aliis scit conversari, non marito; cum aliis se reddit affabilem atque amicam, torvam verò & quasi efferam marito: cum alios blandis intuetur oculis, cum iis grato oculorum nictu annuit, atque innuit; maritum verò tanquam amico indignum lumine aversatur. Quid hoc obsecro nisi tribulatio, angustia, tormentum, calamitas? Laudat & vult sanctus Paulus, ut maritus placeat uxori, & contra, si complacentia hæc mutua germinet ex altiori radice, ut ante omnia simul placeant Deo, ut proinde maritus caveat graviter offendere Deum; idem caveat uxor; ut procurent ne filii vel famuli id faciant: si deinde accedant opera pia, si comitetur sobrietas, si accedat humilis ac frequens oratio, næ talis vita erit longè dulcissima: nunquam ibi deerit vinum; talibus adsunt Jesus & Maria. Ante octiduum laudavi Scipionem Africanum, quod nunquam iverit ad Senatum, antequam sollicitus esset, ut ex Diis intelligeret, quæ sibi agenda forent, & circa rempublicam, & rem domesticam. pulchrè applica.

§. 8. *Deinde per lætam patientiam.*

Tribulationes, quæ necessariò occurrunt, invicem portandæ sunt in patientia & hilaritate, ut ait S. Paulus. De S. Romualdo fuit dictum, *Vultu adeo læto semper erat, ut intuentes hilararet.*

raret. O si tales oculos, talem faciem haberent mariti, erga suas conjuges, & contra, quàm multa matrimonia forent alia. In communi dixit Spiritus Sanctus Ecclesiastici 30. v. 22. *Iucunditas cordis, hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis* (benedictionis, suavitatis) *& exultatio viri est longævitas; id est* (ait glossa) *humanæ vitæ conservativa.* hæc verissima sunt de matrimonio; ejus vita, & perfectio, & prosperitas, consistit in jucunditate cordis; quæ inde nascitur. Primò quod Deum ament. Secundò, quod amore sanctissimo ament se mutuo; cum fidelitate; hic amor, hæc fidelitas sunt thesaurus indeficiens; & conservant diu vitam, proinde gaudet maritus uxorem diu vivere, & contra. Nam, (ait glossa) *tristitia est passio mortificativa; lætitia vivificativa.*

§. 9. *Quare Christus Dominus in nuptiis aquam converterit in Vinum.*

Proinde inter causas, ob quas Christus Dominus in hodiernis nuptiis aquam convertit in vinum, hanc numerant; Vinum in sacris literis est symbolum hilaritatis, lætificat cor hominis; ut itaque innueret, hoc gaudium conjugatis plane esse necessarium, recreavit illos optimo vino. Cap. Prov. 17. v. 22. ait, *animus gaudens ætatem floridam facit; Spiritus tristis exsiccat ossa.* cap. 25. v. 20. *nocet cordi sicut vermis ligno.* S. Greg. l. 31. mor. c. 31. Tristis ex propinquo habet iram. Omnia hæc verissima sunt de statu matrimonii. Spiritus tristis, aufert omnes conjugii flosculos, decerpit rosas, solas in matrimonii hortulo spinas, solos relinquit aculeos. Spiritus tristis, omnia in partem explicat sinistram; mille suggerit suspiciones, mille curas injicit, omnem aufert quietem, consolationem, delicias. Sed iterum moneo cum S. Thoma, *Gaudium ex amore causatur.* Prima radix omnis boni in matrimonio est verus amor. Si hæc radix sit dulcis, fructus quoque dulces sunt; amari, si illa est amara.

§. 10. *Mulier læta & suavis, facile componit iras viri.*

Mulier suavis, læta, facillimè potest placare iram mariti; l. 1. Reg. c. 16. ait v. 23. *Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus:* hoc faciunt uxores prudentes, cum subinde advertunt motus spiritus mali, apprehendunt cytharam, canunt, loquun-

tur suaviter, labia stillant melle, ita maritus mox componitur. Si nequam uxor apprehendat furcam, vel claves, vel cultrum, quid miramur, si furere pergat spiritus malus. Sed vertamus folium. sæpè uxores possidentur à spiritu malo, sæpè redivivæ videntur circumquaq; discurrere Furiæ infernales, ita tonant, jurant, execrantur, blasphemant; nectunt convitia convitiis, clamores clamoribus, imprecationibus juramenta. Quid hic factu opus? age, mi bone marite, cedendum est aliquid tempori, dandum nonnihil impudentiæ mulieris, quæ teste Paulo, vas est infirmius; non semper in meritos vibrat fulmen Jupiter; quandoque parcit, abit, dissimulat. Age, citharam prehende, sermo lenis, mansueta oratio, vox affabilis multas componit turbas: sæpè suavitas sermonis in fugam vertit spiritum illum nequam: tentanda hic ea primum, quæ blandiora sunt media; deinde, si nihil ea proficiunt, ad acerbiora licebit descendere.

§. 11. Matrimonium reddit Sanctum & dulce Præsentia Iesu, quam oportet impetrare per orationem, huic conjugati debent esse dediti.

Ut amaritudo matrimonii vertatur in dulcedinem, opus est præsentia Jesu, quod fit per studium orationis; ut tantum onus, & jugum conjugati ferant in patientia, charitate & hilaritate, debent roborari & confortari à Deo, quod auxilium non experientur, nisi per orationem. Scimus! Jesum iturum in passionem prius ardentissimè orasse in horto, in monte Oliveti; *Quod nobis est documento, ut cum mens vult in crucem conscendere, multum incumbat orationi, & lacrymis, supplexque se prosternat in conspectu Dei, ut roboretur & custodiatur.* Inquit Elias Ab. orat. 13. Non puto ipsos conjugatos, plerosque saltem negare posse, matrimonii statum esse quandam crucem; fieri potest levissima, si dediti sint orationi, si devoti, si majoribus festis confiteantur & communicent. Hoc didici experientia, cum subinde tristes & afflictæ uxores proferunt querelas justas contra maritos (dixi justas, neque enim facilè in hac materia credendum est, vel enim rem augent, vel demunt, vel addunt, vel planè mentiuntur.) Tum interrogare soleo, age! estne maritus tuus devotioni addictus? estne orationis amans? an templa libenter frequentat? an matutinis juxta ac vespertinis precibus

con-

conſtanter dat operam? Eſtne ſodalis? Reſpondent; O Pater, de precibus quid interrogas? quid de cultu Dei? quid de frequentatione Eccleſiæ? vix intra quatuor aut quinque ſeptimanas ſemel intereſt ſacro Miſſæ ſacrificio; vix unquam in anno audit concionem; nec manè nec veſperi debitas Deo preces perſolvit; nulla hic devotio, pietas nulla, nulla religio. Ridet, ſi quid hac de re mentionis in ſermonem incurrat, exſibilat, & quaſi commenta aut aniles fabulas explodit, quæ paſſim à vobis Eccleſiaſtis ex verbo Dei de inferni pœnis, de ſevero Dei judicio pro Concione dicuntur. Auditis hoc mariti? crediderim ego, non eſſe omninò falſa omnia, quæ veſtræ vobis paſſim uxores objiciunt. Ut ut ſit, hoc mihi exploratum eſt, potiſſimas conjugii anguſtias ac tribulationes ex eo potiſſimum fonte promanare, quod vel maritus, vel uxor non ſint prout oportet devotioni, orationique, ac rerum ſacrarum ſtudio addicti.

Plures alias rationes afferunt ſancti Patres ob quas Chriſtus Dominus tam ardenter oravit in horto. S. Thomas ait, *Oravit ut daret nobis exemplum, ut in tribulatione recurramus ad Dominum.* S. Laur. Juſtinianus de triumph. Chriſti agone. c. 6. *ut ſuo nos exemplo in amaritudine poſitos, ad orationem, tanquam ad ſingulare pra[illegible]m, invitaret.* Meminiſtiſne adhuc vocularum, *tribulationis, amaritudinis, doloris, miſeriarum?* ut conjugati illas ſupportare poſſint, debent in orationem incumbere. Super verba illa Davidis Pſ. 108. v. 4. *Ego autem orabam.* cum retuliſſet quantas ſentiret adverſitates, pulchrè ait Dion. Carthuſ. *Hoc eſt ſcutum patientiæ famulorum Chriſti* (dicamus nos conjugatorum) *in omni injuriatione ad orationem recurrere, ne ad impatientiam moveamur, ſed in omni adverſitate conſtantes reddamur.* Conjugati ſemper præ oculis habeant exemplum B. Virginis, cum vinum defuit, acceſſit mox filium ſuum, eidemque neceſſitatem humili oratione propoſuit.

§. 12. *Alia cauſa, propter quas conjugatis frequens eſſe debet oratio.*

Inter Symbola viri doctiſſimi vidi heri cytharam, coronatam pulcherrimo ſerto ex floribus. lemma eſſe poteſt, *Victrix concordia.* Conjugati amantiſſimi; obtuli vobis nuper pro xe-


§. 13. *Symbolum Cythara Coronata.*

I 3 nio

nio elegantem carbunculum, radiantem guttis pretiosissimi sanguinis Salvatoris; permittite, ut illi hodie insculpam hoc symbolum, Coronatam Citharam. Talis cithara est vera pietas & solida devotio. Talis cithara est, jucunditas cordis; chordæ sunt, hilaritas in oculis, lætitia in fronte, suavitas in linguâ Talis cithara est hilaris patientia; talis cithara est devota Oratio, chordæ sunt, rosaria, pia suspiria cordis, his ludite citharis; & matrimonia vestra erunt coronatæ rosis & liliis; vitam vivetis jucundam, Deo acceptam & amabilem; vitam vivetis longævam, in amore, in pace, in concordia. Panem vestrum comedetis in lætitia, vinum vestrum bibetis cum gaudio, quia opera vestra placent Deo; in præsentia Jesu & Mariæ, qui delectantur sono hujus musicæ. Sed! ah! & diabolus inter quosdam conjugatos ludit citharis; tales citharæ sunt, ira, odium, rixæ, contentiones, maledictiones, blasphemiæ, adulteria, horrenda scelera, ad sonum talis musicæ, nunquam matrimonium aliquod erit coronatum rosis, sed spinis; non erit paradisus, sed infernus in hoc mundo, & præludium æternæ damnationis.

§.14. *Apostrophe ad Iesum & Mariam* JESU amantissime! (ad te enim tandem se se mea convertit oratio) tu hodie nuptias in Cana Galilææ, benedictâ tuâ præsentiâ, non honorâsti tantùm, sed & lætificâsti; ah! honora quoque, visita, lætifica & nuptias & conjugia omnium, qui hâc in urbe vivunt, in tribulatione & angustiâ conjugum; vides ut desit illis vinum lætitiæ; O Maria! quæ causa nostræ lætitiæ diceris, age iterum advocatam miserorum, dic Filio tuo dilecto, Fili mi! mi Jesu! en isti conjuges, vinum non habent veræ lætitiæ; non coronantur rosis, sed spinis; Fili mi! tuâ iterum opus est gratiâ, tuâ benedictione, tuâ clementiâ! Ita fiet, ut tribulationes, convertantur in delectationes, dolores in amores, tædia in gaudia, fastidia in solatia, ærumnæ in lætitiam sempiternam. Amen!

CON-



CONCIO IIX.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, si vis, potes me mundare.

Matt.8. cap. v.2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars explicat sensum hujus orationis; Domine! si vis. Altera proponit causas, ob quas à B. Patribus, vocatur Oratiuncula perfectissima.

MAteria præsentis Concionis, tam ampla & copiosa, tam utilis & proficua, tam suavis & jucunda, non permittit mihi, ut longiori præfatione præscripti temporis angustias fallam: moneo tantum, velle me *§.1. Breve Exordium, vel, propositio Concionis.*

prima

primâ parte Concionis exponere vobis sensum brevissimæ orationis, quâ in hodierno Evangelio usus fuit leprosus, *Domine si vis.* In alterâ adducam causas, ob quas sancti Patres ejus precationis excellentiam adeò extollunt: Necessitas me coget, ut & me & vos in profundam divinorum Judiciorum abyssum demergam, evademus tamen atque eluctabimur. Divina voluntas est regia stella & pulcherrima Cynosura, quæ orationis meæ cymbam, ad felicem & optatum portum deducet. Vos interim Auditores me sine timore sequimini.

§. 2. *Oratiunculam hanc Christus Dominus, nos docuit, & ipse fuit usus.*

Brevem, sed perfectissimam oratiunculam leprosi in hodierno Evangelio, *Domine si vis, potes me mundare,* varii aliis verbis & diversis phrasibus, atque loquendi modis variarunt. Ipse Christus Dominus in oratione Dominica ejus usum nobis commendavit, his verbis, Matt. 6. v. 10. *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*; & certum est Christum Dominum continuò, toto vitæ tempore, omni momento, dies & noctes sic suspirasse ad Patrem; *Ita Pater! fiat voluntas tua.* Dum sacer textus Evangelistarum nobis refert, prolixam ejus orationem, quam iturus in mortem fecit ad Patrem in monte Oliveti, non alia exprimit verba Christi Domini, quàm hæc, Luc. 22. v. 42. *Pater! si possibile est, transeat à me calix iste; veruntamen non mea, sed tua fiat voluntas*; quid aliud significant verba leprosi, Domine si vis. S. Gertrudi, hæc oratiuncula, *Dulcissime Iesu in omnibus fiat sanctissima tua voluntas,* tam fuit familiaris, ut eam per diem ac noctem 363. & ore, & ex toto corde pronuntiarit; non habet alium sensum hæc oratio, quàm hunc; Mi Jesu sicut vis.

§. 3. *Eadem utuntur personæ piæ; præsertim inter oscula crucifixi.*

Incidi ante paucas septimanas in latinum libellum cujus titulus est, septem actus optimæ præparationis ad sanctam & felicem mortem. Spero meos sodales illum translatum in linguam germanicam habituros pro xenio, circa festum Virginis Purificatæ: supponit is pro fundamento illam devotionem, qua animæ sanctæ piis osculis dissuaviari consueverunt quinque rosea Vulnera Crucifixi, & præsertim vulneratum Caput spinis coronatum. Quodvis osculum exigit actus eximiæ alicujus virtutis; Verbi gratia, osculum capitis perfectam resignationem

tionem cum ſimilibus ſuſpiriis: Mi Jeſu! adoro venerabundus ſacroſanctum caput tuum! in obedientiam indictæ ab æterno Patre mortis inclinatum; & tuæ erga paternam voluntatem ſubjectioni adjungo meam: ego quoque caput meum inclino. Ita! ita! ſi vult Deus fiat; Salvatoris mei exemplo, ſanctiſſimæ divinæ voluntati, ſine ulla retractione me totum permitto. Adoranda illa, & ſummè amabilis voluntas, in me, & per me, nunc & in æternum expleatur Amen. S. Gertrudis ſic ſolita fuit orare, l. 3. in fin. c. 30. Ecce Domine cor meum! abſtrahe illud potens & bone Jeſu ab omni Creatura, & ego offeram illud tibi integra voluntate, ut tu illud abluas in virtuoſa aqua ſanctiſſimi lateris tui, & decentiſſimè exornes illud in pretioſo ſanguine dulciſſimi cordis tui, ac tibi convenientiſſimè coaptes in aromatico vapore divini amoris & cordis tui. Tales nimirum gratias à Deo petit, qui cum leproſo ex toto corde ait, *Domine ſi vis*; ut cor ſuum, lotum & ornatum in ſanguine D. N. Jeſu Chriſti, totum uniatur cum divina voluntate; & hoc in evaporatione divini ejus amoris, & voluntatis, quâ Chriſtus Salvator noſter, ſe totum obtulit in manus, voluntatem & diſpoſitionem Patris cœleſtis. *Pater! ſi vis! tranſeat calix; ſed non ſicut ego volo &c.*

Semper cum voluptate lego aureum dictum gentilis Senecæ; *Omnium nobiliſſima, altiſſimaque res eſt, ita caſus omnes excipere, ac ſi ad tuum nutum accidiſſent; & ſane ad id obligatus eſt homo, ſciens hanc eſſe voluntatem Dei.* S. Macarius rogatus, quiſnam eſſet modus orandi perfectiſſimus, reſpondit, non eſt opus verborum copia, dicite ſæpè, ſed ex toto corde, *Domine Deus, quomodo vis, & ſicuti tibi placet, ita fiat.* Ludovicus Bloſius ait, plane ſuper omnia Deus à nobis exigit, ut noſtram voluntatem illi penitus offeramus; permittamus ipſum facere, quidquid volet. O perfectisſimam ſine dubio oratiunculam, *Domine ſi vis!* quiſquis enim ex corde ſic orat, ſuadente Seneca, ita caſus omnes excipiet, ac ſi ad ſuum nutum contigiſſent. Talis cum Bloſio voluntatem ſuam Deo ex aſſe totam tranſſcribit: talis cum Macario, verbis non prolixis, ſed admodum efficacibus §. 4. *Pulchra dicta, Senecæ, Macarii, Lud. Bloſii.*

orandi, & coram Deo perorandi methodum tenet. talis cum Seneca identidem, omnia sibi fluere è voto, fortunamque suis quasi obsequiis, in singula penè momenta, ancillari, cum gaudio experitur.

§ 5. *Pia paraphrasis particulæ si.*

In pio libello, qui dicitur Palma spiritualis, inter actus resignationis hunc invenio, qui particulam *si* ex hodierna oratiuncula leprosi non ineleganter exponit, sic enim ait anima sancta ad Christum Dominum. Totus in te resignatus offero me paratum, ad acceptandum à potentissima tua manu, quidquid mihi acciderit, in hac vita, sive prosperum, sive adversum fuerit; quare; si vis me vivere, placet vivere, si vis me mori, contentus sum. Si vis me sanum, accepto sanitatem, si infirmum, infirmitatem; si locupletem, divitias; si pauperem, volo paupertatem; si honorabilem, placet honor; si inhonoratum, non abhorreo ab ignominia; vis me habere consolationem, & illam volo; si desolationem, ea me non terret; si me vis esse in gratia apud homines, volo & ego; si vis in odio, orabo pro inimicis & in persecutionibus te laudabo. Refert Canadensis Hist. Neophytum M. talia dixisse. vide pulchrum locum de heroica resignatione l. 5. f. 409. in fine; & fine istius libri. Puto vos clarissimè intelligere, quis sit sensus hujus perfectissimæ oratiunculæ, ***Domine si vis***, sive, ***Domine fiat voluntas tua***; nunc altera Concionis parte laborabo ut intelligatis causas, ob quas, res tantæ perfectionis sit, velle in omnibus, quod vult Deus.

§ 6. *Unde orialur difficultas Resignationis?*

Ingens est difficultas in hac subjectione; quæ inde nascitur, quod antequam voluntas id faciat, intellectus se debeat captivare, ut assentiatur rebus, quæ rationi humanæ sunt & inscrutabiles, & incomprehensibiles; certissimum est Deum esse admirabilem in consiliis suis; nihilominus dicere oportet, ***Bene omnia fecit, facit, & faciet*** in omnem æternitatem! Fundamentum discursus, quem exordior, est irrefragabile: posuit illud Spiritus Sanctus per sanctum Paulum ad Rom. 11. v. 33. ***O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*** Cajet. ***Utitur exclamatione admirationis, ut etiam ex modo loquendi, propriam fateatur ignorantiam.***

tiam. & qui nos sumus, O homines, ut Dei consilia scrutemur? Sap.9.v.16. *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu nostro sunt* (id est, subjecta sensibus, & in aperto, ut legit Hugo Card.) *invenimus, id est, cognoscimus cum labore, quæ autem in cælo sunt, quis investigabit?* Ideo, regius Psaltes exclamavit Ps. 91.v.5. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.* S. Augustinus hic. *Revera fratres mei, nullum mare tam profundum est, quàm est ista v.g. cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent. Nihil tam profundum, nihil tam altum, ubi naufragat omnis infidelis,* omnis curiosus scrutator divinæ voluntatis. Eremita quidam in agone, post vitam sanctè transactam. *Sed O terribile Dei judicium! & profundam summæ districtionis abyssum!* In hoc verò mari, in hoc profundo, in hac altitudine exclamare, Domine si vis! quomodo vis! ut malis in hoc mundo sors bona foveat? bonis autem invideat? *Fiat*: ut innocentes premantur ærumnis, vexentur calumniis, injuriis, ceu pane quotidiano pascantur; cum interim scelerati quique optatis potiantur honoribus! *Fiat*: enimverò, talis intellectus captivatio, talis demissio in Majestatis Divinæ arbitrium, voluntatis affectio, non potest non Deo ter Optimo Maximo mirum in modum placere.

Ps.35.v.7. ait David, *Iudicia tua abyssus multa.* Ps.32.v.7. variat phrasin, *Pones in thesauris abyssos.* S. Basilius fatetur se modum loquendi non intelligere, *Communi sententia congruere magis videbatur, si dixisset, ponens in abyssis thesauros,* mox tamen dubio suo his verbis satisfacit; *Hæc omnia ubi inciderint menti tuæ, fac memineris, quod judicia Dei sunt abyssus, & abyssus multa, & quod in divinis recondita sunt, & inclusa thesauris, nec quibusvis facilè comprehensibilia.* S. Augustinus l.2. de persev. fassus fuit, Fateor me non invenire, quid dicam & quid aliud in multis respondere poterimus, *nisi hæc ad divina judicia pertinere! Dei occulto, justo tamen judicio omnia contingunt, neque inscrutabilia scrutari, neque investigabilia vestigare conemur.* Fluctuare subinde, & jactari in alto, in profundo, in mari profundarum cogitationum de consiliis Dei, de mirabilibus eventibus, quos oculis cernimus,

5.7. *Iudicia Dei abyssus multa: ex profundo hujus abyssi clamare oportet, Fiat &c.*

& non ſubmergi; ſed apprehenſo crucifixo, veluti aliqua tabula, oſculari caput ejus; & inclinare caput ſuum, & dicere, ita mi Deus! ita mi Jeſu! ſi vis! fiat! Pſ. 118. v. 137. *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum. cum* Cajet. *Occulta ſunt nobis judicia Dei, quoad eorum rationes in ſpecie; in genere autem ſcimus quod juſta ſunt.* A biennio vicinæ nobis regiones puniuntur peſte! benè factum eſt. fortasſis eodem & nos caſtigabimur flagello! *fiat!* Quis non advertit, rem arduam eſſe ſic captivare intellectum, ſic ſubjicere voluntatem? ideo quoque hæc virtus eſt excellentisſima, ideo ſummè perfecta eſt hæc oratio, *Domine ſi vis &c.*

§. 8. *Varia admirabunda quæſtiones de Divinis Iudiciis.* In abyſſum dubiarum cogitationum de divinis judiciis iterum incidit S. Aug. quando cum lacrymis & piè querulis ſic fuit allocutus Chriſtum Salvatorem, quid igitur benedicte Domine Jeſu? quod populus iſte tibi tam devotus, pedum tuorum adorare volens veſtigia, loca venerabilia, quæ tuâ præſentiâ corporali conſecraſti, per manus eorum, qui te oderunt, paſſus es interire, O mi Jeſu! ut terra ſancta ſit captiva, ligata catenis miſerrimæ ſervitutis ſub Turcarum tyrannide. Innoc. IV. cum S. Ludovicus in terrâ ſanctâ infeliciter pugnaſſet, ſcripſit illi epiſtolam conſolatoriam anno 1250. inter alia habet apoſtrophen ad Chriſtum Dominum, & quomodo, ajebat, *mi Ieſu, tam Severus eſſe potes in Regem tantum, tamque egregium honoris tui zelatorem? in Regem, cui ipſa ſua corona regia, imò vita ac ſanguine charior eſt gloria tua! in Regem! qui non pro acquirendis vani mundi opibus ferrum ſtringit, ſed pro miſeris hominum captivorum animis ex ſervitute Turcica, in verè auream,* hoc eſt, *Chriſtianam libertatem aſſerendi?* O mi Deus, magna huic ineſt ænigmati obſcuritas! ænigma tamen eſt, nobis tamen mortalibus non ſat probè perſpectum, ſuo tamen auctore dignum. Mira ſunt judicia Dei; Minores ſumus nos, viles terræ filii, quàm ut Regem Regum, Deum inquam altisſimum, in judicium vocare auſimus. Sed! novæ me fatigant cogitationes. Æterne Deus! ut ſubinde in floridiſſimis regnis, verus Dei cultus, vera religio, Romanæ Eccleſiæ ritus funditus extirpentur; Mi Deus! ut aliquem Jacobum diligas, ut aliquem Eſau odio perſequaris! Ut aliquis Nabucho-

buchodonoſor reſipiſcat, ut alius cum obſtinato Pharaone in mari ſubmergatur! ut aliqui flagellis emendentur, alii in malo indurentur! ut unica eademque medicina, ut pretioſum balſamum ſanguinis crucifixi, uni infirmo proſit ad vitam, alteri cedat in mortem! ut unus latronum ad latus Chriſti rapiat Paradiſum, alter præcipitetur in infernum! Ut Judas ſe ſuſpenderit, Petrus amare fleverit. quis non exclamet cum regio pſalte ex Pſ.65.v.5. *Terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum.*

§.9. *Quid illis ſit reſpondendum.*

Inter fluctus talium cogitationum hac ſe ratione fuit conſolatus S.Auguſt. Verè *Domine, judicia tua abyſſus multa, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Innoc.IV. Regi ſcripſit, *Quis dixerit judicium hoc quantumlibet durum, iniquum eſſe?* S.Bernard.l.2. de conſid.auſus fuit dicere; *Et quidem Iudicia Dei vera, quis neſciat? at judicium hoc abyſſus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare boatum, qui non fuerit ſcandalizatus in eo. Quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè valet comprehendere?* Res hæc eſt periculoſiſſima; hoc eſt tutum, hoc laudabile, hoc Deo gratum, hic eſt nucleus perfectionis & ſanctitatis, in tali abyſſo clauſis oculis ambabus tamen ulnis ſtringere brachia Salvatoris, jungere cor ſuum cum corde crucifixi, inclinare cum illo caput, oſculari ſpinas, & dicere, mi Jeſu! ſi vis ut terra ſancta in impiis juratorum tuorum hoſtium manibus verſetur, *Fiat!* Vis etiamnum opprimi innocentes à perfidis? *Fiat!* Vis plura adhuc Chriſtianorum millia in miſerandam abduci ſervitutem? *Fiat!* Vis barbaras illas gentes victricibus armis triumphare in terris fidelium? *Fiat!* Tu noſti Deus quid factu opus. Tu, quid fieri conveniat, quidve ſit è re noſtra intimè habes perſpectum. *Fiat! fiat!* mi Deus! quod vis & ſicut vis. Afferam millies, nos perfectiori oratione uti non poſſe, cum reliquas omnes virtutes, fidem, ſpem, charitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam in excellentiſſimo gradu neceſſariò includat.

§ 10. *Periculoſum eſt ſcrutari abyſſum di-*

Hanc abyſſum divinorum judiciorum velle curioſius ſcrutari eſt periculoſum. Cum Eva in paradiſo nollet guſtare pomum pulcherrimæ arboris, eo quod Dominus illud prohibuiſſet, di-

vinorum judiciorũ. Talem curiositatem suggerit Diabolus.

ſet, dixit ſerpens Gen.c.3. v.1. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* S.Greg.M.l.24. mor. *Idem quotidie agit hoſtis humani generis.* S.Petrus Dam. *Hæc prima ſerpentis verba ſunt ad mulierem; his ſibilis Draco teterrimus in cor ejus venena ſtillavit.* Venenoſa vocula eſt, *Cur? ſi in ſcrutandis* Divinis judiciis illa utamur: *diſcat homo* (ait S.Chryſoſt.hom.22.in gen.) *non convenire humanis mentibus, curioſius ea, quæ à Deo fiunt, explorare, ſed credere his, quæ dicuntur.* S.Bern.ep.77. *Sacramentum Dei altiſſimum* (in quacunque diſpoſitione) *ſuſcipiendum, non diſcutiendum: venerandum, non dijudicandum: fide ſortitum, non innata traditione ſancitum, non adinventum ratione.*

§ 11. *Nemo appropinquet huic monti.*

Super verba illa Exodi 19. v.12. *Cavete ne aſcendatis in montem, morte morietur &c.* eleganter ait Lippomannus: Mandat Deus Iſraelitis ſeveriſſimè, ne quis in montem aſcendat, ut hoc præcepto avocet ipſos, à curioſitate inveſtigandæ eſſentiæ & formæ Dei; & aſſuefaciat ipſos audire potius, quæ ſint verba & mandata ejus, quàm ſcrutari, quæ ſit forma ejus: & obſervare magis quod loquitur, quàm, quomodo loquatur. Pſ.67.v.3. David in curioſos hanc pronuntiavit maledictionem, *ſicut deficit fumus, deficiant.* S.Aug. ſer.109. *Quare fumo comparati ſunt? quia fumus erigit ſe, extollit ſe tanquam in cælum, ſed quanto fit ſuperior, tanto facilius evaneſcit & diſperit.* Ad Rom.1.v.21. *evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.*

§.12. *Judicia Dei ſunt obvelata. Sunt nubes gravida tonitruis. Sancta arca.*

Refert Plutarchus in curioſiſſimo libro de curioſitate, portaſſe aliquem neſcio quid in corbe, involutum panno; cum nonnemo interrogaret, quidnam portaret? reſpondit, amice, *ideo obvelatum eſt*, ut ſcilicet non ſcias. Idem auctor cum egiſſet de ſecretis Principum, ſubdit, *fugæ nigram iſtam, & condenſantem ſe nubem: ſenties tonare ac fulgurare, ſimul atque eruperit quod nunc latet.* l.1. reg. c.6. v.19. ſeptuaginta millia hominum occiſa ſunt; *Eo quod vidiſſent arcam Domini.* Cajet. *quia indigni erant, ut viderent arcam tam ſanctam.* Talis ciſtula eſt abyſſus divinorum judiciorum. Miramur vicinos noſtros V.G. flagellari peſte; occurrunt populi alii, de quibus cogitamus hos talia

talia flagella potius mereri; quare ergo? cur? quid est hoc? amice! ideo obvelatum est, ideò ænigma, ideo mysterium est. Obstupescimus, hæreticos sæpenumero præteriri à divinæ justitiæ gladio, cum is interim in Catholicis regnis, oppidis ac vicis, stringatur à Cherubino quopiam in miserorum mortalium exitium. Ecquid sibi vult hæc disparitas? annon Lutherani æque ac Catholici, annon æquè etiam Calvinistæ, an non etiam perfida gens Judæorum suos habent nævos, sua scelera, suas libidinum sordes, suas abominationes execrandas? habent profectò, atque utinam non plures essent nec fœdiores; Criminum maculæ, quibus omnes illi quotidiè contaminantur. Et tamen his parcit vindex Dei manus, non Catholicis! Quale est hoc obsecro mysterium. Siste, mi homo, hic non Plato, sed ipse jubet Deus quiescere. Judicia Dei abyssus multa; noli in eam te temerè conjicere. Suo singula tempore, quæ nunc sunt tenebris involuta, & quasi ænigmatum velo contecta, in clarissimam Divinæ Veritatis justitiæque lucem ac laudem evadent. Abyssus judiciorum terribilis est nubes! solet tonare fulgurare! ego appropinquare non desidero, sed in talibus cogitationibus apprehendo crucifixum, ruo in ejus amplexus, & dico, si vis Domine. Arcas sanctorum Vulnerum non cupio intueri, ut ibi videam thesauros absconditos judiciorum Dei, sed amoris! sed bonitatis! sed misericordiæ! inter quas sanctissimas cogitationes, dico ex intimo corde, mi Jesu! fiat sanctissima tua voluntas. Seraphini stantes coram arca, sive throno Dei, duabus alis velarunt faciem suam, clamantes *Sanctus*! Is. 6. v. 3. *Metuentes scilicet & erubescentes ad vultum gloriæ magni Dei* ajunt interpretes. Cum ita nos præcipitamus in abyssum judiciorum Dei, clausis oculis; cum in consideratione mirabilium dispositionum magni Dei, clamamus, sanctus! dum cum leproso dicimus, *Domine si vis*. dum, cum Christo Salvatore, *fiat*! Seraphinos imitamur! & ad altissimum gradum sanctitatis, atque perfectionis ascendimus; imò immensæ gloriæ. hæc vocula mihi suggerit Epilogum.

Justissi-

§.13. Epilogus. Justissimam timoris causam cuivis, qui amat salutem, incutere potest, hæc sententia S. Petri Dam. *Etsi enim videmus in præsenti, quo gradimur, ignoramus tamen quo fine cursus noster claudatur, patet via, qua teritur. Sed occultum est quo pervenitur.* Si securi velimus pervenire ad cœlum, adhæreamus divinæ voluntati. Finio Auditores, & dum finio, hoc unum denique vos rogo atque obsecro, ut, cum felicibus esse singulis nostrum liceat, modo libeat; hanc vitæ beatitudinem omni curâ ac studio consectemur. Dicamus indies, dicamus centies, dicamus millies, Domine si vis & sicut vis. Exclamemus sæpenumero, Fiat mi Jesu, fiat, non perversa mea, sed tua sanctissima voluntas. Cœca est mea, tua oculatissima. Obliqua est mea, tua rectissima, terrena est mea, tua cœlestis: mea denique imperfecta, misera, perversa, tua nobilissima, sapientissima, perfectissima. Sic loquar vivens, sic dicam vigilans, sic dormiens somniabo, sic tandem moriens aspirabo, mi Jesu fiat voluntas tua!



CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus magnus factus est in mari.

Matt.8.cap.v.24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SEnsu mystico, tempestuosum mare, est hoc sæculum, ut loquitur S. Augustinus.

§.1. *Probatur hoc ex SS. Patribus.*

§.2. *Summa aliqua Orbis Capita agnoverunt amaritudinem hujus mundi, v.g. S. Greg. M. Clemens VIII. Adrianus IV.*

§.3. *Carolus V. Antigonus Rex Macedoniæ.*

§.4.

§.1. *Sæculum hoc sive Mundus est tempestuosum mare. Probatur ex SS. Patribus.*

TEmpestuosum mare, cujus hodiernum Evangelium meminit, symbolum est hujus mundi, in quo nos mortales vivimus. S. Aug. in ps. 39. *Hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam: habet fluctus tribulationum: habet tempestates tentationum, habet homines velut pisces se mutuo deverantes*; quam puto causam esse, quod primam vocem *nascens homo emittat plorans,* Sap.7. v.3. Nemo etiam ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Tertullianus l.de an.c.19. *Mentior si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum testatur se sensisse, atque intellexisse, quod natus est.* Seneca l.de consol. ad Polybium c.23. *Nonne vides qualem vitam nobis natura promiserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit.* Elegantissimè S.Cyprianus l.de bono Pat. *Vnusquisque nostrum cum nascitur, & hospitio mundi hujus excipitur initium sumit à lacrymis; & quamvis adhuc omnium nescius, & ignarus, nihil aliud novit, in illa ipsa prima nativitate, quàm flere. providentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu & gemitu, rudis anima protestatur.* S.Ambrosius l.2.de voc.gent. c.8. *Vitæ principium, morbis exordium est; nec prius augeri incipit ætas, quàm minui.* Modi-

eo verò tempore quo vivimus in hoc mundo, quo jactamur in hoc mari, vita nostra non est nisi labor & miseria. Hom.17. in Matth. S. Joannes Chrysostomus videtur mihi non posse invenire verba sat multa & satis significativa, quibus exprimat hunc mundum similem esse tempestuoso pelago. Sic ibi explicat verba illa Christi D. ad Apostolos; Marc.1. v.17. *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum*, id est, *faciam vos Doctores, ut cum reti verbi divini comprehendatis homines de mundo, hoc falso, & fluctuabundo, & tempestuoso, & instabili, & perfido, & semper periculoso, & nemini unquam tuto, ubi homines non ambulant, sed feruntur quasi nolentes à fluctibus passionum.* Conabor hac concione magis in particulari declarare miserias, aliasque proprietates hujus mundi. Et quorum vita vel conscientia ita sit perturbata, ut continuò quasi jactentur in mari. Scopus dictionis erit, ut tempestive amores & affectus nostros ab illo abstrahere, eoque tutius naviculam nostram ad portum gloriæ æternæ dirigere laboremus.

§ 2. *Summa aliqua Orbis capita agnoverunt amaritudinem hujus mundi. v.g. S. Greg. M. Clemens IIX. Adrianus IV.*

Hoc ego in lectione historiarum non rarò admiror, etiam divites; etiam in magnis honoribus constitutos, etiam deliciis innutritos, imo Principes, reges, & summa Orbis capita, mundi hujus fallacias & amaritudinem agnovisse. S. Gregorio Magno, cum Deo ita volente, ad Pontificatum fuisset evectus varii Archiepiscopi & Episcopi illi de tanto honore, magnificis literis fuerunt aggratulati; Ille verò Patritio alicui Romano in hæc ferè verba respondit, l.1. ep. c.6. *Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam. Oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident; triste est, quidquid aspicitur. Quidquid delectabile creditur, mihi lamentabile apparet.* Ruth.1.v.20. *Nolite ergo me vocare Noemi*, id est, *pulcrum* (ob purpuram, ob tiaram triplicem, ob summam orbis prælaturam) *sed vocate me maram, quia amaritudine plenus sum.* Anastasio Episcopo Antiocheno respondit loco cit. c.7. *Me miserum! qualem quietem perdidi! ex tranquillissimo portu delatus sum in tempestuosum mare, in quo, multis causarum fluctibus quatior, & tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita ut rectè dicam, ex* ps.68. v.3. *Veni in altitudinem maris, &*

tempe-

tempestas demersit me. Cum Clemens VIII. cum P. Hieronymo Xavier Generali Ordinis Prædicatorum, de miseriis hujus mundi ageret in sancto colloquio, dixit illi prudentissimus Pontifex, *Toto tempore mei pontificatus, non memini mihi fluxisse unicam horam, qua non aliqua amaritudine, vel sollicitudine fuerim, quasi in alto mari, jactatus.* Adrianus IV. teste Vincentio Belluacensi in spec. hist. l. 29. c. 3. dixit, *In sede pontificia tantas & tam varias inveni miserias, ut facta collatione præsentium, tota præterita amaritudo, jucunditas, & felicitas fuerit. Spinosa est cathedra summi Pontificis.* Talia nobis reliquerunt testimonia Orbis Monarchæ.

Carolus V. fortunatissimus fuit Imperator, & simul Rex Hispaniarum. Refert tamen Nicolaus Monardes illud illum tristitia sæpe obrutum, sæpe exclamare cum gemitu auditum fuisse, O mortales! & sæpe gemitu suspirasse, O mortales! si sciretis, quam misera sit Regum conditio. De aureis enim Regum catenis acute dixit Philo, *Cæterum torques aurea, non ad gloriam solum, sed & ad pœnam pertinere videtur; ornamentum in prosperitate, vinculum,* & tormentum *in adversitate.* Ita Antigonus Rex Macedoniæ, cum intellexisset filium ambire regnum, teste Æliano l. 2. de var. hist. illi dixit, *Ignoras fili, regnum nostrum esse quandam nobilem, auream & honorificam servitutem.* S. Aug. advertit in ps. 13. ideo Ægyptum sæpe ponit pro imagine hujus sæculi, *quoniam interpretatur afflictio, vel affligens, vel comprimens.* significat item locum tenebrosum sc. qualis est hic mundus. Et Regibus tandem, licet potentissimi sint, nihil magis timendum est quam infelix mors S. Petrus Dam. *Nunquid & ipsis Regibus, à quibus mundus iste diligitur, & quibus captiosa fraude blanditur, non quanto ocyus in amaritudinem vertitur? Vt nimirum hodie, qui ex hostibus victoriæ signa reportet, triumphalis eum gloriæ pompa præcedat; & cras illum ignobiliter terga vertentem, hostilis mucro transfodiat.* Ante paucos annos toti terrarum orbi, qualem tragœdiam cum Rege suo exhibuit Anglia? Crudeles Turcæ, quot jugulaverunt Imperatorum filios & fratres. Crudelior tyrannus est mors, quæ nulli prorsus Regi vel

§. 3. *Carolus V. Antigonus Rex Macedoniæ.*

gi vel Principi parcit. Omnes fatalis moriendi necessitas involvit. Omnes debent mori. Sui amatores non sinit esse quietos.

§ 4. Dictum Regis Sueciæ, Gustavi Adolphi.

Rex Sueciæ, Carolus Gustavus, generosissimus heros sapientissimo dicto hanc veritatem confirmavit; Nam cum nobilem Germaniæ urbem victor fuisset ingressus, vidit & audivit civitatis incolas & cives demisso in plateis poplite fausta sibi omnia apprecari, id quod adeo Regi displicuit, ut belli ducibus dixerit: *Quid agunt? putantne me esse Deum aliquem? O quam decipiuntur! Omnes sumus mortales! animusq. meus ferrum est. Sed regium hoc corpus, vitrum est;* Timeo incipere fortunam! paucis post diebus in prælio ad Lipsiam, hoc vitrum duplici glande confractum fuit! Occubuit Rex fortissimus. Sic cum regibus ludit fallax hic mundus! sed relinquo reges qui vocem meam non audiunt.

§. 5. Divitum corda sunt mare turbatum, quia divitiæ, non sinunt illos dormire vel quiescere. Patet in Divite Evangelico Luc. 12.

Divites in hoc mundo habentur beatissimi; in aureis enim naviculis videntur navigare per pelagus, hujus sæculi; sed Spiritus S. per Ecclesiastem c. 5. v. 11. ait, *saturitas divitis, non sinit eum dormire* S. Cypr. ep. ad Donatum. *Suspirat ille in convivio, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri, & possideri magis, quàm possidere divitias.* Cor divitis plerumque est turbatum mare; ideo dives ille Luc. 12. v. 17. dixit; *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* S. Ambr. ser. 81. Quis talem non *misereatur? Angustatur abundantia, constringitur & coarctatur opulentia; ager ei, non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores; terra, ei non fructuum copiam, sed curarum molestias germinavit. Egeni vox est ista, quid faciam? Dives iisdem cruciatibus pro sollicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate torquetur.* Cum Imperatori Sigismundo ex Hungaria allata essent 40. m. aureorum, præ cura & sollicitudine, quomodo ea impenderet dormire non potuit, advocatis itaque belli ducibus ait ecce hi crudelissimi hostes & carnifices somnum mihi eripiunt, accipite & inter vos dividite, ut mihi tranquille dormire liceat.

Curas

Curas divitum Christus D. Luc.8.v.7. propterea vocavit *Spinas*, & ut exprimat quàm misere, inter quas angustias vivant in hoc mundo, ait illos *à divitiis suffocari.* Explicat hoc verbum S.Greg. M. hom.15. in Evang. *Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & possessores suos afflictos faciunt.* S.Bernardus utitur hoc verbo l.5. de Consider. *Nonne hoc est, perpetuo tundi?* Experientia docet mille divitibus occurrere curas, & inquietudines, proinde bene dicunt sancti Patres, & hodierni Evangelii Interpretes, illos vivere in hoc mundo, veluti in tempestuoso pelago. O quot illos curarum stimuli torquent, vexant, exagitant! illos præsertim divites, qui & nummis, & vitiis sunt locupletes! jure illos martyres dixerim, qui per omnia tormentorum genera, internis cruciantur angustiis. Ite miseri, non invideo vestras vobis opes; à quibus tamen, in curis, mœroribus, timoribus, nullam prorsus opem sperare potestis.

§.6. Christus D. ait illos suffocari inter spinas.

Narrat nobilis quidam Concionator, se anno 1640. in Italia vidisse senem, per cujus os patulum dum fortè dum dormiret in corpus subingressus est serpens, miserabilis deinde fuit ejus vita. Vultus pallidus, frons horribilis, suffusi oculi, labia distorta, nigri dentes, rauca vox, clamores horrendi præsertim dum sentiret interiora corrodi à serpente; aliquam sensit quietem, cum bibit lac, quo furia rodentis intus serpentis, nonnihil fuit mitigata. Non addit historia, quam diu vixerit miserabilis hic homo; sed ita exclamat; O divites! O filii hominum; O amatores hujus sæculi! si divitias, si voluptates; si mundum hunc magis ametis, quàm Deum Creatorem vestrum; si ob varia peccata mortalia sitis hostes Dei! hoc scitote, vestræ divitiæ &c. illa peccata, sunt serpentes in cordibus vestris, qui non sinunt vos quiescere. Talis serpens dies noctesque rodit inquietam conscientiam; de adolescente ingrediente ædes impudicæ fœminæ ait cap.9.v.18. Proverb. *ignorat, quod ibi sint gigantes.* Clemens Alexandr. l.3. pædag. c.11. sic legit, *Miser autem nescit, quod serpentes apud illam habitent.* Simili ferè modo frequenter decipimur. Divites pronuntiamus beatos, & ne-

§.7. In tragica historia, veluti speculo, ostenditur vita Divitum & impiorum.

ſcimus, vel non cogitamus, quod in cordibus illorum habitent ſerpentes. Exclamamus beatos, qui excelſum dignitatis faſtigium conſcenderunt; & ignoramus, quod ceu ſolem umbra, ita honorem comitentur timores. nolim ego tantillos honorum fumos, tanto curarum, dolorum ac ſollicitudinum præmio coemere. Gratulamur ſæpius illis, quibus lautior fortuna opiparam quotidie menſam inſtruit, qui fruuntur hujus mundi deliciis, & non perpendimus, inter menſarum lautitias, etiam inferri animæ anguſtias; non cogitamus inter ferculorum apparatus etiam animorum conſiſtere cruciatus.

§. 8. *Confirmatur ex c. 24. Jobi; divitiæ, deliciæ, ſunt vermes.*

Videtur hoc voluiſſe inſinuare S. Job. c. 24. 22. *Dulcedo illius vermes*, id eſt, divitiæ divitis in quibus delectatur ſunt vermes; voluptates ſunt vermes; præſertim ſi cum peccatis mortalibus connexæ ſunt. Quia verò natura vermium eſt, inquit S. Greg. M. l. 16. mor. c. 29. *Momentis ſingulis inceſſanter moveri*, hinc fit ut cor impii inſtar maris, à ventis variarum cogitationum continuo moveatur & turbetur continuo. Hinc *non eſt pax impiis, dicit dominus.* Iſ. 57. v. 21. Septuaginta legunt, *Non eſt gaudere impiis*. S. Hieron. *Impiorum nullum eſt gaudium, & nulla parte requieſcunt.* Hominem iracundum S. Joannes Chryſoſt. hom. 41. in acta, his verbis alloquitur. *O pœnas! cur perſeveras in ira, ut ſemper te punias, ſemper te flagelles? Quare beſtiam in viſcera tua includis? melius eſſet viperam, vel ſerpentem in corde poſitum eſſe quam iram.* Quis prohibebit, quo minus utar his verbis & dicam, O filii hujus ſæculi! O avari! quid perſeveratis in amore inordinato divitiarum; Itane voſmetipſos odio proſequimini? itane vos in vaſtiſſimum curarum labyrinthum ex quo vix unquam licebit evadere, confertis? itane miſeri in tenebricoſos timorum, dolorum, ac ſuſpicionum carceres voſmet ultro conjicitis? Quid vobis proderunt deliciæ, tot inter anguſtias? quid una roſula, mille ſtipata ſpinis, mille dolorum aculeis circumdata?

§. 9. *S. Auguſtinus pro ca[l]iſpiculo*

Super verſum 20. pſalmi 36, *quia peccatores peribunt*, S. Auguſtinus facit mentionem alicujus hæretici Donatiſtæ, qui tandem relictis ſociis, venit ad Catholicos, cum magna ſpe, ſe promo-

movendum propterea ad magnas dignitates; sed quia id non contigit, in tantam incidit tristitiam, ut S. August. dicat, *Gemebat saucius, & non consolabatur, erant enim in conscientia ejus equulei horribiles, taciti, sive* occulti. *Videbamus & dolebamus vehementer, Deus scit, tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta.* Ostendite vos mihi Aud. aliquem hominem, qui, ut S. Paulus loquitur, vult dives fieri, quibuscunque mediis. Ostendite mihi aliquem arrogantem, vel adolescentem, qui ingreditur per semitam voluptatum; ostendam ego vobis hominem, qui sæpe gemit, quem sæpe nemo consolari potest; ostendam vobis adolescentem in cujus conscientia latent horribiles equulei, acutissimæ spinæ, tormenta acerbissima, vermes diu noctuque corrodentes, &c. verbo, ostendam vobis tempestuosum oceanum. His adjungo pulcrum dictum ejusdem S. Aug. l. 3. contra literas Petiliani. *Si conscientiam mordet veritas criminis, quid illi prodest, si laudetur à mundo, si sit dives* &c. *Hæc enim merè externum est, illud intimum.* In corde habitant serpentes.

Proponit Hæreticum aliquem Donatistam, miserè afflictum.

Pulcherrimum simile reperi apud S. Ephrem Syrum quo explicat miseram vitam alicujus mundani hominis. *Omnis mundana & profana voluptas* ait *in amaram conscientiam conjecta quasi parva mellis stilla est, in absynthii dolium refusa.* Quid quæso sunt divitiæ, quid voluptates in homine, cujus conscientia est plena felle & absynthio? sunt melleum aliquod, sed non pelagus, sunt guttulæ tantum mellis, quæ interiorem amaritudinem tollere non possunt. Ideo impius ille ait apud Jobum c. 7. v. 13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus; terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties;* quia, ut ait S. Joannes Chrysost. hom. 20. in gen. *Perpetua in animo ejus tempestas est, & reciprocantes ac contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed & terrore, & formidine plenus.* Sic implentur minæ divinæ, propositæ populo, per Moysen Deuter. c. 28. v. 65. *Non quiesces. Dabit enim tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animum consumptum mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te* (Glossa Interl. *quasi in Cruce.*) *Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices*

§. 10. Amaritudo in corde divitis declaratur pulcro simili S. Ephrem.

dices, quis mihi det vesperam? Et vesperi, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis.

§. 11. *Aliud simile S. Ioannis Chrysostomi.*

Alio simili rem declarat S. Joannes Chrysost. hom. 69. in S. Matth. Supponit autem aphorismum medicorum, Galeni & Hippocratis; qui dicunt; Contingit aliquando, ut externo corpore ægrotantis mirifice temperato, intus exæstuet febris in medullis. Ita, inquit S. Chrysost. cit. *Etsi* multi, *mille voluptatibus abundare videantur, quamvis delectationum flumina illis adesse credantur, multis tamen amarissimis telis perfossi, plerumque jacent.* Confirmat S. Ambr. l. 1. Off. c. 12. *Peccator quamvis foris abundet, deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit.* Videtis gaudia & recreationes peccatoris &c. Interrogate conscientiam ejus. Nonne gravius fœtet omnibus sepulcris? Intueris lætitiam? introspice Ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem. Nil invenies nisi turbatum, & inquietum mare, & scatens vermibus, inter quos, impossibile est, ut habeatur verum gaudium. Terribilis est phrasis S. Thomæ Aquin. l. 5. de erudit. Pr. c. 3. *Qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adjudicatus.*


§. 12. *Speculum vitæ impiæ, fuit impius Saul.*

Impiissimus Saul fuit expertus; & quid deesse potuit ditissimo Regi ad exteriorem felicitatem? cui integri obediebant exercitus? in cujus ærario regii erant thesauri? cui aurea supellex? palatia pulcherrima, vina delicata, cibi exquisitissimi, verbo, Rex fuit Jerosolymæ! *Sed Spiritus Domini malus* identidem *arripiebat Saul.* 1. Reg. 16. v. 23. quem Cajetanus ita describit; Ubi interveniebat duplex passio; altera corporis in motu Spiritus melancholici, mali, id est, nocivi. Altera animi, quoniam ex motis spiritibus melancholicis formabantur in internis sensibus apparitiones extorrentes Saulem; ut tandem pertierit animæ suæ, ut moreretur, imò se ipsum interemerit! Hoc subinde efficit spiritus malus sive malus dæmon, ut inordinatos amatores creaturarum, & peccatores illis timoribus exagitet, cogitationes eorum ita turbet, ita inquietet, ut, etiam ditissimi, felicissimi, nobilissimi violentas sibi inferant manus.

Tragi-

Tragicam historiam refert S. Petrus Dam. l. 2. ep. 15. Cum piissimus aliquis Episcopus (non meminit nominis, locum quoque dissimulat) ad ripam fluminis expectaret cymbam, vidit approperantem in equo Clericum magno impetu ruentem in profundum aquæ. Is Jussu Episcopi, detentus à famulis, exclamavit, quiescite quæso, dimittite me, recedite, quia jussio Regis urget. non est res, quæ differri possit in posterum, Mysterium Regis instat, inevitabilis necessitas imperat. Violenter tamen detractus ab Episcopo deductus fuit in hospitium, in quo dum nocte agitatus ab internis furiis, reperit dolium plenum aqua, *in illud caput immergens, suus ipse tortor effectus, se feraliter enecuit.* Bonus Jesus custodiat omnes à tam malo spiritu. § 13. *Tragica mors scelesti clerici.*

Nostrum est Auditores, ne nimio & inordinato amore erga creaturas, erga divitias, &c. demus occasionem talibus timoribus, talibus anxietatibus, talibus furiis. De Moyse puero refertur, quod cum Pharao illi colludens regiam illi imposuisset coronam. Puer videns imaginem idoli in corona, eam ad pedes suos dejecerit & conculcaverit. Hoc faciamus Auditores, cogitemus, quod dum nobis mundus colludit, illudit; spernamus ejus blandimenta, quæ secum trahunt tot tormenta; honorum coronæ sunt ornatæ idolis: injurius est Deo, injurius sibimetipsi, qui non cum Moyse hæc diademata contemnit, calcat execratur. De S. Martina V. M. cujus hodie festum, celebramus, dicitur, quod in agone voce cœlesti fuerit invitata ad cœlum. Vultis & vos eo evocari? terram dimittite, dimittite quidquid cœlum nobis auferre potest: dimittite, quidquid auream mentis quietem conturbare valet; dicite cum Psalte regio, mihi autem adhærere Deo bonum est, non mundi opibus, non cruentis illis sanguisugis, non illis barbaris animorum lictoribus, non curis mundi atque angustiis; sed soli, in quo solo, sola ac vera quies est, Deo soli, in quo solo est vera tranquillitas, amori Divino. § 14. *Epilogus.*



CONCIO X.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Exiit conducere operarios in vineam suam.

Matt,20.cap. v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ADducit graves aliquot rationes, & causas, ex parabola Evangelii, de Operariis in vinea, ob quas planè improbabile est, (imo erroneum & hæresis) solam fidem sine operibus sufficere, ad obtinendum denarium, sive mercedem æternæ gloriæ.

§.1. *Pestilentissima hæresi solam fidem sufficere ad salutem, opponitur Parabola hodierni Evangelii.*

§.2. *Prosopopæia pigri operarii, ad herum suum.*

§.3. *Similis Prosopopæia alicujus Lutherani ad Christum D. Iudicem.*

§.4. *Præcipua Adversariorum objectio[illegible] S.Paulo.*

§.5. *Quapositapriores bina Prosopopæia, alia tertia ex sacra pagina exornantur.*

§.6. *Non soli flores, sed etiam fructus faciunt arborem bonam.*

§.7. *Elegans testimonium S.Eugenii.*

§.8. *Alia Prosopopæia, non pigri tantum, sed nequam operarii.*

§.9. *Prosopopæia nequam Lutherani ad Christum D.*

§.10. *Pænitentia Davidis, non fuit tantum verbalis, sed actuosa: talis debet esse fides nostra.*

§.11. *Doctrina Lutheri tribuit sceleribus magnam impunitatem.*

§.12. *Denarius æterna gloria, non est purum donum, sed præmium.*

§.13. *Piissima adhortatio S. Hieronymi ad Demetriadem.*

Hære-

HÆresis & error hoc tempore periculosissimus; & causa, origo atque noxia radix gravissimorum scelerum; & quod inde sequitur, ruina (heu dolor) plurimarum animarum, est illa doctrina, quæ docet, solam fidem in Christum, exclusis operibus bonis, sufficere ad salutem. Teste S. Aug. l. de fide & operibus cap. 14. hæc hæresis non est nova, sed incepit tempore Apostolorum, eo quod aliqui non intellexerint dicta aliqua S. Pauli; quæ causa fuit, cur aliqui Apostoli, S. Petrus, S. Joannes, S. Jacobus, S. Judas, contra tales interpretes scripserint suas epistolas, quas proinde etiam moderni hæretici ferre non possunt. Talis interpres S. Pauli fuit Eunomius, de quo S. Aug. de hæresibus cap. 54. scribit; *Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio, & perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* De aliquibus hæreticis sui temporis ait S. Hieron. in c. 4. Oseæ. *Per dulces sermones decipiunt infelices. Cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt; Nihil aliud quærit Deus nisi fidei veritatem, quàm si custodieritis, non curat quid agatis.* Has hæreses renovavit Lutherus in suo libro de capt. Babyl. *Non alia via potest cum Deo homo convenire, aut agere, nisi per fidem; opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere.* Addit operando nos derogare gloriæ Dei & meritis Christi Salvatoris. Pestilentem & execrandam hanc doctrinam, ad cujus solummodo verba, multorum horrent aures, aliqui mitigant, dum dicunt, opera bona non quidem mereri vitam æternam, requiri tamen, ut testimonia & ornamentum veræ fidei in Christum D. His hæreticis semper acriter se opposuit Ecclesia Catholica, ut rupes immobilis, præsertim in ult. Concilio Trident. sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, anathema sit*, can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evang. præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, anathema sit.* can. 20. *Si quis dixerit hominem tantum obligatum esse ad credendum &c. anathema sit.* Est materia

§. 1. Pestilentissima hæresi solam fidem sufficere ad vitam æt. opponitur parabola hodierni Evangelii.

teria latissima. Ego hac Conc. ex parabola hod. Evang. afferam graves aliquot rationes, quas si homo prudens absque tamen passionum præjudicio bene perpenderit spero me per Dei gratiam effecturum, ut saltem judicet, Rationi conformius esse, Etiam ad fidem pia opera requiri. Vos me id probantem tantisper attendite.

§. 2. *Prosopopœia pigri operarii ad herum suum.*

Quid putatis Auditores? si quis operarius ex vinea vesperi rediret domum, & diceret Patrifamilias; Domine, ego tota hodierna die fui in vinea tua; sed fateor veritatem, nihil laboravi; ob ardores solis aliquot horis sub umbra delitui, quievi, dormivi; reliquum verò tempus fabulando consumpsi; proinde propter laborem meum, denarium sive mercedem exigere non possum. Nihilominus Domine mi! quia credo vineam hanc pertinere ad te, quia credo te illius esse Dominum & quod ipse magno labore, & magnis expensis illam plantaveris; præterea, quia dum vocasti me ad vineam tuam, saltem comparui, & tota die in illa mansi; potissimum verò, quia mitis, bonus & liberalis es Dominus; his titulis exigo mercedem. Si inter meos Auditores præsens est aliquis Acatholicus, sine felle, sine bile, rogo, ut germano & candido pectore respondeat, quid tali operario vel famulo responderet. Ni fallor, dicet mecum, talis servus dignus est stipite, non mercede.

§. 3. *Similis prosopopœia alicujus Lutherani ad Christum D. Judicem.*

Sed nisi etiam in hoc fallor, puto ego, aliquem Acatholicum, qui credit, solam fidem in Ecclesia Christi sufficere ad salutem, sine alio labore, aliave cooperatione, similibus plane verbis aliquando dicturum in vespera vitæ, in agone supremo ad Christum D. Judicem: Domine Clementissime, annis viginti vel triginta vixi in vinea tuæ Ecclesiæ; fui Christianus; baptizatus sum in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. magni deinde feci fidem & Verbum tuum Divinum: hoc tamen fateor, non laboravi; in ardoribus concupiscentiæ quievi sub Roseto Veneris & Vanitatis. De bonis operibus non fui sollicitus. non laboravi de jejunio; non de mortificatione carnis, non de observatione mandatorum Dei; doctus fui, hanc humanæ sensualitati esse impossibilem, illa non esse necessaria; proinde etiam hoc

hoc titulo non peto regnum cœlorum, sed Domine, quia in te credidi, fui vocatus, & veni ad vineam tuam; vixi in illa tot annis, in quâ tu triginta tribus annis laborasti, in laboribus & doloribus à juventute tua; fui in vinea, quam tu rigasti sanguine tuo; scio prætereà, & credo, quia miserator es, & multum misericors; misericordiarũ tuarum non est numerus; Salvator mi, memento te pro me in Cruce esse mortuum; his titulis mi Jesu! peto vitam æternam. Nunquid sum pius Lutheranus? sic Lutherus solitus fuit orare; sic hæc verba sonant, absit verum à me hæc infelicitas longissimè; refero tantum illorum verba; in corde aliter sentio; quia certus sum, Dominum dicturum, Matt. 20.v.15. *Serve nequam &c.*

Binæ hæ prosopopœiæ illustrari possunt alia, ex sacris literis; sed moneo prius de testimonio S.Pauli, quo Acatholici præcipuè gloriantur, sumptum esse illud ex epistola ad Rom.c.4. v.3. quod sic habet; *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum; quid enim dicit scriptura* Gen.15. v.6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* v.23. addit. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus.* Capite priori, id est 3. ad Rom. clarius adhuc fuit locutus, v.24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c. ex fide Iesu Christi.* & quis reprehendere poterit Lutheranos, quod utantur verbis S.Pauli, & sequantur ejus doctrinam? Postquam S. Augustinus in præf. super ps.31. verbis S.Pauli opposuit verba S.Jacobi cap.2.v.20. *Vis autem scire, O homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster, nunquid ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* his positis ait S. Aug. *aliqui libenter malè intellexerunt S. Paulum, ne bona opera sequerentur.* Fuerunt homines carnales, & sensuales, osores arduæ virtutis, effeminati, brutalibus passionibus, qui ut sine fræno ruerent in omne scelus, doctrinam pessimam verbis S.Pauli palliarunt; Itaque hos voluit corrigere S.Jacobus, qui nolebant bene operari, de sola fide *præsumentes, & ideo ejusdem Abrahæ opera commendavit, cujus Paulus fidem.*

§.4. *Præcipua Adversariorum objectio ex S. Paulo.*

Et non sunt sibi adversi Apostoli. Nolo modo adducere plurima gravissima testimonia sacræ scripturæ, quæ de necessitate dilectionis, observationis mandatorum, & bonorum operum, æquè loquuntur clarè atque de necessitate fidei. Apud nos Catholicos utrumque requiritur. In quo saltem nos Romano-Catholici sumus feliciores, ditiores, & tutiores, quam sint Lutherani: habemus enim fidem, sed & insuper caritatem, fiducia in Christum ejusque merita gloriamur, sed non ideo nostras quoque virtutes aliaque bona opera negligimus. Jam ad alteram cujus ante memini prosopopœiam accedo.

§. 5. Quæ posita priores dua prosopopæia alia tertia ex sacra pagina exornantur.

Si Abraham, cum Dominus in mandatis ei dedit ut immolaret sibi filium suum Isaac, si inquam Abraham dixisset in corde suo. Credo, quod Dominus hoc imperet; audivi Verbum loquentis Domini, & veneror illud, quia servus illius sum. Sed ut hoc faciam, ut re ipsa obediam præcepto tam difficili, & arduo, ut re ipsa educam filium meum Isaac in montem, ut imponam illum altari, hæc omnia necessaria non sunt: jam ante Deus Gen. 22. v. 18. mihi promisit, in semine meo benedicendas omnes gentes, ab illo scilicet, quem missurus est, ut salvet populum suum: hoc credo, de reliquo vivat filius meus Isaac; salvabit nos Dominus etiam si ipso opere præcepto Domini non obediam, modo credam. Iterum quæro ex aliquo Acatholico, ut germano pectore sententiam ferat, utra fides præstet? Talis, si non voluisset offerre filiũ suum, an vero illa, quam laudat sacra scriptura, quod re ipsa statim surrexerit, quod eduxerit filium suum, quod straverit asinam ad exitum in montem, quod viam una cum Isaaco famulisque inierit; quod ad tale ac tantum sacrificium se omnibus modis compararit; quod montem sibi, filioque fatalem futurum conscenderit, quod in eo lignorum struem composuerit, quod oculos Isaaci sindone obvelarit, quod ferrum strinxerit, quod feralem ictum etiam librarit! dicite, an non hæc universa præstent, sola in Deum, Deique mandatum fide; sine ullo obsequundi decreto, sine ipso ad executionem præcepti apparatu? Huic similis fides Lutheranorum; nostra posteriori; id est, fidei Abrahami; Præter fidem

requi-

requirimus opera; præter flores in arbore, fructus quoque exspectamus.

Cap.7. Cant.v.12. Sponsa sponsum invitat ad vineam; *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Ex hoc loco advertere possumus esse duplicis generis vites. quædam florent, sed flores decidunt, antequam maturescant in fructo. vel aduruntur pruina, vel nimio calore solis decoquuntur, vel corroduntur à vermibus, vel decutiuntur à ventis. Alia vitis est, quæ non tantum floret; sed suo tempore parturit fructus. Contingit frequentissimè, ut dum mense Junio vineam aliquam ingredimur, innumeros videamus flores, in mense verò Septembri paucissimas uvas; non puto esse opus quærere, quænam vinea sit melior? dicent omnes; illa est sterilis, hæc fœcunda, proinde melior. Utra ergo fides etiam erit excellentior? Qui solâ innituntur fide, fateor, vineæ sunt Christi, sed vineæ steriles, vineæ florentes tantum. Sed quid sine fructu flores? crede mihi, ex floribus non extorquetur vinum, ex sola fide, non exprimitur meritum. Et florere simul, & uvas proferre atque ad maturitatem perducere, necesse est. Breviter S.Bernardus ser.51. in Cant. *Fides sine operibus mortua est; sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus.*

§.6. *Non soli flores, sed fructus faciunt arborem bonam.*

Ut bene dixerit, S.Eugenius in l.4. reg. *Fides & opera vinculo sibi quodam indissolubili connectuntur, ubi enim una defuerit, altera penitus non stabit:* Advertite vinculum. ad Eph. ait S.Paulus c.3.17. *Christum habitare per fidem in cordibus nostris* 1.Joann. 4.v.16. dicitur; *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ecce vinculum. 2.Petr.1.v.10: *satagite; ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ecce vinculum. de Maria Magd. ait Christus D: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,*&c. Luc.7. v.47. & v.50. *Fides tua te salvam fecit:* Advertite si placet Christus D.& ejus bonitas! ejus misericordia! ejus merita, Magdalena! & ejus fides! ejus dolor, ejus lacrymæ! ejus oscula! ejus balsamum,&c. omnia simul, colligata faciunt

§.7. *Elegans testimonium S. Eugenii.*

pul-

ſcimus, vel non cogitamus, quod in cordibus illorum habitent ſerpentes. Exclamamus beatos, qui excelſum dignitatis faſtigium conſcenderunt; & ignoramus, quod ceu ſolem umbra, ita honorem comitentur timores. nolim ego tantillos honorum fumos, tanto curarum, dolorum ac ſollicitudinum præmio coemere. Gratulamur ſæpius illis, quibus lautior fortuna opiparam quotidie menſam inſtruit, qui fruuntur hujus mundi deliciis, & non perpendimus, inter menſarum lautitias, etiam inferri animæ anguſtias; non cogitamus inter ferculorum apparatus etiam animorum conſiſtere cruciatus.

§. 8. *Confirmatur ex c. 24. Jobi; divitiæ, deliciæ, ſunt vermes.*

Videtur hoc voluiſſe inſinuare S. Job. c. 24. 22. *Dulcedo illius vermes*, id eſt, divitiæ divitis in quibus delectatur ſunt vermes; voluptates ſunt vermes; præſertim ſi cum peccatis mortalibus connexæ ſunt. Quia verò natura vermium eſt, inquit S. Greg. M. l. 16. mor. c. 29. *Momentis ſingulis inceſſanter moveri*, hinc fit ut cor impii inſtar maris, à ventis variarum cogitationum continuo moveatur & turbetur continuo. Hinc *non eſt pax impiis, dicit dominus*. Iſ. 57. v. 21. Septuaginta legunt, *Non eſt gaudere impiis*, S. Hieron. *Impiorum nullum eſt gaudium, & nulla parte requieſcunt*. Hominem iracundum S. Joannes Chryſoſt. hom. 41. in acta, his verbis alloquitur. *O pœnas! cur perſeveras in ira, ut ſemper te punias, ſemper te flagelles? Quare beſtiam in viſcera tua includis? melius eſſet viperam, vel ſerpentem in corde poſitum eſſe quam iram*. Quis prohibebit, quo minus utar his verbis & dicam, O filii hujus ſæculi! O avari! quid perſeveratis in amore inordinato divitiarum; Itane voſmetipſos odio proſequimini? itane vos in vaſtiſſimum curarum labyrinthum ex quo vix unquam licebit evadere, confertis? itane miſeri in tenebricoſos timorum, dolorum, ac ſuſpicionum carceres voſmet ultro conjicitis? Quid vobis proderunt deliciæ, tot inter anguſtias? quid una roſula, mille ſtipata ſpinis, mille dolorum aculeis circumdata?

§. 9. *S. Auguſtinus pro tali ſpeculo*

Super verſum 20. pſalmi 36, *quia peccatores peribunt*, S. Auguſtinus facit mentionem alicujus hæretici Donatiſtæ, qui tandem relictis ſociis, venit ad Catholicos, cum magna ſpe, ſe pro-

mo-

movendum propterea ad magnas dignitates; sed quia id non contigit, in tantam incidit tristitiam, ut S. August. dicat, *Gemebat saucius, & non consolabatur, erant enim in conscientia ejus equulei horribiles, taciti, sive* occulti. *Videbamus & dolebamus vehementer, Deus scit, tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta.* Ostendite vos mihi Aud. aliquem hominem, qui, ut S. Paulus loquitur, vult dives fieri, quibuscunque mediis. Ostendite mihi aliquem arrogantem, vel adolescentem, qui ingreditur per semitam voluptatum; ostendam ego vobis hominem, qui sæpe gemit, quem sæpe nemo consolari potest; ostendam vobis adolescentem in cujus conscientia latent horribiles equulei, acutissimæ spinæ, tormenta acerbissima, vermes diu noctuque corrodentes, &c. verbo, ostendam vobis tempestuosum oceanum. His adjungo pulcrum dictum ejusdem S. Aug. l. 3. contra literas Petiliani. *Si conscientiam mordet veritas criminis, quid illi prodest, si laudetur à mundo, si sit dives* &c. *Hæc enim merè externum est, illud intimum.* In corde habitant serpentes.

Proponit Hæreticum aliquem Donatistam, miserè afflictum.

Pulcherrimum simile reperi apud S. Ephrem Syrum quo explicat miseram vitam alicujus mundani hominis. *Omnis mundana & profana voluptas* ait *in amaram conscientiam conjecta quasi parva mellis stilla est, in absynthii dolium refusa.* Quid quæso sunt divitiæ, quid voluptates in homine, cujus conscientia est plena felle & absynthio? sunt melleum aliquod, sed non pelagus, sunt guttulæ tantum mellis, quæ interiorem amaritudinem tollere non possunt. Ideo impius ille ait apud Jobum c. 7. v. 13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus; terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties;* quia, ut ait S. Joannes Chrysost. hom. 20. in gen. *Perpetua in animo ejus tempestas est, & reciprocantes ac contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed & terrore, & formidine plenus.* Sic implentur minæ divinæ, propositæ populo, per Moysen Deuter. c. 28. v. 65. *Non quiesces. Dabit enim tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animum consumptum mærore, & erit vita tua quasi pendens ante te* (Glossa Interl. *quasi in Cruce.*) *Timebis nocte & die, & non credes vita tua. Manedices;*

§. 10. *Amaritudo in corde divitis declaratur pulcro simili S. Ephrem.*

dices, quis mihi det vesperam? Et vesperi, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis.

§. 11. *Aliud simile S. Ioannis Chrysostomi.* Alio simili rem declarat S. Joannes Chrysost. hom. 69. in S. Matth. Supponit autem aphorismum medicorum, Galeni & Hippocratis; qui dicunt; Contingit aliquando, ut externo corpore ægrotantis mirifice temperato, intus exæstuet febris in medullis. Ita, inquit S. Chrysost. cit. *Etsi* multi, *mille voluptatibus abundare videantur, quamvis delectationum flumina illis adesse credantur, multis tamen amarissimis telis perfossi, plerumque jacent.* Confirmat S. Ambr. l. 1. Off. c. 12. *Peccator quamvis foris abundet, deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit.* Videtis gaudia & recreationes peccatoris &c. Interrogate conscientiam ejus. Nonne gravius fœtet omnibus sepulcris? Intueris lætitiam? introspice Ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem. Nil invenies nisi turbatum, & inquietum mare, & scatens vermibus, inter quos, impossibile est, ut habeatur verum gaudium. Terribilis est phrasis S. Thomæ Aquin. l. 5. de erudit. Pr. c. 3. *Qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adjudicatus.*

§. 12. *Speculum vitæ impiæ, fuit impius Saul.* Impiissimus Saul fuit expertus; & quid deesse potuit ditissimo Regi ad exteriorem felicitatem? cui integri obediebant exercitus? in cujus ærario regii erant thesauri? cui aurea supellex? palatia pulcherrima, vina delicata, cibi exquisitissimi, verbo, Rex fuit Jerosolymæ! *Sed Spiritus Domini malus* identidem *arripiebat Saul.* 1. Reg. 16. v. 23. quem Cajetanus ita describit; Ubi interveniebat duplex passio; altera corporis in motu Spiritus melancholici, mali, id est, nocivi. Altera animi, quoniam ex motis spiritibus melancholicis formabantur in internis sensibus apparitiones extorrentes Saulem; ut tandem periierit animæ suæ, ut moreretur, imò se ipsum interemerit! Hoc subinde efficit spiritus malus sive malus dæmon, ut inordinatos amatores creaturarum, & peccatores illis timoribus exagitet, cogitationes eorum ita turbet, ita inquietet, ut, etiam ditissimi, felicissimi, nobilissimi violentas sibi inferant manus.

Tragi-

Tragicam historiam refert S. Petrus Dam. l. 2. ep. 15. Cum piissimus aliquis Episcopus (non meminit nominis, locum quoque dissimulat) ad ripam fluminis expectaret cymbam, vidit approperantem in equo Clericum magno impetu ruentem in profundum aquæ. Is Jussu Episcopi, detentus à famulis, exclamavit, quiescite quæso, dimittite me, recedite, quia jussio Regis urget. non est res, quæ differri possit in posterum, Mysterium Regis instat, inevitabilis necessitas imperat. Violenter tamen detractus ab Episcopo deductus fuit in hospitium, in quo dum nocte agitatus ab internis furiis, reperit dolium plenum aqua, *in illud caput immergens, suus ipse tortor effectus, se feraliter enecuit.* Bonus Jesus custodiat omnes à tam malo spiritu.

§ 13. *Tragica mors scelesti clerici.*

Nostrum est Auditores, ne nimio & inordinato amore erga creaturas, erga divitias, &c. demus occasionem talibus timoribus, talibus anxietatibus, talibus furiis. De Moyse puero refertur, quod cum Pharao illi colludens regiam illi imposuisset coronam. Puer videns imaginem idoli in corona, eam ad pedes suos dejecerit & conculcaverit. Hoc faciamus Auditores, cogitemus, quod dum nobis mundus colludit, illudit; spernamus ejus blandimenta, quæ secum trahunt tot tormenta; honorum coronæ sunt ornatæ idolis: injurius est Deo, injurius sibimetipsi, qui non cum Moyse hæc diademata contemnit, calcat execratur. De S. Martina V. M. cujus hodie festum, celebramus, dicitur, quod in agone voce cœlesti fuerit invitata ad cœlum. Vultis & vos eo evocari? terram dimittite, dimittite quidquid cœlum nobis auferre potest: dimittite, quidquid auream mentis quietem conturbare valet; dicite cum Psalte regio, mihi autem adhærere Deo bonum est, non mundi opibus, non cruentis illis sanguisugis, non illis barbaris animorum lictoribus, non curis mundi atque angustiis; sed soli, in quo solo, sola ac vera quies est, Deo soli, in quo solo est vera tranquillitas, amori Divino.

§. 14. *Epilogus.*



CONCIO X.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Exiit conducere operarios in vineam suam.

Matt. 20. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ADducit graves aliquot rationes, & causas, ex parabola Evangelii, de Operariis in vinea, ob quas planè improbabile est, (imo erroneum & hæresis) solam fidem sine operibus sufficere, ad obtinendum denarium, sive mercedem æternæ gloriæ.

§. 1. *Pestilentissimæ hæresi solam fidem sufficere ad salutem, opponitur Parabola hodierni Evangelii.*

§. 2. *Prosopopæia pigri operarii, ad herum suum.*

§. 3. *Similis Prosopopæia alicujus Lutherani ad Christum D. Iudicem.*

§. 4. *Præcipua Adversariorum objectio ex S. Paulo.*

§. 5. *Quæ posita priores binæ Prosopopæiæ, alia tertia ex sacra pagina exornantur.*

§. 6. *Non soli flores, sed etiam fructus faciunt arborem bonam.*

§. 7. *Elegans testimonium S. Eugenii.*

§. 8. *Alia Prosopopæia, non pigri tantum, sed nequam operarii.*

§. 9. *Prosopopæia nequam Lutherani ad Christum D.*

§. 10. *Pœnitentia Davidis, non fuit tantum verbalis, sed actuosa: talis debet esse fides nostra.*

§. 11. *Doctrina Lutheri tribuit sceleribus magnam impunitatem.*

§. 12. *Denarius æternæ gloriæ, non est purum donum, sed præmium.*

§. 13. *Piissima adhortatio S. Hieronymi ad Demetriadem.*

Hære-

HÆresis & error hoc tempore periculosissimus; & causa, origo atque noxia radix gravissimorum scelerum; & quod inde sequitur, ruina (heu dolor) plurimarum animarum, est illa doctrina, quæ docet, solam fidem in Christum, exclusis operibus bonis, sufficere ad salutem. Teste S. Aug. l. de fide & operibus cap. 14. hæc hæresis non est nova, sed incepit tempore Apostolorum, eo quod aliqui non intellexerint dicta aliqua S. Pauli; quæ causa fuit, cur aliqui Apostoli, S. Petrus, S. Joannes, S. Jacobus, S. Judas, contra tales interpretes scripserint suas epistolas, quas proinde etiam moderni hæretici ferre non possunt. Talis interpres S. Pauli fuit Eunomius, de quo S. Aug. de hæresibus cap. 54. scribit; *Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut assereraret, quod nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio, & perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* De aliquibus hæreticis sui temporis ait S. Hieron. in c. 4. Oseæ. *Per dulces sermones decipiunt infelices. Cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt; Nihil aliud quærit Deus nisi fidei veritatem, quàm si custodieritis, non curat quid agatis.* Has hæreses renovavit Lutherus in suo libro de capt. Babyl. *Non alia via potest cum Deo homo convenire, aut agere, nisi per fidem; opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere.* Addit operando nos derogare gloriæ Dei & meritis Christi Salvatoris. Pestilentem & execrandam hanc doctrinam, ad cujus solummodo verba, multorum horrent aures, aliqui mitigant, dum dicunt, opera bona non quidem mereri vitam æternam, requiri tamen, ut testimonia & ornamentum veræ fidei in Christum D. His hæreticis semper acriter se opposuit Ecclesia Catholica, ut rupes immobilis, præsertim in ult. Concilio Trident. sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, anathema sit*, can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evang. præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, anathema sit.* can. 20. *Si quis dixerit hominem tantum obligatum esse ad credendum &c. anathema sit.* Est materia

§. 1. Pestilentissima hæresi solam fidem sufficere ad vitam æt. opponitur parabola hodierni Evangelii.

teria latiſſima. Ego hac Conc. ex parabola hod. Evang. afferam graves aliquot rationes, quas ſi homo prudens abſque tamen paſſionum præjudicio bene perpenderit ſpero me per Dei gratiam effecturum, ut ſaltem judicet, Rationi conformius eſſe, Etiam ad fidem pia opera requiri. Vos me id probantem tantiſper attendite.

§. 2. *Proſopopœia pigri operarii ad herum ſuum.*

Quid putatis Auditores? ſi quis operarius ex vinea veſperi rediret domum, & diceret Patrifamilias; Domine, ego tota hodierna die fui in vinea tua; ſed fateor veritatem, nihil laboravi; ob ardores ſolis aliquot horis ſub umbra delitui, quievi, dormivi; reliquum verò tempus fabulando conſumpſi; proinde propter laborem meum, denarium ſive mercedem exigere non poſſum. Nihilominus Domine mi! quia credo vineam hanc pertinere ad te, quia credo te illius eſſe Dominum & quod ipſe magno labore, & magnis expenſis illam plantaveris; præterea, quia dum vocaſti me ad vineam tuam, ſaltem comparui, & tota die in illa manſi; potiſſimum verò, quia mitis, bonus & liberalis es Dominus; his titulis exigo mercedem. Si inter meos Auditores præſens eſt aliquis Acatholicus, ſine felle, ſine bile, rogo, ut germano & candido pectore reſpondeat, quid tali operario vel famulo reſponderet. Ni fallor, dicet mecum, talis ſervus dignus eſt ſtipite, non mercede.

§. 3. *Similis proſopopœia alicujus Lutherani ad Chriſtum D. Judicem.*

Sed niſi etiam in hoc fallor, puto ego, aliquem Acatholicum, qui credit, ſolam fidem in Eccleſia Chriſti ſufficere ad ſalutem, ſine alio labore, aliave cooperatione, ſimilibus plane verbis aliquando dicturum in veſpera vitæ, in agone ſupremo ad Chriſtum D. Judicem: Domine Clementiſſime, annis viginti vel triginta vixi in vinea tuæ Eccleſiæ; fui Chriſtianus; baptizatus ſum in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. magni deinde feci fidem & Verbum tuum Divinum: hoc tamen fateor, non laboravi; in ardoribus concupiſcentiæ quievi ſub Roſeto Veneris & Vanitatis. De bonis operibus non fui ſollicitus. non laboravi de jejunio; non de mortificatione carnis, non de obſervatione mandatorum Dei; doctus fui, hanc humanæ ſenſualitati eſſe impoſſibilem, illa non eſſe neceſſaria; proinde etiam hoc

hoc titulo non peto regnum cœlorum, ſed Domine, quia in te credidi, fui vocatus, & veni ad vineam tuam; vixi in illa tot annis, in quâ tu triginta tribus annis laboraſti, in laboribus & doloribus à juventute tua; fui in vinea, quam tu rigaſti ſanguine tuo; ſcio præterea, & credo, quia miſerator es, & multum miſericors; miſericordiarũ tuarum non eſt numerus; Salvator mi, memento te pro me in Cruce eſſe mortuum; his titulis mi Jeſu! peto vitam æternam. Nunquid ſum pius Lutheranus? ſic Lutherus ſolitus fuit orare; ſic hæc verba ſonant, abſit verum à me hæc infelicitas longiſſimè; refero tantum illorum verba; in corde aliter ſentio; quia certus ſum, Dominum dicturum, Matt. 20. v. 15. *Serve nequam &c.*

Binæ hæ proſopopœiæ illuſtrari poſſunt alia, ex ſacris literis; ſed moneo prius de teſtimonio S. Pauli, quo Acatholici præcipuè gloriantur, ſumptum eſſe illud ex epiſtola ad Rom. c. 4. v. 3. quod ſic habet; *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; quid enim dicit ſcriptura* Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* v. 23. addit. *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus.* Capite priori, id eſt 3. ad Rom. clarius adhuc fuit locutus, v. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c. ex fide Ieſu Chriſti.* & quis reprehendere poterit Lutheranos, quod utantur verbis S. Pauli, & ſequantur ejus doctrinam? Poſtquam S. Auguſtinus in præf. ſuper pſ. 31. verbis S. Pauli oppoſuit verba S. Jacobi cap. 2. v. 20. *Vis autem ſcire, O homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham Pater noſter, nunquid ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* his poſitis ait S. Aug. *aliqui libenter malè intellexerunt S. Paulum, ne bona opera ſequerentur.* Fuerunt homines carnales, & ſenſuales, oſores arduæ virtutis, effeminati, brutalibus paſſionibus, qui ut ſine fræno ruerent in omne ſcelus, doctrinam peſſimam verbis S. Pauli palliarunt; Itaque hos voluit corrigere S. Jacobus, qui nolebant bene operari, de ſola fide *præſumentes, & ideo ejuſdem Abrahæ opera commendavit, cujus Paulus fidem.*

§. 4. *Præcipua Adverſariorum objectio ex S. Paulo.*

 Et non

Et non sunt sibi adversi Apostoli. Nolo modo adducere plurima gravissima testimonia sacræ scripturæ, quæ de necessitate dilectionis, observationis mandatorum, & bonorum operum, æquè loquuntur clarè atque de necessitate fidei. Apud nos Catholicos utrumque requiritur. In quo saltem nos Romano-Catholici sumus feliciores, ditiores, & tutiores, quam sint Lutherani: habemus enim fidem, sed & insuper caritatem, fiducia in Christum ejusque merita gloriamur, sed non ideo nostras quoque virtutes aliaque bona opera negligimus. Jam ad alteram cujus ante memini prosopopœiam accedo.

§. 5. *Qua posita priori duæ prosopopœia alia tertia ex sacra pagina exornantur.*

Si Abraham, cum Dominus in mandatis ei dedit ut immolaret sibi filium suum Isaac, si inquam Abraham dixisset in corde suo. Credo, quod Dominus hoc imperet; audivi Verbum loquentis Domini, & veneror illud, quia servus illius sum. Sed ut hoc faciam, ut re ipsa obediam præcepto tam difficili, & arduo, ut re ipsa educam filium meum Isaac in montem, ut imponam illum altari, hæc omnia necessaria non sunt: jam ante Deus Gen. 22. v. 18. mihi promisit, in semine meo benedicendas omnes gentes, ab illo scilicet, quem missurus est, ut salvet populum suum: hoc credo, de reliquo vivat filius meus Isaac; salvabit nos Dominus etiam si ipso opere præcepto Domini non obediam, modo credam. Iterum quæro ex aliquo Acatholico, ut germano pectore sententiam ferat, utra fides præstet? Talis, si non voluisset offerre filiũ suum, an vero illa, quam laudat sacra scriptura, quod re ipsa statim surrexerit, quod eduxerit filium suum, quod straverit asinam ad exitum in montem, quod viam una cum Isaaco famulisque inierit; quod ad tale ac tantum sacrificium se omnibus modis compararit; quod montem sibi, filioque fatalem futurum conscenderit, quod in eo lignorum struem composuerit, quod oculos Isaaci sindone obvelarit, quod ferrum strinxerit, quod feralem ictum etiam librarit: dicite, an non hæc universa præstent, sola in Deum, Deique mandatum fide; sine ullo obsequendi decreto, sine ipso ad executionem præcepti apparatu? Huic similis fides Lutheranorum; nostra posteriori; id est, fidei Abrahami; Præter fidem requi-

requirimus opera; præter flores in arbore, fructus quoque exspectamus.

Cap.7. Cant.v.12. Sponsa sponsum invitat ad vineam; *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Ex hoc loco advertere possumus esse duplicis generis vites. quædam florent, sed flores decidunt, antequam maturescant in fructo. vel aduruntur pruina, vel nimio calore solis decoquuntur, vel corroduntur à vermibus, vel decutiuntur à ventis. Alia vitis est, quæ non tantum floret; sed suo tempore parturit fructus. Contingit frequentissimè, ut dum mense Junio vineam aliquam ingredimur, innumeros videamus flores, in mense verò Septembri paucissimas uvas; non puto esse opus quærere, quænam vinea sit melior? dicent omnes; illa est sterilis, hæc fœcunda, proinde melior. Utra ergo fides etiam erit excellentior? Qui solâ innituntur fide, fateor, vineæ sunt Christi, sed vineæ steriles, vineæ florentes tantum. Sed quid sine fructu flores? crede mihi, ex floribus non extorquetur vinum, ex sola fide, non exprimitur meritum. Et florere simul, & uvas proferre atque ad maturitatem perducere, necesse est. Breviter S.Bernardus ser.51. in Cant. *Fides sine operibus mortua est; sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus.* §.6. *Non soli flores, sed fructus faciunt arborem bonam.*

Ut bene dixerit, S.Eugenius in l.4. reg. *Fides & opera vinculo sibi quodam indissolubili connectuntur, ubi enim una defuerit, altera penitus non stabit:* Advertite vinculum. ad Eph. ait S.Paulus c.3.17. *Christum habitare per fidem in cordibus nostris* 1.Joann. 4.v.16. dicitur; *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ecce vinculum. 2.Petr.1.v.10: *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ecce vinculum. de Maria Magd. ait Christus D. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* &c. Luc.7. v.47. & v.50. *Fides tua te salvam fecit.* Advertite si placet Christus D. & ejus bonitas! ejus misericordia! ejus merita, Magdalena! & ejus fides! ejus dolor, ejus lacrymæ! ejus oscula! ejus balsamum, &c. omnia simul, colligata faciunt §.7. *Elegans testimonium S. Eugenii.*

pul-

pulchrum compositum. Omnia requiruntur ad Justificationem non unum sine altero. S.Jac. ait 2.20. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua.* Ecce vinculum ex S.Paulo, cum nomen S. Jacobi non libenter audiant ad Gal.5. v.6. *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides!* sile sanctissime Doctor, satis est, sufficit! non sufficit, nam addit, *sed fides, quæ per charitatem operatur.* Charitas verò non potest esse sine operibus, connectuntur quodam vinculo: hoc bene; fides manere potest in homine sine charitate; sed non contra. Hæc est ociosa; illa actuosa. Et per utram obtinebimus regnum cœlorum? respondeant mihi prius adversarii ex parabola hod. Evang. Uter operarius obtineat mercedem, an qui ocio per diem integrum somnoque indulsit, an qui in labores strenue fortiterque incubuit?

§. 8. *Alia Prosopopœia, non tantum pigri sed nequam operarii.*

Quid diceretis Auditores de operario, qui vesperi redux domum ex vinea diceret hero; Domine, tota die fui in vinea tua, sed non tantum non laboravi; sed plantavi spinas, seminavi tribulos & zizania; intuli multa saxa & petras, imò multas vitium radices infeci veneno, & scio propter hæc opera non sum meritus mercedem, exigo illam nihilominus aliis titulis. Domine credo vineam pertinere ad te; tu Dominus illius es; credo, quod me vocaveris ad illam, & veni, & comparui, & mansi integra die; credidi meo labore opus non esse, tu sæpius in illa laborasti; ideo da mihi mercedem; præterquam quod credam te esse optimum Dominum; quàm bonus es, ideo, à bonitate tua spero denarium. Iterum, voce quâ possum, compello germana pectora, & candidas linguas, ut proferant, quod sentiunt, an hi ultimi tituli sufficiant, ut ejusmodi mercenarius mercedem consequatur.

§. 9. *Prosopopœia nequam Lutherani ad Christum D.*

Ego verò candidè quæro, an aliquis Lutheranus, qui gravium scelerũ reus est, ut fatentur se peccatores esse, imò omnia nostra esse sordida & peccata, & abominationem; cogitemus esse Lutheranũ, qui est fornicator, adulter, avarus, superbus &c. Credit tamen in Deum & Christum D. cum hic sistetur supremo Judici, quæro an aliter loqui poterit, quàm hoc modo: Domine

mine, venio ex vinea tuæ Ecclesiæ; fui Christianus, & baptizatus &c. sed quia fui assecla Lutheri, de proprio labore, de bonis operibus, de mortificatione carnis, de abnegatione concupiscentiarum, præsertim in corde, non fui sollicitus; imò negare non possum, cor meum laceratum est à variis spinis, agnosco, radicem fidei meæ esse infectam veneno variorum scelerum; fui scortator. Mandata tua, fateor, non observavi; neque enim potui; castitatem servare integram non potui, quia nullus potest; adulterium aliud ex alio commisi, saltem corde: corpori fœdas in voluptates largè admodum suas laxavi habenas: non illud jejuniis, non ciliciis, non flagellis, non humi cubationibus afflixi, non illud castigavi cum Paulo, *nec in servitutem redegi*, 1. Cor. 9. v. 27. proinde peccatorem me fateor, & hoc quidem titulo, non est, quod cœlum à te exigam; imò sum, filius æt. damnationis. Sed Domine! Credidi me esse membrum tuæ Ecclesiæ; credidi te Deum meum; Credidi te laborasse & sudasse in vinea tua usque ad sanguinem, credidi te pro me esse mortuum. Scio præterea te esse Patrem misericordiarum &c. his titulis cupio intrare in regnum cœlorum. Quid putatis Auditores?

Si David Rex adulter & homicida, cum Nathan Propheta illũ adduxisset in cognitionem scelerum, postquam verè pœnituisset, postquam amaras & pias effudisset lacrymas, & postquam audivisset ex ore Nathan, *transtulit Dominus à te peccatum tuum*, 2. Reg. 12. v. 13. si deinde dixisset; Domine hoc credo, & scio quia bonus es &c. proinde non est opus ut aliis operibus divinæ Justitiæ satisfaciam, quid opus est, ut jejunem, ut manducem panem meum cum lacrymis, & in cinere quid opus ut tota die contristatus incedam; quid opus ut affligens me affligam, & precibus addam preces, lacrymas lacrymis, dolorem dolori; quid hisce opus est omnibus, nam si mihi clemens Dominus per Nathan Prophetam, scelerum veniam adpromisit, eccur vanis hisce mœroribus memet ultro conturbem? Advertis credo qualis fuerit pœnitentia Davidis, seria, actuosa, severa, opere ipso exercita. Advertitis credo qualis esse potuisset;

§. 10. *Pœnitentia Davidis, non tantum fuit verbalis sed actuosa. Talis esse debet vera fides.*

potuisset dolere, at non respersum cineribus panem manducare; potuisset ingemiscere, at non aspero indui sacco pœnitentiæ; potuisset fragilitatem suam verbis appositis contestari, at nō jejuniis corpus regium macerare: potuisset centies ingeminare, solenne illud suspirium, peccavi, iniquè egi, peccavi Domino; at non vigilare in multam noctem inter preces & lacrymas, inter gemitus & affectus, inter lamenta & suspiria. Verum ex vobis interrogo, Auditores, quid si ita doluisset David, eumne vos dolorem perfectiorem, intensiorem, Deo gratiorem, securioremque arbitramini, quo reapse usus est regius Psaltes, cum tot ac tantis mortificationis, ac pœnitentiæ operibus? non existimo vos, si sanè mentis estis, ita judicaturos. Quid siletis? quid demittitis oculos? quid rubore suffundimini? timetis scilicet ne eandem sententiam ferre cogamini de fide vestra, & de fide Catholicorum. Ita: in hoc bene dixit Lutherus, Dives est Christianus, per fidem scilicet. Sed in hoc saltem nos Catholici cum Lutheranis sumus pares; in hoc sumus ditiores, quod præter fidem habeamus charitatem, & infinitos bonorum operum thesauros. S. Petrus Chrysost. ser. 18. *Qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum. Violæ, rosæ, lilia, narcissus, grati flores, sed gratior panis.*

§. II. **Doctrina Lutheri tribuit sceleribus magnam impunitatem.**

De illis qui negarunt carnis Resurrectionem eleganter dixit S. Greg. Naz. orat. 2. de resur. *Qui sibi conscii sunt turpissimarum, & fœdissimarum actionum, quibus graves pœnas meriti sunt odio judicii, tollunt resurrectionem; & pro eo, quod cupiunt & optant, varias cogitationes sibi fingunt.* addit S. Augustinus lib. 1. de Civ. cap. 8. *Vt suis perditis moribus, hanc pollicerentur impunitatem.* Idem de adversariis fidei nostræ jure merito dici potest? tollunt bona opera, sed tollunt odio virtutis: tollunt, quæ sunt aspera carni, & quæ eidem blanda sunt, inducunt; tollunt amore nimirum proprio execrati laborem, & tamen laboris præmium exspectant; tollunt castitatis certamen, & tamen cum gloriosis heu in pugna athletis, cum liliato Virginum exercitu coronari in cœlis desiderant. Scilicet, pro eo, quod cupiunt, & optant varias sibi cogitationes fingunt. Figmenta sunt hæc, non veritatis

ritatis argumenta; deliria sunt exorbitantis cerebri, non consilia amantis Deum animi.

Major esse debet æstimatio nostra denarii æternæ gloriæ; eam scilicet illius esse magnitudinem & excellentiam, ut non detur otiosis. Aristoteles Philosophus gentilis dixit, l.1. Eth. c.9. *Beatitudo est præmium virtuosarum operationum.* Itaque non satis est ut sciamus & credamus esse cœlum, ut sciamus magnam nobis esse præparatam gloriam, ut sciamus Christum D. illam nobis promeruisse; quia non est purum donum, sed præmium, operari oportet. Quomodo loquitur Christus D. Joannis 13. 17. *Si hæc scitis, beati eritis*: & idem Joan. 17. v. 13. *hæc est vita æterna &c.* sed addit, *si feceritis ea.* S. Thomas ait ex S. Aug. *multis & diversis operationibus, & virtutibus indiget anima humana*, ut assequatur beatitudinem. Christus D. nobis declarat illas virtutes, Matt. 8. v. 3. *beati pauperes* &c. *§. 12. Denarius æternæ gloriæ non est purum donum, sed præmium.*

Finiam Concionem piissima adhortatione S. Hieron. ep. ad Demetriadem nobilissimam & Christo desponsatam Virginem: *Respice obsecro ad ipsam, qua apud Deum illustrata es dignitatem, qua per baptismum in Dei Filio renata es, rursumque per consecrationem Virginitatis sponsa Christi esse cœpisti. Ex utroque hic tuus honor te ad sollicitudinem tui propositi admoneat. Preciosior quæque vestis, timidius custoditur à macula. Multo quæsita auro gemma, majori sollicitudine possidetur: & generaliter, grandi cura, magna quæque servantur.* Dico ego, in similem fere sensum, Respicite obsecro, amantissimi Auditores, respicite finē vestrum, ad quem vocati estis; respicite vineam, in quam inducti estis, à magno illo Patrefamilias, considerate, an non operando, laborando, rudando fructus in ea enascantur; cogitate ipsi, an quiescendo, suspirando, desiderando tantum, evellantur spinæ, eradicentur zizania, fodiatur tellus, putentur vites. Quid? ferte judicium Auditores; Multo quæsita auro gemma majori sollicitudine possidetur. Gemmæ sunt animæ nostræ. & gemmæ, precioso Christi sanguine coemptæ, nullo sanè auro conquisitæ, non ideo tamen à furibus securæ, majori solli- *§. 13. Piissima adhortatio S. Hieronymi ad Demetriadem*

citudine ex parte nostrâ, majori curâ, studio, precibus, virtutis ac caritatis operibus possidentur.



CONCIO XI.
DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Deinde venit Diabolus, & tollit Verbum, de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

Luc. 8. cap. Vers. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ESst invectiva in illos, qui sine fructu, audiunt Verbum Dei Conciones.

§. 1. *Verbum Divinum confertur cum speculo.*

§. 2. *Quinam ex mente S. Bernardi sine fructu audiant verbum Dei.*

§. 3. *Quinam ex mente S. Gregorii M.*

§. 4. *In Saule veluti speculo videre possumus, quomodo aliqui audiant verbum Dei.*

§. 5. *Præsertim Conciones de Passione Christi; quod simili declaratur.*

§. 6. *Sic perit Seminantium labor.*

§. 7. *Verbum Dei oportet custodire, tanquam thesaurum.*

§. 8. *Non aures tantum, sed mentem oportet afferre ad Conciones.*

§. 9. *Diabolus conatur impedire fructum verbi D. similis Holoferni.*

§. 10. *Quare Dæmoniacus* Matt. 12. *fuerit surdus.*

§. 11. *Diabolus conatur statim sopire bonas cogitationes haustas in Concione.*

§. 12. *Magnum supplicium peccatoris est, non moveri à verbo Dei.*

§. 13. *Quod Christus Dominus deflevit super Ierosolymam.*

§. 14. *S. Paulus, quàm potens concionator; non tamen convertit Fe-*

tit Felicem.

§.15. *Summum diaboli tormentum est si libenter audiamus verbum Dei.*

§.16. *Ardens Zelus Concionatorum non sufficit, ut semen verbi D. fructificet, nisi &c.*

DE Sacra Scriptura eleganter dixit S. Greg. M. l. 2. mor. c. 2. *Mentis nostræ oculis illa quasi speculum quoddam proponitur, ut interna facies nostra in illa videatur. Ibi fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus.* Placuit S. Hieronymo hæc similitudo ep. 1. ad Demetriadem, *Optimè uteris lectione divina, si eam tibi adhibeas speculi vice; ut ibi velut ad imaginem suam anima se respiciat, ut vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.* In communi hoc verum est de omni virtute & vitio. v.g. in S. Scriptura videre possumus quam simus humiles, vel quàm econtra superbi, &c. In particulari autem hæc aptissimè affirmare possumus de hodierni Evangelii parabola; quam Christus D. ipse ore suo sacrosancto, tam claris verbis exposuit ut ulteriori explicatione non egeat: Proposuit illam oculis nostris æterna veritas, ut in illo veluti speculo intueamur, quo fructu audiamus verbum Dei. Veluti in speculo cernimus, aliud semen cadere super petram, quod exarescit. Aliud inter spinas, quod suffocatur: aliud secus viam quod infernales volucres rapiunt; adeoque plurimi sine fructu excipiunt semen verbi divini. Erit hæc præsentis materia Concionis: Utinam Spiritus S. largiatur necessariam gratiam, ut quæ dicturus sum cadant in terram bonam & fertilem, vel ut B. Patres loquuntur, ut bonum semen, sit principium optimi fructus. *§. 1. Verbum Divinum confertur cum speculo.*

Ex mente S. Bernardi ser. 1. in Sept. sine fructu audiunt verbum Dei, illi de quibus ait; *Nonnullos sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad illos pertineant, quæ dicuntur; non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos. In his salutis signa non video.* Evenit subinde, ut ad concionem veniant nonnulli, in qua Apostolicus concionator ferventer disputat de inevitabili mortis telo, de acerbis peccatorum suppliciis, de justissima irati Numinis in *§. 2. Quinam ex mente S. Bernardi sine fructu audiant verbum Dei.*

impios ſententia, de inferorum tormentis, atque ſimilibus. audiuntur iſta. at quomodo? perinde ac ſi ad nos nihil pertinerēt; perinde ac ſi nos illa moriendi neceſſitas non attineret; perinde ac ſi Judex ille divinus nos eſſet præteriturus. Hoc eſt, ſine fructu audire verbum Dei, hoc eſt, nobile illud ſemen in ventos aut mare diſpergere.

§. 3. *Quinam ex mente S. Gregorii M.* Ex mente S. Gregorii M. hom. 18. in Evangelia, ſine fructu audivit verbum Dei, *qui libenter verba Dei ſuſcipiunt* (libenter audiunt aliquam concionem de morte, de paſſione &c.) ***ita ut etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt; hi profectò verba Dei non audiunt, quia ea perficere opere contemnunt.***

§ 4. *In Saule, veluti ſpeculo, videre poſſumus quomodo aliqui audiant conciones.* In Saule veluti in ſpeculo contemplemur hos Auditores verbi Dei. l. 1. reg. cap. 24. fugit David à facie Saulis in deſertum Engaddi, & ibi cum ſuis latuit in ſpelunca; in quam Deo ita volente Saul neceſſitate compulſus ſolus introivit, & ita David cum ſuis facillimè ſolum & ſuorum tum comitatu deſtitutum Regem potuiſſet occidere, ſed noluit injicere manus in Unctū Domini, quin potius egredienti ex ſpelunca Regi acclamavit, vivat Rex! Quid tum non egit Saul? quomodo commota fuerunt viſcera ejus ut exclamarit v. 17. 8. ***Nunquid vox tua hæc eſt, fili mi David!*** ut majorem exprimeret affectum ſuum, ***levavit Saul vocem ſuam & flevit.*** Liranus ait, ***fuit verè pœnitens de perſecutione David! ſed hoc fuit tantum ad horam.*** Tum iterum in ejus corde exarſit ignis invidiæ. Tales Saules veniunt frequenter ad templum ut audiant verbum Dei; dum v. g. audiunt, quàm benignus & longanimis ſit Dominus Deus noſter, quàm clemens quod hactenus à vindicta abſtinuerit, exclamant, O miſerationes Domini! imo levant voces ſuas, O fili David miſerere! ſecundum exteriora, ſunt verè pœnitentes! Sed ad horam!

§. 5. *Præſertim conciones de paſſione Chriſti. Quod ſimili declaratur.* Compatior his iiſdem auditoribus, quod eodem modo affectuoſiſſimas conciones de paſſione Chriſti audiant cum motu cordis, ſed non moveantur ad opus: quod eleganti ſimili declarat nobilis concionator. Forte matri alicui ſecatur vena, omit-

emittit ſanguinem, dum interim filiolus, qui adeſt, quique hoc cernit, compatitur Matri, plorat, horret ad aſpectum acuti cultelli. Idem infans habet fortaſſis in manu aliquod pomum, vel fruſtum ſaccari; dicunt aſtantes, fili offer hoc pomum dilectæ Matri, ecce! moritur! Verum hoc filiolo perſuaderi non poteſt, plorat is quidem, ſed pomum retinet. Tales infantes ſunt multi auditores verbi Dei, dum audiant concionem v.g. De Clavis, qui perterebrarunt & manus, & pedes; de lancea, quæ benedictum Jeſu latus & pectus penetravit; de felle & aceto, quod illi propinatum fuit, in cruce; commoventur nonnihil animi in dolorem imò commoventur & oculi in lacrymas: jurares ſemen illud cecidiſſe in terram longè fœcundiſſimam. Sed heus fili mi! habeo quod abs te petam. amabo te, in gratiam Chriſti Salvatoris, ita vulnerati in corpore, ita cruentati in capite, ita transfixi in pectore, in illius inquam, favorem & gratiam, projice abs te pomum illud Sodomæ, quod manibus tenes; abjice pomum Veneris, pomum voluptatis illicitæ. Fili mi! quid renuis! habes in manu tua pomum aureum, habes bona non tua, ſed aliena, habes pomum flammeum invidiæ, habes pomum Adami Protoparentis tui; dimitte in gratiam JESU tui hæc gaudia fluxa, remitte nuntium illis voluptatibus; qui petit, Jeſus eſt! fili mi, quid renuis? O pudor! O probrum! renuimus tamen, in re tantilla nolumus gratificari optimo Patri noſtro; hoccine eſt amare Jeſum? hoccine commoveri audita ejus paſſione ac morte? ſine fructu audiuntur hæ conciones.

Contra tales exclamat S. Bern. ſer. de S. Bened. *O genus Adam! quàm multi ſeminarunt in te & quam precioſum ſemen! quam male peribis & quam merito! ſi perierit in te tantum ſemen ſimul & ſeminantium labor!* Seminator præcipuus eſt Chriſtus D. hic fuit primus Concionator, qui mundo prædicavit doctrinam novæ legis, ingenti labore! qui apud multos perit: quod diabolus intendit, dum huic ſemini in corde humano, veluti pretioſiſſimo theſauro omni modo inſidiatur. §.6. *Sic perit ſeminantium labor.*

Quæ vocula, *theſauro*, nos monet ut ſicut pretioſa abſcondimus, &c. ita in corde abſcondas verbum Dei cum Davide, §.7. *Verbum Dei oportet cuſtodire.*

qui de-

qui de se ait, Ps.118.v.11. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Land. Carthus. *Idest, in abscondito cordis mei, scilicet in memoria mea, retinui eloquia tua, sicut thesaurum preciosum in arca.* Sacra enim eloquia semper in corde retinere, magnum confert præsidium contra omne peccatum. Hoc sensu dixit v.127. illius psal. *Dilexi mandata tua super aurum & topazios,* S. Hieron. *Sicut enim aurum cunctorum metallorum præcipuum, ita topazius omnium gemmarum.* Quare sicut gemmas tam preciosas studiosissime asservamus in cistis, eadem quoque cura pari diligentia custodire verbum Dei oportet, de his ait Christus D. *Beati, qui custodiunt illud!*

§. 8. *Non aures tantum, sed mentes oportet afferre ad concionem.*

Sed redeo ad eos, qui sine fructu audiunt Conciones. Philo hebræus de quibusdam discipulis fuit conquestus, *quod aures in auditorium, non mentes afferrent*, & proinde *vox* alicujus Magistri, *non fertur ad homines, sed ad statuas inanimatas, quæ aures habent, & non audiunt.* Patebit res clarius in exemplo. Dan. 2. vers. 3. Nabuchodonosor ait ad suos ariolos; *Vidi somnium & mente confusus ignoro quid viderim.* Impio huic Regi, similes sunt multi auditores verbi divini. Objiciuntur illis, non in somnio fabulantibus, sed in templo auscultantibus horrenda monstra, ibi repræsentantur illis terribilia morientium impiorum spectacula, ibi exhibetur illis quasi in theatro, ultima extremi Judicii tragœdia, ibi describuntur varia tormentorum genera, quæ à damnatis in omnem, quanta, quanta est, æternitatem exigunt divinæ Justitiæ ministri cacodœmones: quid? an non hæc horrenda sunt monstra? sed heu! quasi dormientibus recensentur; paulò post ignoramus, quod vidimus, non recordamur, quod audivimus. Somnus est vita nostra, ah utinam evigilaremus aliquando! dum audimus conciones, præsentes adsumus corpore, non animo.

§ 9. *Diabolus conatur impedire fructum verbi D.*

Diabolus est, qui rapit semen, verbi divini ex cordibus eorum. Imitatur Sathan astutiam Holofernis Judith. 6. v. 6. dum hic *circuit civitatem, per gyrum, reperit fontem,* qui urbi suppeditabat aquas, & *incidi præcepit aquæductum eorum.* Glossa. *hoc enim diabolus maximè studet, ut doctrinæ fluenta, auferat;* & sic nequitiam

tiam

tiam suam, in interitum servorum DEI, velociter expleat. *similis Holoferni.*

Matt.12.v.22. *Oblatus est in dæmonium habens, cæcus & mutus.* S.Hieron. & S.Chrysost. addunt, fuisse *surdum.* Nam *dæmon obstruxerat auditum, ne verbum fidei, vel doctrina Christi capesseret.* S.Ambrosius, *sed Dominus ipse refundit auditum demonstrans & ipsos* (scilicet Judæos) *si convertantur posse salvari.* Ut nostram salutem diabolus impediat, cum potest, ex cordibus nostris rapit semen verbum Dei; vel facit ut aliqui illud nunquam excipiant; de quibus Origenes ait hom.9. *Tales sunt omnes, qui subtrahunt se & longe faciunt à verbo Dei, ne audientes sermones divinos accendantur ad fidem, incalescant ad caritatem, igniantur ad misericordiam. Tu ergo* (qui nunquam interes concioni, pergit Grego.) *unde ardebis? Unde invenientur in te carbones ignis? qui nunquam Domini igniris eloquio? Nunquam verbis Spiritus S. inflammaris.* Vel si subinde scintillulæ aliquæ talis ignis excipiantur, & lucerna verbi divini modice accendatur, ita exponatur ventis, ut diabolus, ut caro, ut amor divitiarum illas statim possint extinguere! Hoc est diabolum rapere semen verbi D. ex cordibus nostris.

§. 10. Quare dæmoniacus Matt.12. fuerit surdus.

Hoc subinde contingit, ut audita pro aliqua concione, v.g. de morte, de æternitate, *efficiatur vermis* (Orig. hom.7. in Exodum) *qui conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat.* tales subinde vermes secum domum ferunt graves peccatores; & rodunt isti vermes, illæ cogitationes, illi timores, illi metus de morte ad tempus. Si jacerent in terra bona, in corde optimo, forte vivificarent semen verbi D. forte sequeretur vitæ mutatio; sed diabolus habet lac, quod offerat, caro habet mel, quod offerat, Babylonica meretrix in aureo calice voluptatum habet vinum, vel potius venenum, quod propinet in quo illi vermes cito suffocantur; & sic mox evanescunt cogitationes etiam sanctissimæ de morte, de judicio, &c. Hoc est, diabolum rapere semen verbi divini, ex cordibus eorum.

§. 11. Diabolus conatur statim sopire bonas cogitationes haustas in concione

Permittit hoc frequenter justus Deus in pœnam gravium peccatorum, ut per auditionem verbi divini non emendentur

§. 12. Magnum supplicium peccatoris est non moveri verbo Dei.

est, non moveri à verbo Dei. dentur; propter quod flagellum David ait pſ.75. v.8. *Tu terribilis es! ex tunc ira tua.* S.Auguſtinus ſuper hæc verba; *Attendat caritas veſtra rem tremendam. Increpatio* (concio aliqua de juſtitia Dei,&c.) *ſtrepitum habet; ſtrepitus expergiſci facere ſolet homines; Increpat Deus,* increpat Chriſtus D. terribilibus minis, diſceditis & dormitis O impii! & malleus verbi Dei corda veſtra non conterit? hæc flamma vos non urit, nec ullus inde motus, nullæ cogitationes de pœnitentia, &c. *Magna ira Dei ſuper vos.*

§ 13. Quod Christus D. deflevit super Ierosolymam. Luc.19.cap.v.41. dicitur Chriſtus D. fleviſſe ſuper Jeroſolymam. Et *flevit* (ait S.Greg. M. hom.39. in Evang.) *ruinam perfidæ civitatis, quam ipſa ſibi civitas* (licet Chriſtus D. eam prædicaret, licet altiſſima voce clamaret, Jeruſalem!) *non cognoſcebat eſſe venturam. Cui à flente Domino rectè dicitur. Quia ſi cognoviſſes & tu* (ſubaudi) *fleres! quæ modo quia neſcis, quod imminet, exſultas.* Nam deſunt ſubinde ſcelera, ob quæ concionatores urbibus minentur gravia ſupplicia, & cum lacrymis; O Bamberga! in vicinis Provinciis ardet peſtis, jam proximus ardet Ucalegon, attende! vide ut triduo Bacchanalium Deum tuum etiam graviter offendas; age & precibus inſta ferventer, age & exacto jejunio quadrageſimali dignos age fructus pœnitentiæ. Beata erit Bamberga, ſi hæc audiat &c. Sin verò imminentem pœnam non velit cognoſcere &c. timeo iram magnam. Solliciti eſtote auditores, ne diabolus rapiat hæc verba ex cordibus veſtris.

§. 14. S. Paulus quam potens, concionator: non tamen convertit Felicem. Act.24.cap.ait v.25. *Diſputante Paulo de Iuſtitia, caſtitate, & de judicio venturo, tremefactus Felix reſpondit &c.* S.Dion.Carth. ait, *Divini judicii, memoriam, timoremque illi propoſuit.* S.Joannes Chryſoſt.hom.51. in acta. *Vide Paulum! quamvis cum Principe loqueretur, nihil dicere eorum, per quæ veroſimile erat refocillari animam ejus, ſed talia, à quibus terretur, & mente concutitur. Tanta erat verborum Pauli vis, ut & Principem terrerent.* Apoc.10. vidit Joannes deſcendentem Angelum de cœlis ſuper mare, de quo ait; *Clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit; & cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.* S. Th. *Super ma-*

ximos

ximos peccatores, qui ſunt in majori amaritudine, & profunditate & fluxibilitate vitiorum addit, quia prædicator vehementer debet animam excitare, terrendo per comminationem. Et Prædicatores dicuntur tonitrua, ratione terroris, quem inferunt comminando ſupplicia. S. Cyprianus l. de Lapſis concionatorem comparat cum Medico, & ait, Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat & in altis receſſibus viſcerum virus, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus & ſecandum, & putaminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget poſtmodum cum ſenſerit ſanitatem. De Jona prædicante Ninivitis pœnitentiam ait S. Ephrem Syrus, Medicus veritatis ad ægrotum ingrediens, veritatem prædicat. Chirurgia utendum, igniſque acerba eſſe cauteria adhibenda prædicit. Non veretur auſteritatis pharmacum propinare. Talis Angelus, tale tonitru, talis vox, talis tuba, talis medicus fuit S. Paulus, erga Felicem. Talis vox fuit S. Joannes B. erga Herodem, tales voces hodie habent multi concionatores, erga graves peccatores. quo fructu? terrentur, concutiuntur, ſed ad ſonum tantum, diabolus mox rapit, audiverunt ferventiſſimas conciones ſine fructu. In hoc gaudent (ſi gaudere poſſint) diaboli.

§. 15. *Summum Diaboli tormentum eſt, ſi libenter audiamus verbum Dei.*

Econtra ait Orig. ſuper omnia eis eſt tormentorum genera, & ſuper omnes pœnas, ſi quem videant verbo Dei operam dare, ſcientiam divinæ legis intentis ſtudiis perquirentem. *In hoc omnis eorum flamma eſt, in iſto uruntur incendio.* Quæ putas in illos vindicta datur cum vident, lumine veritatis, cæcorum oculos aperiri, & fraudis ſuæ nebulas, per agnitionem legis divinæ reſerari. Quale illis putatis tormentum, cum auditione verbi D. in concione gravis aliquis peccator convertitur? O Sancte Spiritus! veni, accende cor meum, accende linguam, accende omnia verba, accende meos affectus, ut inſtante quadrageſima uram diabolos, ut convertam peccatores.


§. 16. *Ardens zel. concionatorum non*

De S. Bernardo ſcribit Guilhelmus Abbas l. 3. c. 3. in Iſaiam *Summum ejus deſiderium, ſummum gaudium erat animarũ fructus,*

sufficit, ut semen D. fructificet, nisi &c. *& conversio peccatorum.* De S. Donnolo Ep. ait Surius, *Toties in eam curam intentus erat, ne ad supernam illam civitatem solus ascenderet, sed socios eo, quamplurimos secum duceret.* De S. Demetrio M. Simon Metaphrastes: *Summum damnum reputabat, si non omnes ad quos verba instituebat, ab infelici servitute dæmonum, in Christi libertatem vindicaret.* De S. Dominico Annales Prædic. *Fuit tantus illius in animas amor, & commiseratio, ut non solum fideles omnes, sed etiam infideles, & eos, qui in inferno cruciarentur, amor illi tantus & commiseratio complecteretur, & multas pro illis effunderet lacrymas.* S. Paulus de se ait, ad Thess. 2. v. 19. *Quæ enim est nostra spes, aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante D. nostrum Iesum Christum, in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* O si tale mihi esset desiderium; O si eo vires meas omnes intenderem, ut multos mecum ducam ad cœlum, O si ille labor, ut omnes Christo lucrifaciam! sed meum denarium auditor. non sufficit, vestrum est ut verbum Dei recipiatis in terra bona; ut ita abscondatis, ne diabolus statim possit tollere, Christus D. quo labore, quo fervore non prædicavit Judæis? præsertim Pharisæis, sine fructu tamen; ob eorum malitiam. simul g. laboremus ut simul salvemur.

§. 17. S. Bern. ser. 5. in adv. *Qui timet Deum, sermones Dei servabit. Vbi servandi sunt? Haud dubium, quia in corde sicut ait Propheta, in corde meo abscondi eloquia tua. Ergo trajiciatur verbum Dei in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos; si sic verbum Dei servaveris, haud dubium quin serveris ab eo.* Pulcherrimè S. Thomas in Cat. aurea, de B. V. super illa verba; *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Sicut ipsum Verbum prius in visceribus, ita nunc ejusdem dicta concipiebat, & in corde suo quodammodo fovebat; & hac quidem tanquam regula, & lege, per totam vitam utebatur.* S. Hier. de Fabiola, Jesu bone! quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus? & veluti quandam famem satiare desiderans, per Prophetas, Evangelia, psalmosque currebat, quæstiones & proponens, & solutas recondens in scriniolo pectoris sui &c. Ille, ille conciones audiendi modus est, Audit. Finio, sic tamen; ut quæ

quæ dixi hactenus, brevi veluti periocha complectens repetam. Excipiendum est semen verbi divini, sed in terra fructifera; audiendæ sunt conciones sacræ, sed ingenti cum desiderio, cum fame spirituali, cum fructu bonorum operum, cum morum vitæque emendatione; verbo, in re tanti momenti, non dormiendum est, sed vigilandum; & audire, opus est, & facere. Sola corporis non sufficit, ipsa etiam animi, cordis, atque operum opus est præsentia.



CONCIO XII.

DOMINICA QVINQUAGESIMÆ.

Ecce ascendimus Ierosolymam.

Matt.20.cap.v.18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars Concionis, ostendit cæcitatem mentis, esse magnam pœnam peccati mortalis. Altera insinuat, unicum ejus pellendæ remedium esse Passionem & sanguinem Jesu Christi, ubi affectuosa aliqua miscentur, de infinito ejusdem amore erga peccatores.

§. 1. *Exordium.* PUlchrè de hodierno Evangelio loquitur S. Bonaventura, quando exponit factum admirabile, in illuminatione pauperis cæci. In quo simul manifestatur, & Christi potestas, & benignitas, & mendicantis paupertas. Hæc nimirum movit viscera misericordiæ ejus, ut miseriæ ejus subvenerit; ita tamen, ut humili oratione, prius peteret, quod requirebat; proinde Divina gratia mendici cæci cor ad ardentissimam orationem excitavit; S. Greg. Christus D. *peti hoc vult quod prænoscit se concessurum.* & hæc contigerunt, cum Christus Dominus ascenderet Jerosolymam, ut crucifigeretur. *Altum mysterium*: exclamat S. Joannes Chrysostomus; ut ostenderet, pergere se ad passionem & crucem, ad effundendum sanguinem, pro medicina, qua cæcitas totius humanæ naturæ sanari posset. S. Gregorius M. hom. 2. in Evang. *Iste cæcus, est genus humanum, quod in parente primo, claritatem supernæ lucis perdiderat, & damnationis suæ tenebras patiebatur.* Alta mysteria! admiranda Dei judicia! inter quæ hoc est admirabile, quod Deus infinitæ misericordiæ, peccatum mortale tam horribili pœnâ castiget, nimirum Cæcitate mentis, de quâ agam primâ parte Concionis. In altera, si qui tales cæci essent inter meos Auditores, ducam ad Jesum Crucifixum in montem Calvariæ, ut salvifico ejus sanguine sanentur, & videant.

§. 2. *Pœnam cæcitatis* Cæcitas mentis, est pœna peccati mortalis: quam juravit se illaturum impiis, per Prophetam Amos c. 8. 9. *Occidet Sol in meri-*

meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Id est, quam diu homo per gratiam & dilectionem conjunctus est cum Deo suo, vivit in luce, & fruitur admirabili lumine: vivit in splendore solis, lucis infinitæ: quamprimum verò idem homo vertit dorsum, & à Deo recedens, incidet in peccatum mortale, per quod ab eodem separatur; occidit illi sol, & in anima ejus fiunt tenebræ horribiles. S. August. *Homo Deo suo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.*

minatur Deus impiis per Prophetam Amos.

Lacrymabilis illa immutatio, quæ fit in anima justi per peccatum mortale explicari potest pulcro simili. In die aliquo solenni, v.g. quâ Princeps desponsatur nobilissimæ Virgini; vel qua Regi alicui nascitur filius; præcipua palatii aula ornatur elegantissimè! parietes superbè vestiuntur aureis tapetibus, pulcherrimis illustrantur picturis, decorantur floribus, arboribus, exornantur, aperiuntur fenestræ, & ex iis noctu lucent & ardent innumeræ ex cerâ candida faces. Quod si paulo post immaturo fato rapitur è vivis Sponsa, vel regius Princeps; mutantur omnia; parietes vestiuntur pannis nigris, amœnis picturis substituuntur calvariæ, & depicta ossa mortuorum; sternuntur mensæ coronis ex cypresso & myrto, obserantur fenestræ, nigri aliqui accenduntur cerei; symphonia denique in tristem lessum ac ferale mortis canticum commutatur. Simile aliquid hoc triduo cernitur in Templo Societatis Jesu; ob quadraginta horarum preces, in honorem Sacrosanctissimi sacramenti, quod exponitur. In memoriam & venerationem triumphi Amoris, quem cœlestis Amor, Christus Jesus egit in cruce, spectantium oculis proponuntur mysteria Passionis præcipua, cum ornatu possibili, cum suavitate odorum, cum jucundo sono multiplicis harmoniæ; quæ omnia insolitam quandam præ se ferunt lætitiam. Verùm in sequenti statim Mercurii die; quia Ecclesia cum memoria mortis triste tempus Passionis auspicatur, quia recolere incipit cum gemitu & lacrymis mortem sui sponsi & Regis in Cruce; mutata reperietis omnia; nudos parietes, tecta altaria, clausa organa; audietisque mane tristem

§.3. Elegans similitudo.

lessum,

lessum; *Memento homo, quia pulvis es* &c. vespere, lugubrem psalmum *Miserere mei Deus*!

§. 4. *Qua explicatur immutatio, qua per peccatum mortale fit in anima impii.*

Pari ratione, cum in baptismo, vel justificatione impii, anima hominis per gratiam desponsatur Deo suo, in fide & dilectione, quia renascitur ad vitam, cum jure ad hæreditatem cœlestis gloriæ, à Spiritu Sancto ita eadem anima ornatur, ut luceat instar solis, coronatur stellis, amicitur pulcherrima luce, tota pulcra! tota decora! tota in deliciis. Illustrationibus Spiritus S. patent valvæ cordis, ut jucundissimis radiis illuminetur! Peccatum verò mortale momento immutat omnia; dilacerat aureum habitum charitatis, spoliat illam gemmis virtutum, tollit illi jus ad cœlum &c. luctuosissimum est, quod densæ inducantur tenebræ, quod talis anima atrâ involvatur caligine, & vivo corpori, veluti obscuro includatur carceri & sepulcro.

§. 5. *Explicatur difficilis locus S. Pauli quomodo Deus excæcet peccatores.*

De hac pœna, sive cæcitate peccatoris loquitur S. Paulus 2. Cor. 4. v. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Locum difficillimum variè explicant Interpretes S. Thomas ait sect. 2. super cit. locum. *Excæcat mentes- non inducendo malitiam, sed merito, imo demerito præcedentium peccatorum subtrahit gratiam ne lumen gratiæ hic, & gloriæ in futuro videre possint.* Joannes Chrysost. quærit hom. 8. in ep. 2. Cor. *Quomodo excæcavit? nunquid efficacia sua ad hoc impellens? absit! sed permittens & concedens.* Si cum aliquibus B. Patribus sano sensu, per Deum hujus sæculi, velimus intelligere diabolum, sive Principem tenebrarum harum, pulchre ait Hugo Card. *Excæcat superbos fumo, avaros pulvere, luxuriosos luto, ebriosos vaporibus vini.* Proponit nobis hoc triduo Mater nostra Ecclesia in Evangelio, Societas Jesu in templis suis Christum D. v.g. flagellatum, spinis coronatum, &c. O fœdarum amasii voluptatum, O Veneris clientes, cur non conspectu harum imaginum, commoventur corda vestra ad pœnitentiam? sed cæci estis! sedetis secus viam. O fastu tumidi; O animi elati superbia; cur non templum hoc triduo frequentatis? videretis, coronati spinis Christi Salvatoris effigiem!

sed

ſed etſi frequentaretis templum, etſi ſpineum Jeſu diadema veſtros in oculos, non tamen in animos incurreret! quid mirum? cæci eſtis ad hæc myſteria; incuſſit ſuperbiæ ventus neſcio quem pulverem in aciem oculorum veſtrorum. O gulæ, ventriſque mancipia! O epulones divites! O mortales, omnium fere criminum voragines! ecquando cadent ſquamæ ab oculis veſtris? hoc ſaltem triduo mentis veſtræ lumina aperite, videte Jeſum Crucem bajulantem; videte ſub eodem duriſſimo Crucis ligno ſuccumbentem; videte eundem ſuffixum in Crucem, videte manuum pedumque Vulnera, numerate, ſi poteſtis, vibices, plagas, cicatrices. ut convertantur? cæci ſunt oculi eorum ſunt pleni luto (hoc modo per alia myſteria, & diverſa peccata poterit fieri pulcra inductio.)

Utiliſſimam quæſtionem proponit S. Auguſtin. in pſ. 57. ſi §. 6.
cum homo prima vice peccat mortaliter, ſtatim illum Deus oculis, aut oculorum uſu privaret, nunquid graviſſimum eſſet ſupplicium? O filii hujus ſæculi, quanto præſtantius eſt internum lumen cordis & immortalis animæ, quam ſint oculi mortalis corporis; ſine viſu corporeo ſalvari poſſumus; illo lumine ſublato cæci ruimus in præcipitium & abyſſum damnationis æternæ. S. Auguſtini verba hæc ſunt! *Si quis furtum faciens, oculum perdidiſſet, omnes dicerent, Deum præſentem vindicaſſe. Oculum cordis amiſit, & ei peperciſſe putatur Deus.* Redeo ad Chriſtum meum Crucifixum! plenus ſum ſolatio! O innumeros actus amoris! O ſuſpiria! O gemitus contriti cordis! O ardentes preces, quibus animæ piæ, ad lucrandas indulg. à Chriſto Crucifixo petent, ut exaltetur ſancta Mater Eccleſia &c. O firma propoſita, quibus jurabunt pii, & ſtatuent, malle mori, quam hoc triduo Chriſtum D. offendere letaliter. Ex altera parte timeo Jeſu meo! timeo ne ſuperbi ſacroſanctum illius caput coronent novis ſpinis! ne miremini, perdiderunt oculos cordis; excæcati ſunt fumo. Timeo ne luxurioſi parent novas virgas; perdiderunt oculos cordis. Timeo ne novum calicem præparent guloſi; non vident, quid agant &c.

Vtilis quæſtio S. Auguſtini.

§.7. *Cæcitas & stultitia Regis Herodis, quod pro saltu obtulerit puellæ dimidium regni sui.*

In his tenebris impii non sciunt quid agant; non intelligent quam stulte progrediantur in multis. Si talem cæcum & stultum videre desideretis, oculos conjicite in regem Herodem. In convivio, ad quod annuo Nativitatis suæ die invocaverat primarios Proceres aulæ suæ, filia infamis Herodiadis choreas ducens ita arrisit excæcatis oculis Regis, luto scilicet nefandæ libidinis contra quam fulminarat S. Joannes Bapt. Marc. 6. v. 19. *Non licet tibi &c.* ita inquam levicula puella placuit ut dixerit Herodes Rex ibidem v. 22. *Pete à me, quod vis, & dabo tibi, & juravit illi; quia quidquid petieris, dabo tibi licet dimidium regni mei. &c.* Joannes Chrysost. hom. 49. in S. Matth. & ser. de virtut. & vitiis graviter ponderat imprudentiam, stultitiam, cæcitatem, & præcipitatam promissionem tanti Regis, & palpabiles tenebras infelicissimi Herodis. *Vides? quam atrox, quam insensatus, quam vecors est, qui, jurando se obnoxium fecit, & illi petendi potestatem concedit. Miser & infelix! itane tibi mentis oculi cæcutiunt? tanti regnum facis? semel puella saltavit, & regni dimidium tradis? Quid si secundo saltaverit? votis exopta, ne secundo saltet, vel si saltaverit, ne denuo placeat?* ne alteram partem regni cogaris illi concedere, & tibi sit mendicandum. Verbo, summa Herodis fuit stultitia, summa cæcitas, saltatriculæ pro saltu offerre dimidium regni.

§.8. *Quam levi precio hoc triduo multi vendant suas animas, & regnum cælorum.*

Perpendite quæso, quo precio multi hoc triduo Bacchanalium, diabolo vendant animas suas & regnum cœlorum; imò Vulnera & sanguinem sui Salvatoris. Herodiade longe astutior & versipellior est infernalis serpens! itaque quid agit? præsertim hoc triduo invitat ad saltum, ad choreas; non loquor de honestis & licitis, sed illis choris, quos ducunt Venus & asmodæus, in quibus gravissimis sceleribus Deus offenditur; O mi homo! pro hac recreatione tuus hostis diabolus magnum exigit precium. petit non dimidium, sed integrum regnum cœlorum; sed ecce Jesum ad columnam; petit ut rursum flagelles; ecce novam Crucem, vult ut filium Dei rursus Crucifigas, ut conculces sanguinem ejus; ea est multorum cæcitas, ut dicant; Petat à me, quidquid vult, & dabo illi, quidquid petierit. O cœlum

ut mo-

ut modica & momentanea fruatur homo voluptate, tui non dubitat jacturam facere! Quis non exclamet, cum Raperto, *O stultam! cæcam! & impiam audaciam!*

Sapientissimi inter cunctos mortales fuerunt Adamus & Salomon; de utroque ait Ecclesiasticus cap. 17. 5. *Disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, mala & bona ostendit illis. Et magnalia honoris ejus vidit oculus eorum.* Salomoni ait Dominus l. 3. reg. c. 3. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Cap. 1. Ecclesiastes de se gloriatur, 16. *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalē.* Sed in viris his etsi sapientissimis verissimum fuit, quod asserit S. Joannes Chrysost. hom. 18. in gen. *Nihil peccato peius, Dilecte! ipsum enim ut introierit, non solum confusione, totos nos replet, sed insipientes facit eos, qui antea intellectu & sapientia præditi erant.* proinde Salomon tandem ruit in gravissima scelera, factus idololatra. Adamus, pro pomo vendidit paradisum, velut S. Bern. ait serpens *porrigit pomum; & surripit Paradisum.* & in illam momento incidit vesaniam, ut videns se nudum, confusione plenus putarit se posse fugere à facie ejus, ideoque se absconderit sub arbore in medio paradisi. Iterum considerate, quo precio, hoc triduo multi vendant cœlum! quàm cæca audacia ruant in gravissima scelera.

§ 9. *Mortalium Sapientissimi, Adamus & Salomon per peccatum fuere excæcati.*

Similes noctuis, de quibus ait S. Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 24. Noctua, quemadmodum magnis & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem; & quo fuerit nox obscurior, eo contra usum avium cæterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, & circumfuso splendore solis, visus ejus hebetatur, quasi quibusdam errat in tenebris; quo indicio sui declarat, esse aliquos, qui cum oculos habeant ad videndum, videre non soleant, & visus sui officio, solis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant; aperiunt eos, quasi scientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna. Nihil judicio addendum

§. 10. *Descriptio noctuæ ex S. Ambrosio.*

dum elegantissimis verbis S. Ambrosii; suggerunt illa tamen mihi acrem invectivam in filios Bacchi & Veneris, hoc triduo Bacchanalium.

§. 11. Suggerit auctori acrem invectivam in peccatores.

Noctuæ estis scelesti; immersi scelerum vestrorum tenebris; Mater Ecclesia his diebus oculis vestris proponit Christum Salvatorem pendentem in cruce; & quo volatis? ad venerandum caput, ut scelestis pedibus & unguibus illi altius imprimatis spinas? scilicet, quia caligantem tenebrarum vestrarum non sentitis horrorem, quia cæci estis, liberrime & audacissimè volatis. Quo evolatis? nunquid ad sanctissimas manus, ut illas vestris sordibus, sordidissimæ volucres! conspurcetis? ut distrahendo illos benedictos clavos novos renovetis dolores. Noctuæ estis, inoffenso volatu in tantis tenebris, audetis involare in ipsum pectus & cor Jesu, ut scelesto rostro illud convellatis. Sed Mittamus infernales has noctuas; O mi Jesu! nos columbæ esse volumus; ita & nos evolabimus in benedictum caput, sed ut inter spinas ponamus nobis nidos. Ita! evolabimus ad brachia sanctissimæ Crucis, in cavernas sacrosanctarum manuum, ut in iis gemamus ut columbæ, vel turtures; uberem gemendi causam nobis subministrat, hinc tormentorum tuorum acerbitas; inde scelerum nostrorum, atque ingratitudinis iniquitas. A brachiis, inde devolabimus ad pedes, in illorum quoque maceriis residebit affectus noster, & inter doloris simul ac amoris suspiria, nil nisi laudes tuas, concinemus dilecte Jesu! Quod si me materia cantus deficiat, tu S. Spiritus, suggeres affectus, tu inflammabis amorem, tu gemitus elicies, tu linguæ vocem, oculis aquas, cordi pium motum, intellectui discursum, voluntati sancta suppeditabis desideria. Hoc simul rogo, animæ piæ, & Deo dilectæ! in nidulo vestri amoris, in cavernis maceriæ, sub umbra sacrosanctæ Crucis, inter vestros ardores, inter ardentia suspiria; miseremini & mementote cæcorum, qui sedent ad vias hujus mundi, mendicantes aliqua solatiola à creaturis, cæci & miserabiles; orate Jesum vestrum, ut radiis lucis suæ illos illuminet; ut eorum oculos inungat, precioso suo sanguine.

Fiet-

Fiet id quidem in supremo agone, in particulari judicio, cum ad lucernam divinæ Justitiæ, aperientur oculi eorum, & videbunt & agnoscent se errasse, sed, heu! nimis sero! ut quondam Lysimachus Rex dixit, *O quam brevis voluptatis causa regnum amisi.* S.Petrus Dam. l.6. ep.17. ait de quodam, qui confossus gladiis, non sacerdotes petiit, non de transactis confessionem, vel pœnitudinem gessit, sed usque ad ultimum spiritum hoc solum inclamare non desiit; *Heu quale damnum! heu! quale damnum!* si quid autem sibi, vel de confessione facienda, vel aliud quid dicebatur, ille jam alienatus hoc solummodo repetebat; *Heu! quale damnum!* Itaque ne quod multis, contingat nobis, sollicitos nos esse oportet de efficaci remedio, quo internos mentis oculos recuperemus. §.12. *In agone illuminantur impii, sed nimis sero.*

Efficacissimum præscribit ipse Christus D. Joannis 8.27. ait siquidem ibi textus de Judæis; *Et non cognoverunt, quod Patrem ejus dicebat Deum. Dixit ergo eis Iesus, cum exaltaveritis filium hominis, tum cognoscetis, quia ego sum.* quæ verba sic explicat S.Thomas; Prænuntiat Christus quod pervenire debeant ad fidem, quod est remedium contra mortem, per passionem ejus. Quasi dicat, modo non cognoscitis patrem meum esse Deum, sed cùm exaltaveritis filium hominis, id est, cum me ligno Crucis affixeritis, tunc cognoscetis. S.Augustinus sic ait: Ideo autem crucis commemorat passionem, *ut det spem peccatoribus, ut scilicet nullus desperet in quocunque scelere, & mali sibi conscius, quando ipsi crucifigentes Christum, per sanguinem Christi liberantur à peccatis. Nullus est enim adeo peccator, qui per sanguinem Christi liberari non possit.* Et gaudet Christus D. cum petimus ab ipso ut liberemur à tenebris, & lucem videamus cœlestem. §.13. *Passio, mors & sanguis Christi curant cæcitatem cordis.*

Major enim fuit charitas Christi patientis, quàm fuerit malitia crucifigentium, ait S.Thomas; Et ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione, quàm crucifixores offendere occidendo. Referunt historiæ Dionysium quendam Syracusanum aluisse domi suæ quendam ex nepotibus, quem veluti filium tenerrime amavit. Sed ingratus juvenis fugit ex ædibus Patrui, & vitæ ejus struxit insidias. Plerique judicarunt ne- §.14. *Pathetica historia declaratur infinitus amor Christi erga peccatores.*

quisſimum adoleſcentem dignum eſſe ſupremo ſupplicio; pleriqueque illum adjudicarunt morti. Solus Dionyſius, (quod facere ſolet amor) illum excuſabat, multa adſcribens præcipiti adoleſcentiæ, multa levitati puerili, imò humaniſsimis literis illum invitabat ad reditũ; redi fili! revertere, amo te! revertere, condono omnia non tam, quia ſanguine mihi junctus es, ſed quia ardentisſimè te amo. Fili! *ſanguinem meum ex venis facile detrahere à me poſſum; amorem verò meum in te, nequaquam! quia radicitus hic cordi meo adhæret.* In Dionyſio agnoſcite Chriſtum Salvatorem patientem; ingrati filii ſunt omnes peccatores, digni damnatione æterna. Flagella ſpinæ, clavi ex ſacroſanctiſſimo corpore, imo corde, potuerunt extrahere precioſiſsimum ejus ſanguinem, ſed non amorem erga peccatores; hic radicitus adhæſit cordi. hæc cauſa eſt quod etiam de Cruce exclamat, Matt. 11. v. 28. *Venite ad me omnes &c.* ſuavisſimè S. Joannes Chryſoſt. *Adverſis probatur amor, affectio penſatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta innuitur charitas. Hinc eſt, quod Chriſtus carnis intrat injuriam, ſubit contumelias paſſionum, pœnarum genera percurrit* (p. ex hod. Ev.) *mortem ſuſcipit peramaram. Damnari noluit, qui quod fecerat, ſic amavit.* Et qui propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, voluit mori pro nobis, quare non idem nobis condonabit & remittet peccata noſtra? quare non volet, ut effuſum ſanguinis ſui pretium animis noſtris conducat. Conducet profecto; modo cum cæco hodierno, ardens recipiendi viſus noſtri deſiderium oſtendamus; modò illum qui tranſit Salvatorem noſtrum, firma cum fide inclamemus; modo ex toto cordis affectu exclamemus, Jeſu fili David miſerere mei! S. Paulus ad Eph. c. 2. v. 4. ait. *Quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Deus qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos; cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto;* Quid faciet, ſi veros pœnitentiæ fructus agamus; ſi verâ ac ſincera exomologeſi peccatorum noſtrorum ſarcinas deponamus; ſi humiliemus nos in conſpectu Altisſimi; ſi ad quadrageſimale, rite perfectéque ſuſcipiendum nos comparemus; ſi pravas pec-

peccandi consuetudines, societatesque omni quo licet studio devitemus.

Finiam hanc Concionem eleganti exclamatione S. Bern. ser. in Cœnam Domini; cum verba illa Christi ad Judam, Joannis. 13. 27. *Quod facis fac citius*, expendisset, ait; Domine Jesu vita mea! decus Angelorum; quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas; nobis vitam, tibi mortem affectabas. O amor interminabilis! O Charitas inæstimabilis! O dilectio inscrutabilis! *Quod facis, fac citius*; illud cupio, illud desidero, illud quæro, ad hoc veni in hunc mundum! *Quod facis, fac citius*. Vis me vendere Judæis? volo vendi: vis tradere? volo tradi? Vis ut crucifigar? Volo crucifigi; Vis ut occidar? volo occidi. hoc amo! hoc desidero! *quod facis, fac citius*. (ad clavos? *cito*! ad columnam! *cito*! ad Crucem? *cito*!) Tandem mellifluus Doctor Bernardus hanc subjungit exclamationem; *Considerate sedulo, quantum est diligendus, qui se tradentem ad mortem sic hortabatur*. Vultis scire quantum? Tantum, ut in ejus gratiam, abnegemus nosmetipsos. Tantum! ut cum ipso humerus ad portandam SS. Crucem submittamus. Tantum! ut nunquam hujus beneficii memoriam deponamus. Tantum! ut dura quæque, acerba, tristia, horrida, æquo animo toleremus. Tantum denique, ut cum ipso, & pro ipso, opes, honorem, sanguinem, vitam, & si quid vita nobis est antiquius, profundere non dubitemus.

§. 15. Epilogus ex suavissimo loco S. Bernardi ex ser. in Cœna Domini.

CON-



CONCIO XIII.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunasset, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Matt.4.cap. Vers.2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit hostem animarum nostrarum potentissimum, astutissimum & avidissimum damnationis nostræ, qui est Diabolus; à nobis vinci & superari posse per jejunium.

§.1. *Permittit Deus, in hoc mundo versari dæmones.*
§.2. *Diabolus est hostis potens & astutus.*
§.3. *Prosecutio.*
§.4. *Diaboli odium & invidia erga genus humanum.*
§.5. *Sæpe multi diaboli uni animæ insidiantur.*
§.6. *Aviditas dæmonis ut perdat animas.*
§.7. *Nihilominus vinci potest.*
§.8. *Et quidem Iejunio.*
§.9. *Quod simili ex S.Ambrosio declaratur.*
§.10. *Digressio ad pœnam pestis.*
§.11. *Certa dæmonia non possunt vinci nisi per Iejunium.*
§.12. *Per hoc Iudith triumphavit de Holoferne. Esther, de Amano.*
§.13. *Vt à triplici nocivo igne liberemur, Iejunemus.*
§.14. *Quo tempore Sathan nocere potuerit filiis Iob.*

§. 1. *Permittit Deus in hoc mundo versari dæmones.*

UT in omnibus, ita in hoc puncto, admirabile est Dei consilium, & investigabilis ejus Providentia, vel illa voluntas, qua permittit, ut diaboli semel præcipitati in infernum, ut nihilominus versentur in hoc mundo, ut sceleſti

ſceleſti & crudeles ſpiritus continuo lateribus noſtris adhæreant, ut moleſtiſſimis tentationibus conentur nos adducere in malum, in peccatum, in barathrum deſperationis æternæ. Quæ divina permiſſio multis videtur dura, & non ita conformis infinitæ ejus bonitati, paternoque erga genus humanum amori. Quis Pater permittit, ut in domo, aut cubiculo, in quo dormit vel ludit dilectiſſimus filius, ſimul commorentur ſcorpiones & ſerpentes; an non timet, ne cara proles ferali ictu aut veneno inficiatur? Quis paſtor, in ſtabulum, in quod de nocte vult inducere ſuas oviculas, prius inducit & abſcondit lupos vel leonem? nunquid hæ voraces beſtiæ devorabunt agnellos? Quis agricola in ſuos agros, in quibus ſeminavit ſemen bonum, diſpergit ſemina ex quibus naſcantur vermes, oriantur locuſtæ, prodeant erucæ? nunquid deſtruent ſegetem? Tota hæc mundi univerſitas nil aliud eſt, quàm quædam domus ædificata pro habitatione hominum: quid agunt in hac domo infernales ſerpentes? Mundus hic, eſt quoddam Ovile, nos ſumus oviculæ, cur inter nos vagantur infernales lupi, terribiles Urſi, Leones Tartarei? Mundus hic eſt quidam ager, ut nos in illo ſeminemus ſemen bonum gratiæ & gloriæ; permittit ſimul Deus, ut hic ager plenus ſit infernalibus erucis! quod cum pius Job conſideraſſet dixit ad Dominum cap. 30. v. 21. *Mutatus es mihi in crudelem.* Sed reſpondit illi Dominus cap. 41. v. 1. *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum; quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?* Id eſt, Providentiæ meæ, ait S. Thomas, quaſi dicat; quantumcunque Leviathan ſit potens, non tamen poteſt Providentiæ meæ reſiſtere, ut potentia ſua utatur, niſi quantum mihi placuerit; & mea voluntas, non ad perniciem hominis, ſed ad ſalutem hominis dirigitur. Convincor ego, ut fidem huic addicam, ex hiſtoria hodierni Evangelii. Permiſitne cœleſtis Pater, Unicum, Unigenitum Filium ſuum in eremo tentari ab infernali ſerpente immunem? Quid? conceſſumne fuit huic infernali lupo, inſidias ſtruere Agno, *qui tollit peccata mundi*? Joan. 1. v. 29. ſine dubio, ad ſummam Chriſti D. gloriam; non itaque miremur ab iiſdem & nos tentari; licet

enim hoc Deus permittat, facillimè tamen de illo subjugato canere possumus Victoriam. Ostendam hac Concione, potentem, astutum, versipellem hunc hostem, facillimè à nobis prosterni jejunio & memoria Passionis Christi D. quæ duo media initio hujus quadragesimæ nobis suggerit sancta Mater Ecclesia.

§. 2. *Diabolus est hostis potens & astutus.*

Hostis noster diabolus est potentissimus. Job. 41. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei; quia factus est, ut nullum timeret.* Septuaginta legunt: *Nihil est super terram simile illi.* S. Thomas advertit naturalem causam hujus potentiæ, quod scilicet proveniat, à natura spirituali, cui nulla virtus corporalis potest comparari. Ita S. Paulus ait ad Eph. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* De Balena ait Job. 41. cap. 22. *Fervescere faciet quasi ollam, profundum mare:* terribilior adhuc est diabolus, in tempestuoso mari hujus sæculi. Potentia Satanæ, eo est periculosior, quo astutior; ideoque non tantum per violentiam, sed per insidias, & fallacias impugnat Deum diabolus, in membris suis, non in se. Ideo primam tentationem peragit in forma serpentis de quo ait script. gen. 3. v. 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Septuaginta. *Serpens prudentissimus.* Aquila, *Sapientissimus.* Alii. *Versipellis nequam.* Ob quam causam cit. S. Paulus nō dixit, nempe, *Induite armaturam* Dei, ut possitis stare adversus pugnas, & adversus bella; neque enim incautè & aperte & palam bellum gerit nobiscum inimicus, sed ex insidiis. Nō aperta proponit peccata; sed agens compendiaria via, & ex insidiis probabilem reddit orationem, *utens prætextibus* v. g. initio statim hujus quadragesimæ, illius observationem alicui vult reddere difficilem; certè non ait *apertè*; Noli jejunare; etiamsi hoc præceptum transgrediaris, quid interest? Non; *Utitur prætextibus,* prætendit periculum sanitatis, variorum morborum pericula, egestatem & inopiam, labores, ætatem &c. verbo, astutus est, *mille utitur prætextibus.*

S. Leo

S.Leo Papa, ser.7. de Nat.Domini hanc astutiam infernalis serpentis sic descripsit. *Novit diabolus, cui adhibeat æstus cupiditatis; cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem mœrore conturbet, quem metu obruat, quam admiratione seducat.* Quia omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, ubicunque viderit hominem studiosius occupari. Ut bene dixerit S.Thomas; *Quando aliquis hostis imminet, si sit debilis & stultus, non est multum timendum, sed quando est potens, nequam, & callidus, tunc est timendus: quæ tria in diabolo sunt.* Ideo monet S.Greg.M. lib.32. mor. c.19. *ut cognoscamus, cum quanto hoste pugnamus, ut simul scias, quis tu? quis ille? Quid nos, nisi pulvis? quis vero ille, nisi unus ex cœlestibus spiritibus, & quod majus est, summus. Unde quis de propria virtute audeat, quando contra Angelorum Principem, pulvis pugnat.* Cum l.1.reg. cap.17. v.36. diceret David; *Nunc vadam & auferam opprobrium Israel populi.* dixit illi Saul: *Non vales resistere Philisthæo isti nec pugnare quia puer es: hic autem vir bellator ab adolescentia sua.* Sed David eo animosior ait eod. vers. *Leonem & ursum interfeci; erit Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex illis.* Sic est, confortati divina gratia non habemus cur valde timeamus; sed quatenus vires humanæ naturæ considerare velimus. memores nos esse oportet glossæ super citatum locum, *Philistæi dæmones: Goliath caput eorum, dæmonum Lucifer: altitudo Goliæ diaboli superbia; arma Goliæ, Diaboli ad nocendum versutia.* & dicti S.Joan.Chrysost.hom.22.super istum locum S.Pauli. *Si tales instructæ sunt acies, si incorporalis Principatus; si mundi Domini; si spirituales nequitiæ adversus nos sunt, quomodo deliciamur, quomodo tam incauti vivimus?* §.3. *Prosecutio.*

Potentiæ & astutiæ hujus serpentis accedit implacabile odium & invidia erga genus humanum. Sapientiæ 2. v.24. *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum.* Neque satis illi fuit, quod per peccatum hominem fecisset mortalem, sed mox cum Caino Gen.4.v.8. belli ducem egit & ipso mortis genere erga innocentem Abelem, inceptam Tragœdiam amplificare §.4. *Diaboli odium & invidia erga genus hum.*

 enisus

enisus est; & enititur quotidie. Juxta verba Christi D. Joannis 8.44. *Homicida fuit ab initio*, & talis est in hodiernum usque diem; crudelis leo circumiens & quærens quem devoret; Super verba S. Matthæi c.8.28. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis*, ait S. Petrus Chrysologus ser.16. *Attendite, quæ sævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum, erga genus humanum: contenti non sunt mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire: sese sepulcris mandant, ut homines redigant in sepulcra: pascuntur cadaveribus, putredine saginantur, deliciantur fœtore; quibus tota voluptas est interire.*

§. 5. *Sæpe multi diaboli insidiantur uni animæ.*

Cum diabolus à Deo accepisset potestatem, vexandi & probandi patientiam Jobi. cap.1.12. *Repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos ejus & mortui sunt*, quærit Origenes l. 1. in Job. Si per unum angulum domus poterat cadere, cur omnes quatuor angulos convellere voluit? Respondet, ut ostenderet ferociam, atque animum suum homicida: Ex omnibus partibus irruerunt, festinantes in domum, atque adversus murum rapientes, quis primum hanc iniquitatem inciperet, quis primum hoc homicidium perpetrasset; ingentem unusquisque eorum reputans dolorem, si prior illo, alter procederet ad ruinam. Addit Jansenius ad nostram institutionem voluit Dominus multitudinem dæmonum unum hominem possidentium innotescere, ut agnosceremus, non esse nobis singulis negotium cum singulis dæmonibus, sed multos simul dæmones, frequenter unius saluti insidiari.

§. 6. *Aviditas dæmonis ut perdat animas.*

Lib. 6. revel. S. Brigittæ refertur cap.31. Christum D. cum in præsentia diaboli Animam quandam adjudicasset æternæ beatitudini illi dixisse, *quid faceres, si hanc animam posses tecum rapere in infernum*; Respondit diabolus, *si corporeus essem & totum spatium quod est inter cœlum & infernum, esset plenum lanceis & acutissimis cultris; inter hæc libenter transirem à summo cœli usq; ad infernum, ut illa daretur in potestate mea.* Ideo sanctis personis magna cura omni hora & momento insidiatur. *Quemadmodum enim piratæ* (S. Joannes Chrysost. hom.31. in gen.) *quando*

vident

vident navim multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem divitias, tunc potissimum variis moliuntur insidiis ut possint mercibus omnibus navigantes illos spoliare; ita sane diabolus cum videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem (præsertim sancto tempore Quadrag.) cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras machinatur artes & insidias, ut si quem, vel exiguum inveniat aditum, per quem semen callide insinuet, & quidquid nobis est spiritualium divitiarum, deprædetur, illisque spoliet.

Nihilominus laudanda est Providentia Divina, tantoque magis prædicanda, tanto amanda ferventius, utpote quæ malum quod nobis, aut à Lucifero, aut ab aliquo sociorum ejus paratur, semper si volumus in bonum vertit, semper nobis præsto est, semper nobis vires animosque ad luctam necessarios subministrat. S. Aug. Intendat charitas vestra, ne fortè dicatis: hæc mihi diabolus fecit; prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam Filiis. Præterquam, quod efficacissima habeamus media, quibus tantum hostem facillimè superare possumus: unum ex efficacissimis sacrosancto suo exemplo nos docuit Christus Dominus, nimirum Jejunium.

§. 7. *Nihilominus vinci potest.*

Hic fuit sensus Angelici Doctoris, *quod per jejunium nos oportet contra tentationes diaboli armari.* Et S. Joan. Chrysostomus hom. 13. in Matth. *Ut discas, quàm magnum bonum est jejunium, & qualiter scutum est adversus diabolum; Ideo Christus jejunavit; non jejunio indiget, sed nos instruens.* S. Ephrem. Syrus putat Regem Ninivitarum cum Jonas prædicasset pœnitentiam, in ardentissima adhortatione ad populum suum, inter alia, hæc dixisse: *Nunc precibus Satanam vincere studete; egrediamur & fortè cum illo bellum committamus. Exuite thoraces, & induite saccos, pharetras abjicite, & ad preces confugite, relinquite enses, & quærite fidem, tela confringite, & jejunium suscipite.* Non sine mysterio dixit Christus D: Matt. 17. 20. *Hoc genus dæmoniorum non* ejici-

§. 8. *Et quidem jejunio.*

ejicitur, nisi in oratione & jejunio. S. Hilar. id est; *Acriora dæmonia.* Cajetanus hic: *Perpende hinc, quanti à Deo fiat jejunium, ex hoc, quod opera ardua, jejunii concursum requirere* explicavit. S. Aug. ser. 65. de temp. *Videte charissimi, quanta sit jejunii virtus, ut id facere jejunium valeat, quod Apostoli nequiverunt.* Tertullianus l. de jejun. c. 8. *Adversus diriora dæmonia jejuniis præliandum. Quid enim mirum si eadem operatione spiritus iniquus educitur, quo Sanctus inducitur.*

§. 9. *Declaratur similitudine ex S. Ambrosio.*

Valde mihi placet simile S. Ambrosii lib. 6. Hexam. c. 4. *Iejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur.* Vide quanta vis jejunii sit, ut & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito, spiritualem. S. Athanasius proinde hoc suadet l. de Virginit. dum ait: *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, si hoc animadvertat hoc pharmaco utatur, Iejunio inquam; & statim spiritus malus oppressus abscedet, vim jejunii metuens.* Prout S. Antonius suis fratribus dicere solitus fuit; *Mihi credite fratres pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia.*

§. 10. *Digressio ad pœnam pestis.*

Mirabilem visionem refert Tursellinus in Epitoma hist. l. 6. In urbe Roma, Visus fuit à multis diabolus cum hasta urbem obiens, is ad Angeli imperium, cuspide domorum feriebat januas, & postero die mortuorũ numerus hastæ ictus æquabat. Sed! cum in templo S. Petri ad Vinc. in honorem S. Sebastiani erectum fuisset altare sæva illa lues confestim populi precibus atque jejuniis quasi extincta cessavit. Quis nostrum est Auditores, qui hunc Angelum malum, hunc immitem Justitiæ divinæ satellitem non summopere expavescat. Vidimus profecto, quot in vicinia strages ediderit annis nuper elapsis! quid consilii? en suggero; piam Romanorum imitemur industriam, adsciscamus in salutis nostræ Patronum D. Sebastianum Athletam: imploremus validum ejus subsidium; tum, quod alterum industriæ hujus caput est, jejuniis insistamus. Etenim exploratum longâ habemus experientia, hoc infestum dæmoniorum genus, non nisi in oratione, atque jejunio expelli. Hæc, & non alia arma hosti nostro infernali terrorem incutiunt. Angeli

geli verò boni nos defendent. S.Basilius hom.2. de laud. Jejun. Angeli diligentius adsunt his, qui jejunio purgatam animam habent. S.Athan. Jejunium Angelorum cibus est.

§ 11. *Certa dæmonia, non possunt vinci nisi per Iejunium. Per hoc Iudith triumphavit de Holoferne.*

Repeto; certa dæmonia debent superari Jejunio. Celeberrima heroina fuit Juditha, & propter admirabilem pulchritudinem, & propter plurimas excellentes virtutes, ob quas ab omnibus incolis Bethuliæ diligebatur; sed præsertim ob inauditam victoriam quam de Holoferne reportavit. Modum describit Sacer textus, inter alia ait cap.8. illius historiæ v. 6. *Et habens super lumbos suos ciliciũ ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ*; *Et ita Iudith* (inquit Ambr.) *solo titulo sobrietatis, desperatũ reportavit triumphum.* Terribilis Holofernes imago quædam est diabolorum, præsertim illorum qui jacent in molli humani cordis lectulo, decumbunt inter rosas & pulvinaria Veneris; sunt Cacodæmones qui omni arte insidiantur pudicitiæ cujusdam Judithæ, cujusdam animæ sanctæ, præsertim hoc tempore quadrag. quo sanguis in humano corpore rursum accenditur, quo furere solet stimulus carnis (sic loquitur S.Paulus) O Judithæ! O animæ piæ! non superabitis nisi per jejunium. Hic est ille gladius, quo caput tartarei Holofernis resecatur. Hic est ille clypeus, longè validior Ajacis, aut Agamemnonis scuto. Hæc est illa lorica eorum, qui cœlos non armis, sed precibus, virtutibus, atque jejuniis expugnare nituntur; gigantum. Hæc est illa armatura fortium, cui cedere cogitur, ipsemet infernalis princeps legionis Lucifer.

§ 12. *Esther de Amano.*

Cum scelestus Aman à Rege Assvero obtinuisset mandatum & edictum quo Rex jubebat ut omnes hebræi occiderentur; Esther sollicita de remedio & de tanto populi totius periculo attonita jussit Judæis dici, cap.4. *Non comedatis & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. Et ego cum ancillis meis similiter Ieiunabo.* Quo effectu? plane admirabili. Esther invenit gratiam coram oculis Assveri; Mardochæus fuit honoratus, populus ab excidio liberatus, Rex revocavit sententiam, Judæorum hostem Amanum jussit in malam crucem agi, unà cum filiis suis. S.Ambr. lib. de Elia & Jejun. c. 9. *Itaque illa quæ*

triduo

triduo jejunavit continuo, plus placuit & vindictam retulit. Est ergo jejunium, reconciliationis ſacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ. Hoc tempore verno incipit præcipuè furere infernalis Aman, ut ad ruinam ſpiritualem in gravia ſcelera plurimas animas detrudat. Cœleſtis Eſther Chriſti Dei ſponſa, Eccleſia inquam Catholica, ſollicita eſt de remedio, ideo duo præſtat; Erigit crucem Salvatoris, ut illi affigamus & crucifigamus diabolum; pro fune, præſcribit Jejunium, hoc veluti fune jugulatur infernalis ſerpens. Non ſine cauſa ſuperius inſinuavi cum Amano etiam filios fuiſſe ſuſpenſos, in patibulo. Iiſdem omnino armis hoc potiſſimum tempore expugnandus eſt diabolus; fraudium parens, una cum ſcelerata ſua cohorte. Quid enim? Progenies & Soboles illius eſt, impurus amor; jugulandus hic eſt, in facie crucifixi! ſed funis, quo jugulatur, eſt jejunium. Soboles illius eſt, gula. Jugulate gulam, funem afferte, jejunium adhibete. Soboles illius eſt negligentia cultus divini, deſidia in rebus ſacris, torpor & languor animi ad cœleſtia; jugulate has proles tartareas, date operam precibus, ſed & jejunium non omittite. Non poſſum, quin repetam duas voculas, quibus S. Amb. ſuperius citatus clauſit pulcerrimam periodum; quod ſcilicet jejunium nos fortes faciat, cum *augmento gratiæ.* Hic eſt utiliſſimus effectus Jejunii; ex meis auditoribus neminem puto eſſe tam frigidè pium, tam remiſſe Catholicum ut tempore quadrageſimæ non plus temporis orationi, non plus devotioni in templis, non plus meditationi in cubiculis, quam reliquo per annum tempore addicat. Ut omnia veſtra opera bona fiant cùm augmento gratiæ; jejunate! ut preces veſtræ Deo gratæ atque acceptæ, fragrantiſſimi thuris inſtar aſcendant in odorem ſuavitatis; jejunate! ut opera pœnitentiæ mortificationes, flagellationes, cilicia in bonum animarum veſtrarum, & non in vanæ gloriolæ auram evadant, Jejunate! ut ſacræ exomologeſes quæ frequentiores hoc tempore inſtitui à vobis ſolent, citius meritas, debitaſque ſceleribus pœnas expungant, Jejunate! ut maiori cum devotionis guſtu ſacræ Euchariſtiæ

epulo

epulo accumbatis, Jejunate. Verbo, sit omnium vestrorum operum, veluti condimentum, Jejunium.

Terribilis est sententia Tertulliani, adv. Psych. c. 7. *Sodoma quoq; & Gomorrha evasissent si jejunassent.* De tribus pueris in fornace babylonica ait c. 3. v. 94. Danielis; *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Unde tantum miraculum? Resp. S. Joannes Chrys. hom. 1. de pœnit. *Quomodo? Ieiunium interroga, & respondebit, & solvet tibi ænigma. Vidisti pugnam admiratione dignam? Vidisti novam & inauditam victoriam? Ieiunium mirare; quoniam quidem in camino fert opem.* Ignis Sodomæ, sulphur Gomorrhæ, fornax babylonica, ardens caminus, erumpentes inde flammæ & scintillæ triplicem ignem oculis nostris proponunt. 1. materialem, quo hoc tempore tot Provincias punit Deus, nimirum pestem, quid diceret Tertullianus si reviviseceret; fortassis evasissent, si jejunassent, si superiori quadrages. non tam avide vorassent carnes, &c. 2. Ignem spiritualem sive animarum; id est, gravium scelerum præsertim luxurias, fortassis non arderent, si jejunarent. 3. Ignem inferni; fortassis plurimæ clamant inter illos ignes: Non arderemus si jejunassemus. Quæso simus solliciti Aud. ut ab hoc triplici igne liberemur, & Jejuniis corpora nostra maceremus. S. Aug. ser. 130. de temp. Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.

§ 13. *Ut à triplici nocivo igni liberemur, jejunemus.*

Redeo ad cap. 1. Jobi, quod superius citavi. Versus 18. ait *Filiis tuis & filiabus tuis vescentibus & bibentibus, repente ventus irruit, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Ex hoc loco superius ostendi ferociam diaboli; sed ex iisdem verbis advertite circumstantiam temporis, quando istam ferociam exercere potuerit. Origenes in Cat. græca ait: *Si precantes eos diabolus invenisset, nihil contra eos efficere potuisset; Verum cum ei oblata fuit occasio, tunc demum potuit. Sed quale tempus fuit opportunum? qualisque op-*

§. 14. *Quo tempore Satan nocere potuerit filiis Iob.*

portunitas: potus fuit. Tanti refert Auditores mei, omnem dæmoni viam atque accessum ad nos præcludere, omnem nos superandi occasionem præscindere. Præcidisset profecto incauta Jobi soboles, si jejunio potius, quàm ventri ac gulæ studuisset. O fortis sanctorum armatura, Jejunium. O rete diaboli! O certa animarum pernicies, gula! absit à me, absit à nobis omnibus, qui veri Ecclesiæ Catholicæ filii nominari atque esse volumus, absit ut per transgressionem huius de ieiunio præcepti aditum ad nos atque accessum faciamus diabolo. Jesu! qui quadraginta dies, totidemque noctes strictissimo in ieiunio exegisti, aperi mentis nostræ oculos, ut cum forte idem, qui te tentare non dubitavit, in deserto inimicus, in nos per gulæ, ventrisque ingluviem, insultum fecerit, videamus eius fraudes, cognoscamus pericula, impetum repellamus, & tandem per Jeiunium, tanto ab hoste gloriosi victores evadamus. Finio, cum S. Th. in ep. ad Gal. 5. *Ieiunantes dum carnem suam affligunt Passioni Christi conformantur.* Palæmon Eremita: *Dominus meus Crucifixus felle & aceto potatus est, & ego oleum addam?*



CONCIO XIV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Filia mea, male vexatur à dæmonio.

Matt. 15. cap. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars, suadet devotam & frequentem Orationem, tanquam potens & efficax medium, ad vincendas tentationes Dæmonum. Altera pars monet, ad perfectionem Jejunii, & Ora-

& Orationis, necessario requiri hanc conditionem, ut Deum graviter non offendamus.

ANte octiduum in Evangelio audivimus Diabolum tantæ fuisse audaciæ, tantæ impudentiæ, ut Christum D. Filium Dei, gravissimis tentationibus aggredi non dubitaverit: unde mirum non est, si potens, astutus, & malignus ille hostis nobis mille struat insidias, mille laqueos pedicasque injiciat. Sed, ostendi, per Jejunium facillimè posse etiam primaria & atrocia dæmonia superari: Quandoquidem verò Evangelium hodiernum alium nobis dæmonem iterum proponit; eum nempe qui miserandum in modum cruciavit filiam Cananææ, ut iterum memores simus, qua astutia, qua malitia malus dæmon nobis insidietur; cogito hac concione aliud quoque auditoribus meis insinuare remedium, quo astuto hosti & fortiter & efficaciter resistere possimus; ut nimirum cum Cananæa confugiamus ad Christum, & ardentibus §. 1. *Oratione vincitur dæmon.*

precibus misericordiam ejus sollicitemus! Dixi nuper Regem Ninivitarum, post prædicationem Jonæ statim indixisse Jejunium, de eodem ait S. Ephrem Syrus ser. de pœnit. Ninivitarum. *Vocans adduxit omnem suum populum ad orationem; & illius adminiculo scutum liberationis concessit. Festinavit, ut in urbe proclamaret pœnitentiam pro pharetra; cuius sagittæ* (scilicet orationes) *ad cælos perveniunt, & dum mittuntur vincunt.* Nunc scopus, in quem collimo, est, ut efficiam, ut mei auditores, per S. Quadrag. frequenter & diligenter in orationem incumbant; tum aliquod apponam monitum, quo orationes & jejunia nostra reddi possint fructuosa.

§. 2. Proinde pii Christiani, per quadragesimam præcipuè instant Orationi.

Si unquam, certe in quadragesima, locum habet aureum monitum S. Ambrosii ser. 19. *Divide saltem Deo, & sæculo tempora tua. Mane festina ad Ecclesias, defer primitias pii voti; & postea si vocat sæcularis necessitas, poteris dicere, Prævenerunt oculi mei mane, meditari verba tua, sic securus procedes ad tuos actus. Quàm iucundum inchoare diem, ab hymnis & canticis!* ante octiduum valde commendavi jejunium, & præcipit illud nobis Mater Ecclesia sub peccato mortali, sed super verba illa, *levate manus vestras* &c. bene monet S. Bernardus ser. 4. de quadrag. *Fratres omnino solliciti estote, ut duas manus habeat Ieiunium Vestrum, sanctimoniam scilicet, & orationem! hoc est sanctificare Ieiunium, ut pura intentio & devota oratio divinæ illud offerat Maiestati.* Job de se ait cap. 41 3. *Non parcam ei* (id est, importunus ero Deo meo, ut ardentissimis precibus, implorem misericordiam ejus, & illud faciam.) *Verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.*

§. 3. Quænam sint potentes orationes, ad deprecandum composita, ex cap. 41. Iob.

Idem nobis agendum est hac quadragesima, ut contra dæmones, qui nobis molesti sunt, instruamus nos armatura precum; & gratiam necessariam ad obtinendam victoriam imploremus; *Verba potentia,* & ad deprecandum composita non desunt; primum locum obtinet Oratio Dominica, quam quia Christus D. ipse composuit, nulla ad deprecandum esse potest potentior. Cum oratione Dominica, in Rosario B. V. veluti rosæ cum liliis, miscentur salutationes Angelicæ, in varias decades di-

des diſtinctæ; v.g. in Roſario Doloroſo, una decas recitatur in honorem ſanguinei ſudoris; altera in memoriam flagellationis,&c. Animæ piæ, omnia in tali oratione verba ſunt potentia, ſunt ſcuta, ſunt clypei, ſunt verba, partim à ſacroſancta Trinitate; partim à Chriſto D. partim à S. Angelis, aliiſque ſanctiſſimis perſonis compoſita. Non parcite divinæ miſericordiæ; inſtate orationi. Sacerdotes, aliique miniſtri Eccleſiæ tenentur quotidie certos pſalmos, cum aliis antiphonis atque orationibus quæ omnia officii divini nomine comprehenduntur, perſolvere; in quo omnia verba ſunt potentia & ad commovendam Dei miſericordiam accommodata, atque à Spiritu S. directa, ſentiunt alii per quadrag. cœleſtem guſtum, in piis Litaniis & orationibus de Paſſione Chriſti D. de quinque ſacroſanctis Vulneribus, de effuſionibus ſanguinis, quæ plerumque plenæ ſunt affectuoſiſſimis obteſtationibus ad Chriſtum D. ut per ſua Vulnera, cicatrices, dolores, mortem ſit nobis pius, ſit clemens, ſit miſericors; Hoc agite, animæ piæ; non eſt idoneum magis pietati veſtræ tempus, quàm hoc quadrageſimale; hic vobis orandum eſt, hic inſtandum opportune, importune, hic ignita precum tela ejaculanda in cœlum. O quàm uberem orandi materiam, vobis hiſce diebus ſubminiſtrant pſalmi ſeptem, quos pœnitentiales paſſim nuncupamus. O quàm nobiles virtutum affectus ſuggerit ille contriti cordis, regius Pſalmus: Miſerere! hic poteſtis Audit. ingemiſcere cum Davide, hic poteſtis cum eodem Dei miſericordiam inclamare, cordis munditiem implorare &c. Quot verba hic oratis, tot in cœlum ardentes virtutum ſagittas evibratis.

Ita placatur Chriſtus D. his orationibus; tam gratæ & acceptæ ſunt illi ejuſmodi preces, præſertim pœnitentis alicujus Animæ, ſi coram Crucifixo, effundat cor ſuum, ut faſſus fuerit S. Mechtildi, teſte Lud. Bloſio in Mon. Spirit. c. 1. *Si, peccator, mox per pœnitentiam redierit ad me, confidens in mea miſericordia, paratus tum ad omnem ejus gemitum* (& deprecationem) *omnem culpam ei remittere.* Teneriori affectu plena ſunt verba, quæ ſequuntur; *Nullus eſt adeo magnus peccator, cui ſi verè pœnituerit non*

§. 4. Suaviſſimus fructus potentis Orationis & piiſſimus locus de infinita Miſericordia Chriſti D. erga pœnitentem Orantem.

non mox omnia peccata plene remittere paratus sum, & cor meum tanta clementia, atque dulcedine super ipsum reclinare, ac si nunquam peccasset. O felices meos sodales Agoniæ Christi in cruce Agonizantis! quæ congregatio nil aliud est, quam illorum conventus, qui potentibus precibus à Christo Crucifixo mediante Rosario quinque SS. Vulnerum impetrare volunt felicem mortem. Sodales Amantissimi, Devotæ Deo animæ, non parcite Jesu Vostro; sub recitatione hujus Rosarii, petite à Spiritu S. potentia verba, &c. effundite corda vestra in igneas preces; procumbite cum pœnitente Magdalena ad pedes Salvatoris; promite potentia caritatis verba, nec parcite lacrymis: laxate frænum piis suspiriis, dicite verba! sed verba efficacia, verba ignea, verba ad commovenda piissimi Jesu viscera, composita.

§. 5. *Pia Oratio per quadragesimam requirit aliquam solitudinem, & loca pia.*

De tali oratione pulchre ait Oleaster super c. 32. gen. ubi dicitur de Jacobo, quod, dum cum Angelo fuit luctatus manserit solus, in quodam colle, & prout illa historia depingi solet, sub quadam arbore; talis inquam oratio, quæ Deo non vult parcere, quæ divinæ misericordiæ vult vim inferre; *Requirit locum secretum, & qui orat, debet secretiora loca quærere*; ita de S. Dominico refert historia Vitæ ejus. In itineribus jubebat socios se antecedere, dicens: *Interim cogitemus de Salvatore nostro.* S. Francisco Seraphico in monte impressa sunt signa Vulnerum Salvatoris. Sic Moyses dixit ad Pharaonem Exodi 9. v. 13. *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.* De Christo Salvatore nostro ait S. Joan. c. 18. v. 2. *Sciebat autem & Judas locum, quia frequenter convenerat illuc Iesus cum discipulis suis*, ut ibi oraret, scilicet in monte Oliveti Marc. 1. v. 35. *Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.* Matt. 14. v. 23. *Dimissa turba ascendit in montem solus, orare.* Animæ piæ! fixumne vobis est, hac quadr. frequenter cogitare de Christo D. de ejus cruciatibus, de morte ejus acerbissima, quærite aliquam solitudinem; abstrahite vos nonnihil à sæcularibus curis, à vanitate hujus mundi vosmet ipsi subducite, soli, vel in cubiculis, vel in aliquo templo, piis desideriis & cogitationi-

tionibus conſcendite montem Calvariæ, quærite palmam, ſacroſanctæ Crucis; Ibi conjicite vos in brachia Salvatoris, ibi cum illo luctam illam extremam auſpicamini, ibi cum illo oculos levate in cœlum; ibi cum illo ignoſcite inimicis veſtris, quia neſciunt, quid faciunt; ibi cum illo inter gemitus, cum clamore valido exclamate, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, corpus meum, vitam meam, ſanguinem meum, omnia mea, interiora atque exteriora, caduca & perennia, corporalia & ſpiritualia. Sic orandum eſt, Aud. cum Jeſu noſtro; hæc ſunt illa, de quibus egi hactenus, verba potentia; ſed in ſolitudine, in receſſu, in latebris pronuntianda. Et quales illæ latebræ? quinam illi receſſus? An non vos eſtis, O roſea Jeſu Vulnera? Ita! ita! in his latebris orandum, in his vivendum, in his denique moriendum eſt nobis: O beata Chriſti Vulnerum ſolitudo! O ſola Chriſti Vulnerum beatitudo.

Alius locus eſt in civitate hac Bambergenſi, quo vos invito, auditores mei Amantiſſimi, ut in honorem acerbæ Chriſti Paſſionis, per has quadrageſimales ferias ſubinde ſacras patientis Jeſu ſtationes obeatis. Ecquid ſancto hoc exercitio pulchrius? quid utilius? O quam ſanctæ vos cogitationes afflabunt cum prima vice lapſum ſub duro crucis pondere Jeſum veſtrum ſpectabitis! Quis tam durus eſt, ut ſibi temperet à lacrymis, cum ad ſecundam ſtationem triſtiſſimam Domini Matrem, dum bajulanti crucem Filio occurrit, intuebitur? quis non intimis animi viſceribus commovebitur, ſi tertio loco fatiſcentem ſub Cruce Jeſum, ſpectet? ubi Simon Cyrenæus, ad portandam cum eo crucem compellitur. Quid dicam de mœſto Veronicæ ſudario? O ſudarium! O viva divini amoris effigies! O quàm tuus me commovet aſpectus ad deteſtationem ſcelerum, ad patientiam, ad Crucem. Quid ſi quinto loco occurſum filiarum Sion conſiderem? an non illarum lacrymis, meas quoque jure meritiſſimo, commiſceam? Jam ſi in aſcenſu montis Calvariæ conſiſtam, & cum Jeſu meo guſtem, amarocum felle acetum acerbisſimum? Quid ſi denique ultimùm in Crucem lapſum advertam? O anima mea, quomodo amabo, fie-

§. 6. Digreſſio ad Stationes Crucis erectas Bambergæ, & ſeria adhortatio, ut viſitentur.

bo, fieri poteſt, ut has ſeptem Jeſu Patientis tui ſtationes obeas ſine lacrymis, precibus, ſuſpiriis? Videte jam Auditores mei Bambergenſes, quid à vobis ſacro hoc tempore, fieri par ſit, videte, quâ devotione ſacras has ſtationes, ſingulis ut minimum ſemel ſeptimanis, & potiſſimum die Veneris obeatis.

§. 7. *Suadet frequentes orationes jaculatorias.* Jam verò dum ad frequentem per hanc quadrageſimam, orationis uſum vos adhortor auditores, advertere vos cupio, nō exigere me ut longæ illæ ſint; ut veſtris laboribus & negotiis multum temporis detrahatis; non expedit ſæpe familiæ, ut materfamilias integris horis hæreat in templis, nec ut aliquis Officialis, omnibus quæ hinc inde inſtituuntur proceſſionibus, ut vocant, interſit. Sed opto, ut inter labores, inter negotia, frequenter & breviter mentes veſtras elevetis ad Deum, ut per breves, pias cogitationes, per amoroſa ſuſpiria, per teneros affectus, cogitetis de amantiſſimo D. qui tanta pro nobis paſſus eſt Salvatore. De Anna Matre Samuelis ait l.1.reg. c.1.v.12. *cum illa multiplicaret preces corā Domino,* quæ verba S. Joan. Chryſoſt. hom.1. de Anna ſic explicat. *Aſſiduè ſonabat eadem, nec deſtitit iiſdem verbis iterandis, multum temporis abſumere. Non ſermone prolixo, ſed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum.* Angelicus Doctor has preces vocat orationes *quas ſancti faciunt in puritate cordis*; ſic Seraphicus S. Franciſcus totis noctibus nihil oravit aliud, quàm hæc verba, Deus meus & omnia. De ipſo Chriſto D. orante in horto ait v.44. cap.26. S. Matt. *Eundem ſermonem dicens,* Pater &c. Pulchrè S. Joannes Chryſoſtomus hom.79. ad pop. *Vbicunque ſis potes altare tuum conſtituere; nihil enim prohibet locus, neque impedit tempus.*

§. 8. *Proſecutio.* Quam ſuaves & utiles orandi praxes nobis ſuggerit hic diſcurſus, hoc potiſſimum ſacro tempore quadrageſimæ. O amatores Jeſu ſint rogo corda verſtra, viva Numinis altaria, ſint aræ patientis Jeſu hiſtoriam repræſentantes. Sic in quorundam corde, velut altari erecta eſt pia imago Chriſti D. ſudantis ſanguinem. Certè cor S. Thereſiæ fuit altare, cum imagine Chriſti flagellati ad columnam &c. puto vos hunc loquendi modum

modum penetrare; S.Joannes Chrysostomus vult dicere, pias animas per quadragesimam frequenter esse memores horum mysteriorum. Hoc concernit memoriam & intellectum, voluntatis verò sive cordis officium & operatio est, ut v.g. cum Anna, multiplicet assiduè coram illis imaginibus piissima aliqua verba, v.g. Benedictus Jesus meus sudans sanguinem, Jesus Amor meus! flagellis acerrimè cæsus! Benedictus sit Jesus Rex cordis mei, spinis coronatus! Benedictus sit Jesus Redemptor meus ponderosam crucis trabem bajulans; Benedictus sit Deus meus, pro me in cruce moriens! Easdem has voces tales animæ assiduè ingeminant millies; non desistunt eadem iterare; frequentissimis suspiriis; invisunt Christum D. non tantum in templis, sed & in campis, in hortis; in culina, &c. sic eosdem sermones dicunt, sic millies repetunt.

Ita sodalium congregationis Christi in cruce Agonizantis officium & pietas est, ut in corde suo, velut altari, habeant vivam imaginem sive memoriam Christi D. pendentis in cruce, & Astantis Matris Dolorosæ; quem alium in finem, nisi ut multiplicent ardentia suspiria, ut millies iterent hunc præcipuè sermonem, Jesu per rosea tua Vulnera, per angustias mortis tuæ, per dolores Matris, largire nobis sanctam mortem. *§.9. Digressio ad sodales Agoniæ.*

Nolo modo amplissimæ materiæ de oratione diutius inhærere; bina concione, hodierna, & illa quam dixi ante octiduum, ostendi duo efficacia remedia contra tentationes diaboli esse Jejunium cum Oratione. Et cum non dubitem multos ex meis auditoribus utrique huic sancto operi insistere; ad illud modò progredior, cujus vos hac altera concionis meæ parte monendos duxi; estque illud ex S.Hieronymo in cap.17. Matth. desumptum. *Iejunium non est solum ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere. Vel dici potest*, inquit S.Thomas, *quod etiam Iejunium propriè dictum est abstinentia ab omnibus illecebris; quia per qualibet vitia adjuncta, desinit esse actus virtuosus.* Idem dicendum est de oratione. S.Greg.M. 3.p.Pastor.c.20. *In cassum per abstinentiam caro atteritur, si inordinatis moribus dimissa mens vitiis dissipatur.* Idem intelligo de oratione. Ninivitas laudat *§.10. Perfectio Iejunii & Orationis requirit, ut abstineamus à vitiis.*

S.Chrysost. non tantum quod vulneribus suis adhibuerint remedia, Jejunium, orationem, lacrymas &c. sed quod *adjunxerint quoque vitæ mutationem*. & Jonas cap.3.v.10. *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Dominus. Notate*, ait citatus S.Chrysost. *Non dixit, vidit jejunium, cilicium, & cineres &c.* Nec tamen hæc eo dico, ut jejunium tollam, (avertat hoc Deus) *sed ut vos ad id, quod jejunio præstantius* est, (& oratione) *faciendum horter, hoc est, omni vitio abstineatis*. In hoc tota pœnitentiæ vis atque virtus consistit.

§. 11. Probatur ex Isaia & SS.PP. Cap.58. ait Isaias ad Dominum, *Quare jejunavimus & non aspexisti*? Et ecce Dominus fuit dignatus in hunc modū respondere: *Ecce ad lites & contentiones jejunatis &c. Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis &c.* S.Hieron. Qui ergo jejunat, & vult jejunium suum respici, jejunet ab omnibus malis. Quid prodest, attenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? quam laudem merebimur pallore jejunii, si invidia lividi simus? quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Ecclesiastici 34. v.31. *Qui jejunat in peccatis suis, iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet?* S. Basilius hom.8. hexam. *Quid prodest quæso corpore jejunare, animam verò mille vitiis, mille malis esse refertam?* Elegantissime S.Maximus hom.3. de jejun. *Sic castigemus membra jejuniis, ut animas virtutibus saginemus, jejunet in nobis perniciosa luxuries, jejunet odiosa contentio, jejunet omnis iniquitas. Abstineamus ab epulis, magis abstineamus à vitiis, sic nos temperemus, sic sobrii simus à vino, ut nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas.* Quid enim prodest observatione quadraginta dierum jejunandi nos tempora custodire, & legem non tenere Jejunii? Quid prodest gulam refrænare, & laxare habenas luxuriæ? Quid prodest, ventrem habere famelicum, & animum simul vitiorum cœno oppletum? verbo dicam, quid prodest jejunium à cibis vetitis; si non adsit jejunium à vitiis? utrumque conjungere oportet; displicet Deo unius sine altero facta oblatio.

Tale


Tale debet esse jejunium nostrum, tales sint orationes nostræ, ut assumantur (loquar cum S. Th.) principaliter ad concupiscentias carnis reprimendas, ut per jejunia & preces, castitas conservetur, ut frigeat Venus, ut tepescat luxuria. S. Ambrosii l. de El. & Jejun. phrasis est ejusmodi. Jejunia & preces nostræ per quadrag. debent esse, *Mors culpæ*, id est, cum memoria mortis Christi, moriatur nostra superbia &c. affigatur cruci, &c. (O binas preciosas occupationes hoc sacrosanctissimo tempore, memorem esse mortis Christi, & mori vitiis) excidium delictorum, remedia salutis, radix gratiæ, fundamenta castitatis, aliarumque virtutum. Oratione casta, pura, humili, patienti delectatur altissimus. Eloquentia melliflui S. Bernardi in hoc discursu nemini poterit displicere, ser. 4. de quadrag. *Iejunium* (idem dicendum est, de oratione) *debet esse abolitio peccatorum, extirpatio vitiorum*; debet delere peccata præterita, quæ commisimus; sed, & repellere futura, quæ committere possumus. Item S. Basilius h. 2. de Jejun. illud laudat jejunium, *per quod peccata, jam ad immodestiam diffusa compescuntur, ac sanantur per Ieiunium.* (O si talis nobis hoc anno flueret quadragesima! O si finirentur vitia nostra, utinam finis esset blasphemiarum &c.) §. 12. *Prosecatio.*

Subdit S. Basilius pulcrum simile; *Velut per causticam ustionem aut sectionem, mali progressu ampliori intercepto.* Sed ad sectionem acuta requiruntur instrumenta, cultri, serræ &c. ad ustionem necessarius est ignis. Neque ad sectionem spiritualem talia desunt instrumenta, ecce clavos, ecce spinas, ecce flagra, quibus Christus D. Salvator noster in corpore vulneratus est; illis nos vulneremus animas & corda nostra; ut fluant lacrymæ contritionis ob peccata præterita; sed ita, ut iisdem instrumentis sistamus impetum peccatorum futurorum. Loquar clarius audit. per clavos, per spinas &c. vos obtestor audit. per hanc quadrag. Salvatorem vestrum non offendatis graviter. Necessarios ignes, invenimus in Vulneribus Salvatoris. § 13. *Eadem res declaratur simili.*

Dum ego in toto discursu puncti secundi hujus Concionis suppono meos audit. diligenter & orationi & jejunio vacare, videor §. 14. *Transgressoribus præ-*

cepti de jejunio minatur igneos serpentes.

videor mihi tamen audire aliquos murmurantes; O mi Pater: sunt qui non tantum non jejunant, sed rident jejunium, explodunt, contemnunt &c. Si ita sit, timeo audit. ne revocetur pœna olim cap. 21. v. 6. Numer. inflicta ut Deus in nos immittat *ignitos serpentes*. Igneus serpens est pestis; ignei serpentes, varii sunt morbi &c. dysenteria, catarrhi apoplectici, febres malignæ &c. Sed quare Deus punit serpentibus? R. S. Ephrem. ser. de pœnit. *In serpentibus correpti fuere, Quondam primorum parentum sensum consiliumque resumserant.* Serpens illis suasit esum pomi; idem serpens suadet comestionem carnium, idem serpens suadet transgressionem præcepti de jejunio, sed jugulandus est &c.



CONCIO XV.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Iesus ejiciens dæmonium.

Luc. 11. cap. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de necessitate & utilitate Sacramentalis Confessionis; quâ peccator insidiantem dæmonem facillimè potest vincere.

§. 1. *Diabolus est iuratus hostis Sacramentalis Confessionis.*

§. 2. *Confessio signum veræ Ecclesiæ.*

§. 3. *Sublata Confessione aperitur ostium omni iniquitati.*

§. 4. *Testimonium Lutheri.*

§. 5. *Confessionis Sacramentalis necessitas probatur ex verbis Christi D. qui illam instituit.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 7. *Probatur eadem necessitas ex* cap. 10. S. Lucæ, *& S. Augustino.*

§. 8. *Suscitatio Lazari fuit figura Sacramenti Confessionis.*

§. 9. *Alia figram ex* cap. 21. *S. Matthæi.*

§. 10. *Aureum dictum S. Chrysostomi de necessitate Confessionis.*

§. 11. *Alia similis sentētia Origenis.*

§. 12.

§. 1. *Diabolus eſt juratus hoſtis Sacramentalis Confeſſionis.*

TErtia labitur Dominica quadrag. qua iterum mihi negotium eſt cum maligno Satana; quia iterum novas ſtruit mortalibus inſidias, Dei & hominis adverſarius juratus. Cum enim aſtutiſſimus ſerpens non neſciat, quàm certa & facilis medicina ſit relapſis in peccatum, Sacramentalis Confeſſio, omnes adhibet machinas, ut per ſuos miniſtros, per falſos prophetas ſive hæreſiarchas, illam penitus tollat, quod fit dum profitetur non eſſe neceſſariam ad ſalutem, multò minus eſſe ſacramentum à Chriſto D. inſtitutum; adeò ut Calvinus auſus fuerit ſcribere l.3.Inſt.c.4.§.19. *Auricularem iſtam Confeſſionem, rem adeo peſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ noxiam damnamus ac ſublatam ex Eccleſia cupimus.* Alibi docet, Confeſſionem, & abſolutionem privatam, è fœtidis Antichriſti Romani lacunis originem ſuam habere, & ab ipſo diabolo invectam eſſe in Eccleſiam. Verum quia hæ & ſimiles aliorum quoque hæreſiarcharum horribiles blaſphemiæ aliorum Catholicæ Eccleſiæ filios parum movent, aſtutus ſerpens binas alias ingreditur vias; ut confeſſionem vel reddat valde gravem, difficilem & odioſam, vel certe labefactet aut mutilet, id eſt, ut impediat ne peccator candidè & integrè omnia gravia peccata confiteatur: ſive, ut S. Paſchaſius loquitur, *Satan obſidet peccatoris linguam, ne vocem Confeſſionis emittat.* De Confeſſionis integritate agam Deo volente poſt dies quatuordecim; modò utilia quædam puncta de ejus excellentiâ atque utilitate, proponam.

§. 2. *Confeſſio eſt ſignum veræ Eccleſiæ.*

Lactantius Firmianus, qui vixit Anno Chriſti 320. contra Novatianos de confeſſione dixit l.4. Inſt. c.4. *Sed tamen quia ſinguli quique hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant; ſciendum eſt illam eſſe veram, in*

qua est Confeßio & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curet: & proinde impedit, quantum potest, ne fideles in nova ruant scelera præcipites.

§. 3. *Sublata confessione aperitur ostium omni nequitia.* Sicut è contra Diabolus Luthero, ut aperiret ostium omni iniquitati, suggessit & persuasit, ut tolleret auricularem confessionem; adeò ut ipsi Norinbergenses per Legatos suos conquesti fuerint apud Augustissimum Imperatorem Carolum V. p. m. se usu & more intellexisse, Rempublicam suam, postquam confessio cessavisset, vitiis contra naturam, atque alias virtutes, scaturire, & ejusmodi quidem vitiis quæ illis antea fuerunt incognita; petieruntque auctoritate Cæsareâ usum auricularis confessionis restitui. Dominicus Soto id temporis Imperatoris Confessarius propterea ait in ep. S. Pauli, *Verecundia confitendi vehementissime à perversis moribus arcet.* Id quod me teste, Germani ipsi publicè, dum inter eos agerem, confitebantur.

§. 4. *Testimonium Lutheri.* Confessionem ipsiusmet Lutheri legere potestis in ejus concionibus Dom. I. Adv. conc. II. *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior; iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cum antea (in Papatu) unico tantum diabolo obsessi essent. Diabolus iam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida Evangelii luce, sint avariores, callidiores, crudeliores, multo denique deteriores, quam ante in Papatu fuerunt.* Sic ille. Eadem fatetur Calvinus.

§. 5. *Confessionis Sacramentalis necessitas.* Ecclesia Romano-Catholica docet & credit Confessionem esse Sacramentum ab ipso Christo Domino institutum relapsis in mortalia peccata, ad salutem absolute necessarium. Clara sunt verba Christi D. ad S. Petrum Matt. 16. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* S. Maximus hom. 5. in festo BB. Ap. Petri & Pauli. *Clavis dicenda est, qua ad fidem, peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam, rationabili manifestatione producitur.* Clavis, in-

quam,

quam, quæ, & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterii ſalutaris includit. Addit Rabanus. *Hæc autem ligandi, atque ſolvendi poteſtas, quamvis ſoli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apoſtolis datur; nec non etiam Epiſcopis, & Presbyteris Eccleſiæ.*

Joannis 20.22. Chriſtus D. *inſufflavit & dixit eis, Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Super quæ verba ait Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 1. de pœnit. *Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tum præcipue inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens, Accipite Spiritum S. &c.* Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis; poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus, fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper affirmavit. Canone 6. *Si quis negaverit Confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure divino; aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia Catholica ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.* §. 6. *Proſecutio.*

Luc. 17. v. 13. decem leproſi clamarunt, *Ieſu Præceptor miſerere noſtri*; & ardentes preces pro ſua clementia & bonitate exaudivit Dominus, antequam tamen ſanentur ait illis v. 14. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* His verbis S. Auguſt. utitur contra quoſdam de quibus ait, *ſunt quidam, qui ad ſalutem ſibi ſufficere autumant, ſi ſoli Deo cui nihil occultum eſt, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſive, dedignantur ſe oſtendere ſacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernendi, per legiſlatorem Dominus conſtituit; ſed nolo, ut iſta decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario.* Deinde pergit. *Non abnegamus quin ſit ad Deum frequenter referenda confeſſio peccatorum; ſed teſtamur, & teſtatur illud ſana doctrina, quia prius eges ſacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum, ſalubri iudicio: Alioquin & ſub lege, & ſub gratia, ite, oſtendite vos ſacerdotibus reſponſum divinum quomodo conſummaretur?* §. 7. *Probatur eadem neceſſitas ex c. 17. S. Lucæ & S. Auguſtino.*

Cum

§.8. *Suscitatio Lazari fuit figura Sacramenti Confessionis.*

Cùm Christus D. Joannis 11. v.44. in Bethania, aperto sepulcro suscitasset Lazarum, dicit eis Jesus, *solvite eum, & sinite abire.* Quæstio est, quibus Christus D. hæc verba dixerit, an Marthæ & Magdalenæ, aliisque fœminis, quæ tristes sorores consolabantur, an ingenti multitudini populi, quæ ad spectaculum concurrerat, an Apostolis, qui aderant præsentes? His ex mente S. Thomæ Aquin. dixit Salvator, *solvite eum.* Nam *Confessio præfiguratur in Lazari mortui vivificatione; sed Dominus solis discipulis præcepit, ut solverent Lazarum.* Eadem ferè fuit mens S. Gregorii M. hom. 36. in Evang. dum impium sic alloquitur: Tu scelestè, es quatriduanus Lazarus, qui perdendo gratiam & vitam animæ, incurristi mortem; mortuus jaces in fœtido sepulcro turpissimorum scelerum; saxum, quod te tegit, est induratum cor tuum, & pessima consuetudo in omni scelerum genere. Vinculum est tua superbia, avaritia, luxuria &c. putrida tua conscientia scatet mordentibus vermibus; sed audi, super te intonat Vox Christi, *Lazare veni foras.* eod. cap. v.43. quasi diceret, cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? *foras jam* (hoc sacro tempore quadragesimæ) *per Confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli; ut Pastores Ecclesiæ pœnam ei debitam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* O quot hodie dum in profundis scelerum sepulcris tumulati Lazari delitescunt? Venite foras Lazari, prodite è vestris latebris, non erubescite confiteri peccata, quæ patrare non puduit. Eia venite foras, non pudeat exponere scelera sacerdoti, qui vincula non solvit, nisi quæ videt. Venite foras; excutite intimas conscientiæ latebras, nihil clausum pectore, nihil quod animam gravat, tam noxio maneat silentio involutum. Hoc est venire foras cum Lazaro, surgere è tumulo, prodire è latebris.

§.9. *Alia figura ex c.21. S. Matthæi.*

Pari sensu Salvator noster discipulis dixit Matth. 21. v.3. *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam; solvite & adducite mihi.* S. Athanasius ser. super hæc verba. *Quod si nondum soluta sunt vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu;*

Jesu; adsunt enim qui te solvant, pro ea potestate, quam à Salvatore acceperunt; quæcunque solveritis super terram, &c. S. Clemens, tertius successor S. Petri ejusque discipulus anno Christi 93. clarissimis quoque verbis loquitur de confessione facienda sacerdoti; si forte alicujus vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit confiteri hoc huic, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quo possit integrâ fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.

Ecce necessitatem & utilitatem Sacramentalis Confessionis; ut relapsus liberetur à pœnis inferni, confessione opus est. Aurea est sententia S. Chrysostomi; *Ninivitæ confitentur, & vivunt; Sodomitæ obdurantur, & pereunt, illos impendens supplicium provocat confiteri, hos vicinus interitus, non confitendo efficit aboleri* (deleri ignibus de cœlo. *Filii Israel, quoties peccant, hostibus traduntur, quoties se peccasse fatentur, de eorum manibus liberantur.* Certissima sunt ita, Audit. nempe ex mente D. Chrysostomi, synonyma sunt illa cœlestis Grammaticæ. Confiteri & vivere, non confiteri & mori; Huc adestè, qui vultis cum Ninivitis severam Dei Vindicis sententiam evadere! quid eos à præsentissimo excidii periculo eripuit? scelerum confessio. Quid iram Numinis placavit? Confessio. Quid urbem ab incendio, cives ab interitu vendicavit? Confessio. Quid filiis Israel propitium reddidit Deum, sive dimicandum erat cum hostibus, sive debitum peccatis supplicium subeundum? Confessio. Hanc qui negligit, se ipsum, animam suam, salutem suam, Deum suum negligit, contemnit, amittit. § 10. *Aureum dictum S. Chrysostomi de necessitate Confessionis Liberat à gehenna.*

Elegans hic mihi occurrit discursus Origenis super v. 26. cap. 43. Isaiæ. *Narra si quid habes ut justificeris.* 70. legunt; *Dic tu iniquitates tuas prius, ut justificeris.* (hom. 3. in Levit.) *Vt ostendat, quia prævenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille præveniat; pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur; præventus enim diabolus in accusatione, nos accusare non poterit. & si ipsi, nostri fuerimus accusatores, proficit nobis ad salutem. Si vero exspectemus, ut à diabolo accusemur,* § 11. *Alia similis sententia Origenis.*

accusatio illa nobis cedit ad pœnam; habebit enim socios in gehenna, quos convicerit criminum socios. Itaque alterutrum impio est necessarium, aut cito confiteri, aut in agone accusari à diabolo, coram tremendo Judice, & ab illo condemnari.

§. 12. *Confessio peccatoribus aperit cœlum.*

Seria Confessio gravissimis peccatoribus aperit cœlum; cap. 10. lib. 2. Vitæ S. Catharinæ Senensis refert, sanctissimam Virginem ardentibus precibus obtinuisse à Christo D. ne anima magnæ peccatricis sine confessione discederet ex hoc mundo. Et ecce [illegible] momento, ob perfectam contritionem & confessionem, anima illa fuit justificata, eo illam Dominus ostendit S. Catharinæ, radiantem instar solis; tam pulchram & formosam, ut exclamarit. *O bene impensum & effusum sanguinem mei Salvatoris! O fructum ejus Passionis! bene sit Iesu meo, quod in Cruce mori voluerit! O felicem aperturam lateris & cordis Salvatoris, ex quo fonte canales SS. Sacramentorum defluxerunt! O excellentissimum sacramentum pœnitentiæ, quod in animabus nostris tam admirabilem causat pulcritudinem!* O sacerdotes properate ad sacra pœnitentiæ tribunalia; facite ut bene impensus sit preciosissimus Salvatoris nostri sanguis; facite, ut abstersa scelerum multitudine, & turpitudine, pœnitentes animæ, solis instar resplendeant. O verbi divini prædicatores, hic se aperit Christianæ campus facundiæ; pœnitentiam, pœnitentiam prædicate: frequens sit in ore vestro, nobile hoc verbum, Confessio, Confessio! elevate quasi tubæ voces vestras, insonet sacrum confessionis nomen, in auribus omnium; dicite, quàm sit confessio utilis, quàm Deo grata, quàm honesta, quàm necessaria.

§. 13. *Per confessionem superantur tentationes.*

Per seriam confessionem multi vicerunt gravissimas diaboli tentationes. Astioni Eremitæ, ita confessus fuit Satan: Confessio tua Astion, magnas meas hodie contrivit vires, & oratio tua me inermem in omnibus reddidit & desolatum. Cassiano teste, collat. 2. c. 11. Serapioni juveni, confitenti aliquod peccatum, dixit Theon Abbas valde religiosus, *Confide fili, quia liberavit te à captivitate ista, confessio tua, validius eum tua*

con-

confessione elidens, quam ipse fueras ab eo, tua taciturnitate dejectus. Vix senex hæc dixerat, contremuit cella, & ex pectore Serapionis quædam erupit flamma; & cum illa omnis vis Satanæ; cunctæque tentationes evanuerunt; & ita, ait Serapion, *in me virtute confessionis, dominatio diabolica fuit prorsus extincta.*

Et hinc in conscientia pœnitentis magna nascitur quies & tranquillitas, quod eleganti similitudine declarat S. Gregorius hom. 40. in Evang. *Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Et quis non cum ingenti gaudio liberatur à peste? majoris lætitiæ mater in nobis est vera Confessio. S. Augustinus in ps. 66. *Dum conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, & cruciabat se, & quiescere non sinebat. Confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies, jam exulta, jam lætare.* hoc simile supponit pias & tristes querelas pœnitentis Davidis ps. 37. v. 5. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, Miser factus sum, & curvatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Regius psaltes vix potuit aptioribus similitudinibus nobis exponere miserum statum hominis, qui vivit in statu peccati mortalis: putredo est, pecc. mortale corruptio, & cicatrix est, pondus est, quo peccator depressus incurvatur. Et quid obsecro facto opus, ut resecetur hæc putredo, ut tollatur corruptio, ut vulnus sanetur, ut obducatur cicatrix, ut elevetur pondus? nonne vera ac seria confessio? quid incurvatum erigit spiritum? quid facit, ut qui contristatus ingrediebatur, gaudeat, atque exultet? quid exhilarat impletos illusionibus lumbos? quid sanitatem in carnem reducit; quid mutat afflictionem in lætitiam? gemitum in risum? Nonne confessio? Aliud non superest, quàm ut quivis cum eodem pœnitente Davide, corde contrito & humiliato dicat ps. 31. v. 5. *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (NB. & non tantum Domino, sed Prophetæ Nathan, quo-

§. 14. *Ex confessione vera oritur quies animi.*

que dicam, peccavi; sum adulter! occidi Uriam!) *& tu remisisti impietatem peccati mei* Psalmo 37.v.3. dixit; *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* pulchrè hic S. Thomas; *Commemorat multiplicem miseriam suam, quam patitur à superiori, Deo scilicet infligente; & ab interiori, scilicet conscientia remordente; & hoc à facie peccatorum meorum, id est, pro multitudine & gravitate peccatorum, non possum habere pacem mentis.* Sed recepit & reperit, postquam scelera sua confessus fuit & pœnitentiam egit, ut ps.31. v.11. exclamarit, *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde;* psal.4. vers. 9. *In pace, id ipsum dormiam & requiescam &c.*

§.15. *Apostrophe ad Christum D.* Æterne Deus! justissime cœli terræque Imperator; cum non desint, qui atrocibus sceleribus ab aliquo tempore infinitam tuam majestatem ausi fuerunt offendere; hac quadragesima, extende omnipotentem dexteram, intende arcum, feri, emitte sagittas iræ tuæ, ut turbentur, ut timere incipiant, ut pœnitentiam agant &c. Mi Jesu! conscientiæ aliquorum sunt plenæ putredine; *non sentiunt.* Undique turpis fluit sanies, *non sentiunt.* Roduntur à vermibus; *non sentiunt;* O si hac quadragesima resipiscerent! &c. sed tua gratia opus est, mi Jesu, accipe spinas ex benedicto Vertice tuo; infige illas his conscientiis, ut sentiant &c. Arripe sanguineos clavos, apprehende lanceam vulnera vulnerata jam corda, novis sed salutaribus vulneribus, ut turbentur, ut doleant, ut hac quadragesima cogitent de seria confessione, ut cæci, muti, surdi liberentur ab his dæmoniis.

§.16. *A confessione solamen.* Fateor difficilis est confessio; sed solari nos debent suavissimæ sententiæ SS. Patrum, v.g. S. Joannis Chrysost. *In mundanis ac forensibus judiciis, post accusationem, & criminum confessionem sequitur mors: cæterum apud divinum judicium & tribunal, post accusationem & confessionem, datur corona.* Et illa S. Aug. lib.50. homil.hom.12. *Vult diabolus, ut magis defendere quam accusare peccata velimus. Econtrario autem Deus noster, quia pius*

est &

est, & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confiteamur, ille parcit, si nos agnoscimus, ille ignoscit. Ecclesiastici 4. v. 24. *Pro anima tua ne confundaris, dicere verum; est enim confusio adducens peccatum* (& mortem) *& est confusio adducens gloriam, & gratiam.*

§. 17. *Alia utilitas Confessionis.*

S. Gertrudi l. 4. div. insin. c. 34. dixit S. Joannes Evangelista, *Noli timere filia*, quia quandocunque voluntate integra te præparas ad confitendum peccata tua, omnia propter quę confunderis, effulgebunt coram Domino in anima tua tanquam gemmæ preciosæ, unde mirum in modum gratiosa cœlestium conspectui civium apparebis. O animæ peccatrices! animæ tam fœdæ, in gravissimorum scelerum luto sordidatæ! animæ turpes, viles, miserabiles! discite, quàm facili ratione amissam possitis pulcritudinem recuperare; si vultis, maculæ vestræ evadent in gemmas; non nocebit peccatorum iniquitas, si subsequatur Confessionis sinceritas. Videte quid agatis; qui vos procatur Sponsus, Carissimus est, speciosus est forma præ filiis hominum, Jesus est, Deus est. Ite nunc, & quibus vos exornetis quærite margaritas. quærite gemmas S. Gertrudis, D. Magdalenæ, gemmas confessionis, gemmas pœnitentiæ; sine illis sponso non placebitis; cum illis inferno terribiles, Cœlo verò, atque omnibus Cœlestium choris, amabiles evadetis.



CONCIO XVI.
DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Abiit Iesus trans mare.

Joann. 6. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit de essentia Confessionis Paschalis esse integritatem; cum acerbis invectivis in sacrilege Confitentes.

§. 1. *Peccatum punitur, vel in hoc, vel altero mundo.*

§. 2. *Vt sanetur lethale Vulnus, debet detegi chirurgo, idem fieri debet in confessione.*

§. 3. *Alio simili declaratur necessitas integræ Confessionis.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Cur Servus non habens vestem nuptialem, projectus fuerit in tenebras exteriores.*

§. 6. *Cur aliqui peccatores horrendum fuerint puniti.*

§. 7. *Miser status sacrilege confitentium.*

§. 8. *Dolose agunt cum Deo.*

§. 9. *Sed confunduntur tandem.*

§. 10. *Diabolus operit faciem sacrilege confitentium.*

§. 11. *Sunt similes scurris, qui Christo D. in nocturno carcere velarunt oculos.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Pathetica invectiva in tales pœnitentes.*

§. 14. *Sacrilega Confessio, est gaudium Dæmonum. Probatur ex Historia Passionis.*

§. 15. *In timoribus conscientiæ sanctus Bonaventura.*

§. 16. *Confugit ad Passionem Christi, quod impius sine integra Confessione facere non potest.*

§. 17. *Aut integre confitendum, aut ardendum.*

Si pla-

§ 1. *Peccatum punitur, vel in hoc, vel altero mundo.*

SI placuit nonnullis concio, quam ante octiduum dixi de necessitate & utilitate Confessionis; si propterea cogitarunt, de Confessione Paschali, ad quam post paucos dies obligabimur, serio peragenda, in eos in sancto hoc proposito confirmare potest pulcherrima sententia S. Aug. in lib. sent. *Peccata, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut ab homine pœnitente, aut in judicio à Deo judicante puniuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare.* Juxta illud S. Pauli 1. Cor. 11. v. 31. *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* S. Athanasius hic. *Hoc est, si ipsi nos propter prava facinora damnaremus, haud quidem in terris à Deo damnationi addiceremur; sed evaderemus, ut præsentia, sic & futura supplicia.* Hoc non ignoravit David, cum psal. 94. v. 2. dixit; *Præoccupemus faciem eius in confessione*, Rupertus Ab. l. 1. de sap. c. 16. *Præoccupare faciem Domini Dei, est, antequam v. g. peccator vocetur ad judicium, ultronee Confessione loqui. Hoc sapiens est consilium, quo nullum melius homo peccator reperire potest.* Si tamen Confessio vel pœnitentia impiis talis sit; qualem exigit rigor divinæ Justitiæ. S. Eucherius hom. 5. ad Monachos. *Non putemus tam facile remitti posse, inusta semel crimina, & profundo vulnere in anima ipsius impressa visceribus.* Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. *Tota incumbendum est spiritus contritione, ut vetusta mala, tanquam sagittæ quædam de conscientia depellantur*, non sufficit dicere summis labiis, *peccavi, parce, remitte.* Et Saul dixit, *peccavi*; sed non obtinuit illam veniam, quam David veræ pœnitentiæ voce promeruit; & hoc quare? quia confessionem illam nuda magis verba, quàm veri gemitus exprimebant. Aureum est illud monitum pro peccatoribus dum Paschale appropinquat tempus, ut attendant qualis debeat esse Confessio paschalis. hoc præcipuè inculcabo hac Concione, Confessio enim integra sit necesse est, & profunda vulnera, visceribus animæ dudum impressa sunt detegenda. Antiqua mala, scelera putrida à joro,

à joro, aut pluribus etiam annis sunt revelanda &c. id est, pœnitens nullum prorsus grave scelus in confessione debet silentio involvere. Integra confessio erit nobis mare per quod evehemur ad portum illum Eucharisticum, in quo participes reddimur mensæ illius cœlestis, cui non nisi mundos, puros, innocentes, ac veste nuptiali condecoratos hospites, accumbere oportet. Vos auditores mei, in materia tantopere necessaria, tantisper benevolè attendite. Pulcris similibus meum thema exponi potest.

§ 2. *Vt sanetur letale vulnus debet detegi chirurgo. Idem fieri debet in Confessione.*

Si videritis hominem, gravissimè læsum, qui lethale vulnus medico vel chirurgo non vellet ostendere; uno omnes ore diceretis sine dubio hic est filius mortis; huic nulla superest spes salutis: idem omnino ego cum SS. Patribus affirmo de illis, qui vulnera animæ, spirituali medico nolunt detegere: filii sunt mortis & damnationis æternæ. Super illa verba Ecclesiastæ c.10.11. *si mordeat serpens in silentio*, vel in abscondito; hac ferè similitudine utitur S. Hieronymus; *Si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, Magister qui habet linguam ad curandum eum facile, ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina*, non curat. Idem de confessario verissimum. Habet is siquidem linguam, quâ verbum salutis pronunciet; habet inquam, quâ miserum ab æternæ damnationis sententia absolvat, habet linguam, quâ gravissima animæ vulnera velut in momento sanare possit: si tamen confessio præcedat; nam quod ignorat medicina, non curat; & Judex de quibus nihil ei constat, delictis, ferre sententiam prohibetur.

§. 3. *Alio simili declaratur necessitas integræ Confessionis,*

Psalmo 68. v. 16. ait David. *Non me demergat tempestas aquæ, neque urgeat super me puteus os suum, neq; absorbeat me profundum.* In his verbis aliud pulchrum latet simile; Etenim si quis in profundum aliquod flumen vel puteum decidat, quam diu os ac fauces supra aquam extollit, quam diu opem inclamare potest, spem habet auxilii & liberationis: quod si capite & ore demergatur in profundum, actum est, nam cum respirare non possit, [illegible]. Eodem modo discurrere debemus de illis qui semet-

metipsos præcipitarunt in abyssum alicujus peccati mortalis; si clamare, si loqui velint, possunt liberari; si verò os impii claudatur, actum & conclamatum est. S. Augustinus. *Magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ, illuc qui ceciderit in altum cadit, sed tamen ibi positus, si confiteatur peccata sua, non super eum claudit puteus os suum.* quam gratiam citato loco à Deo petiit S. David.

Si verò contingat, ut impius aliquis *veniat in profundum* (Proverb. 18. v. 3.) *& contemnat*, pergit S. Aug. *clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? quia perdidit confessionem; vere mortuus est, qua eruatur, non habet; Metuenda ista res est vehementer.* Amissa enim confessione, nō erit misericordiæ locus. *Tu factus es peccati tui defensor* (vel dissimulator) *quomodo erit Deus liberator?* §. 4. *Prosecutis.*

Tragicam historiam refert S. Matt. cap. 22. v. 12. de illo servo cui Dominus in nuptiis dixit, *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* verba hæc sonant reprehensionem quandam, sed amicam & humanam, puto Dominum sine irâ illa verba protulisse; sed quia servus nihil illi respondit, mox iratus, tonat, fulminat, jubet, ut ligatis manibus projiciatur in tenebras exteriores. Quis hic modus procedendi? Verba suavia, dulcia, momento mutantur in acerba & aspera, Dominus ait, *amice*, & momento jubet præcipitari in ignes? Bene fecit Dominus; conforme hoc fuit ordini divinæ Justitiæ. Cum servum appellavit nomine amici, cum tam suaviter illum fuit allocutus, cum illi amice proposuit, quod esset reus, quod peccasset, voluit ut culpam fateretur. Galfridus; *fuit amabilis signatio, qua ante judicium illum provocavit ad pœnitentiam; misericorditer illum convenit, quem reum invenit*; sed quia simul invenit taciturnum, nolentem loqui; tum ex amico, Severus Judex ad sententiam & sententiæ executionem processit. S. Matthæus eod. cap. v. 13. *at ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris ligatis manibus & pedibus* &c. Perpendite particulam, *tunc*; sive, quandonam Dominus illum condemnavit; an quando intravit nuptialem locum. An quando mensæ cœpit accumbere? ac quando ma- §. 5. *Cur servus non habens vestem nuptialem projectus fuerit in tenebras exteriores.*

num admovere ad fercula,& appositis vesci cibis? an quando libare poculum? minime. Sed *tunc*, ait Gelfridus; *tunc* inquam, *postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* O infelix silentium! O taciturnitas fatalis! infelix homo, cui tacuisse, idem fuit, ac periisse! advertite hoc auditores mei sit vobis cordi seria confessio; nolite moniti obmutescere; cogitate, in quem carcerem conjectus sit elinguis ille in nuptiis, in tenebras exteriores, in caliginem infernalem, ubi est fletus & stridor dentium.

§. 6. *Cur aliqui peccatores horrendum fuerint puniti.* Horrendas & tragicas habemus historias de atrocissimis pœnis, quibus puniti sunt sacrilege confitentes. Meministis haud dubie illius fœminæ, quæ post mortem Confessario apparuit insidens igneo draconi,&c. Meminerunt fortassis alii, infelicis Matris, quæ filiæ se stitit in forma excoriati porci, inter sulphur & ignes. Utraque fassa fuit se damnatam quod in confessione turpia celassent scelera & confessario non aperuissent. Utinam non aliqui hodie in simili vivant periculo. Momento, quo incidunt in grave scelus, merentur, ut diabolis daretur potestas illos ligatis manibus pedibusque, projiciendi in ignes inferni; sed parcit bonus Deus, imò pœnitentes recipit in gratiam, si modò confiteri velint &c. Si verò hoc facere erubescant; si confiteantur sacrilege, tunc demum irascitur, tunc misericordiæ velut oblitus iræ suæ satellites jubet adesse.

§. 7. *Miser statum sacrilege confitentium.* Miserrimum & periculosum statum talium confitentium descripsit Job cap. 36. 13. his verbis. *Simulatores, & callidi provocant iram Dei, nec clamabunt, cum vincti fuerint.* quorum verborum elegantissimus interpres fuit S. Greg. M. lib. 26. mor. c. 28. *Vincti tanto clamamus altius*, quanto in *percussione positi peccata nostra veracius confitemur; apud aures quippe Dei, vox valida, devota confessio nostra est. Quia ergo simulatores, quamvis duci se ad æterna supplicia non ignorent, confessionem puram exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt.* Et quis opem feret? tectum vel dissimulatum peccatum, funis est, quo certissimè suffocantur.

Ps. 32.

Ps.32. 2. ait David, *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Hugo Card. legit *ad vindictam sempiternam.* &, *Dolose agit, qui peccatum suum defendit, vel conscientiam suam negligenter inquirit*, vel præ pudore de illo plane obmutescit. Qui v.g. coram sacerdote flectit, in conspectum Christi Salvatoris se contulit, cui nihil est incognitum. itaque ejus locum tenenti dicere, se nõ esse adulterum cum sit; hoc est dolose agere, sic quidem tegitur iniquitas; teguntur nefanda crimina juventutis, *sed ad vindictam sempiternam.* S. Joannes Chrysost. *Hæc est via præcipua interitus. Malum est quidem peccare*, hoc peius, *negare postquam peccaveris.* Hæc sunt arma diaboli potissima. Tunc ille sibi gratulatur de victoria, cum in primo conflictu hominem reddit elinguem; cùm illi in tribunali sacro noxiam injicit verecundiam; tunc canit triumphum, tum certa reddit animarum spolia. O homo! itane juvat esse miserum, ut solo silentio victoriam ascribas jurato tuo hosti diabolo? Confusionem metuis? O miser! confusionem incurris tacendo, non confitendo. Et qualem putas confusionem? intellige illud ex figura,

§. 8. *Dolose agunt cum Deo.*

Quam reperio l.3. reg. c.14. v.4. Uxor Jeroboam ex propheta Ahia, de quo textus ait, *non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute*, libenter incognita intellexisset, nimirum an esset moriturus filiolus suus, nec ne? posuit itaque regias vestes, & aliam simulans, ingressa fuit ad Prophetam. Adverto vos jam cogitare, tales subinde venire ad sedem confessionalem; volunt esse incogniti: turpia commiserunt scelera, sed nolunt illa constare; ut tamen satisfaciant præcepto Ecclesiæ, ut habeantur pii, volunt confiteri. Uxor Jeroboam summopere fuit confusa; nam Dominus aperuit oculos Ahiæ, ut illi dixerit, *Ingredere uxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.* Sic S. Petrus dixit Ananiæ Act.5.4. Cur tentavit Satanas cor tuum? *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentibus hominibus, sed Deo.* Cajetanus. *Tu irrogasti injuriam, non nobis hominibus, sed Deo in nobis, non æstimando Deum in nobis habitantem.* (quis me reprehendit, si utar his

§. 9. *Sed confunduntur tandem.*

verbis contra ſacrilege pœnitentes & dicam, O miſeri! heus tu luxurioſe! quare aliũ te eſſe ſimulas? quare mentiris? quare Deo ommiſcio facis injuriam, dum illi mentiris, quem ſibi in tribunali pœnitentiæ ſubſtituit. Ego proinde cogor, durus tibi eſſe nuntius, confeſſio tua tibi erit ad odium, ad mortem, ad vindictam. Sanguis Christi, deberet te abluere, ſed ſordidaris magis; idem ſanguis clamat vindictam.

§. 10. Diabolus aperit ſacrilege confitentium faciem,

Cum Rex Aſſverus oculis, vultuque ſpiraret iras, contra Amanum fulminatricem pronuntiaturus ſententiam, ut in patibulo ſuſpenderetur; *necdum* tamen, (Eſther c. 7. v. 8.) *verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem ejus*, ut nullus illi eſſet locus ſe defendendi, vel petendi gratiam & veniam à rege, & quanta hæc miniſtrorum crudelitas. Potuiſſet forte Aſſverus Rex commoveri ad gratiam, ex conſpectu ipſius Amani, ex mœſta ipſius fronte, ex oculis in lacrymas diffluentibus, ex ipſo vultu in mœrorem compoſito, ex colliſis in planctum manibus: id ne fieret, ſtatim operuerunt vultum ejus. O peccator! ex hoc liceat miſerandum tuum ſtatum, cognoſcere, ſi idem tibi in ſacro pœnitentiæ tribunali, coram Christi Vicario ſacerdote, quod olim Amano, coram Aſſvero Rege contingat. Profecto auditores, nihil magis tremendum homini impio peccatori accidere poteſt aut horribilius, quam ſi à diabolis, coram Confeſſario in tribunali pœnitentiæ in quo ſedet loco tremendi Judicis, Christi Jeſu, ſic illi velo pudoris operiatur facies, & os, ut nolit crimen ſuum fateri, nihil tali reſtat, niſi miſerabile ſuſpendium, niſi patibulum deſperationis, & poſt hanc æternæ damnationis exitium.

§ 11. Sunt ſimiles ſcurris qui Chriſto D. in nocturno carcere velarunt oculos.

Velum hoc in memoriam mihi revocat, illos pannos, quibus infames Judæi in nocturno carcere velarunt oculos Christi Salvatoris; exiſtimantes utique, ſic ſe ab illo non videri. O ſceleſti! O ſacrilegi pœnitentes! hanc injuriam renovatis, quoties grave crimen in confeſſione tegitis; putatis enim vos diviniſſimos ejus oculos velare poſſe ut veſtras libidines, nocturnas diurnaſque veſtras fornicationes, impudicitias, impura oſcula, adulteria &c. non obſervet; ut non videat fraudes

veſtras

vestras, ac dolos, quibus innocentem pauperem, circumvenitis! ut non videant opera tenebrarum, opera injustitiæ, opera turpitudinum! O! hoc saltem tam sacro tempore parcite Jesu vestro, parcite Salvatori vestro, sponso vestro, patri vestro, Deo vestro! removete hoc velum, quo Diabolus cooperuit faciem vestram, & ora vestra; nolite illud injicere divinissimo vultui Salvatoris vestri: nolite illum amplius risui ac ludibrio exponere.

D. Lucas de hac injuria Christo illata ait c.22.v.64. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* D. Thomas in Cat. *Velaverunt autem eum, ut faciem ejus, à se ipsis absconderent.* S. Matt. addit, c.26.v.67. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* S. Joannes Chrysost. hom.86. in Matt. *Quid enim illi contumeliæ potest exæquari? in faciem illam, quam fluctus maris reveriti sunt, quam sol in Cruce videndo, radios occuluit, spuebant, cædebant &c.* D. Ephrem serm. de Pass. Tunc *contremuerunt cœli, fundamenta orbis terræ concussa sunt: expaverunt Angeli atque Archangeli, Gabriel & Michael, facies suas alis contexerunt, Seraphin illa hora alas ad invicem collisisse visa sunt, Cherubin trementes sub rotis se abdiderunt, cum daret minister iniquitatis, alapam Domino Majestatis.* §. 12. *Prosecutio.*

Huc adeste ad tristissimum hoc spectaculum sacrilegè confitentes; agite cũ ametis tenebras, tenebrosum carcerẽ ingredimini, ut certissimas audiatis maximas! prodite ex nigro carcere vestræ conscientiæ in quo diabolus à 20. annis vos tenet captivos! cum letale crimẽ tegitis in confessione corã Jesu non tantũ velatis faciem ejus, sed eandem percutitis; velatum crimen est alapa! ideo vultis vos abscondere. In juventute forte commisistis nefanda crimina! hæc deberetis confiteri, hæc deberetis exponere coram oculis Jesu, sed quia vos pudet illa proferre in medium. Ideo mutantur in sputa, quæ projicitis in faciem Jesu; imò divinum ejus sanguinem & rosea vulnera conspuitis. Quid his contumeliis potest exæquari? quomodo cœli non contremiscunt, quomodo non concutiuntur fundamenta terræ? quo- §. 13. *Pathetica invectiva in tales pœnitentes.*

modo hiatus suos non aperit, ut vos vivos in confessionali deglutiat, & præcipitet in tartara? O si videretis! quomodo expavescant Angeli vestri Custodes, quomodo Cherubini collidant alas suas, quomodo Seraphini abscondant facies suas, dum scelestus aliquis, dum aliqua vetula, jacens ad pedes Confessarii; tam horribiles in Christum D. renovat injurias.

§. 14. *Confessio sacrilega est gaudium dæmonum. Probatur ex historia Passionis.*

Contumelia Christo D. per alapam illata, inde fuit gravior, quod illa valde recrearit hostes Christi: quod ponderans P. Salmeron tr. 20. de Pass. ait. Tertio, alapa aliam habuit circumstantiam; quia insonuit per totam aulam, cum fortiter fuisset impressa; & ob risum & gaudium, quod tunc Pontifici & Judæis concitavit, qui omnes tantæ contumeliæ irrogatione oblectati sunt. S. Joannes Chrysost. hom. 86. in Matt. ait de Judæis; *qui quasi venatores, fera inventa, sic violentia & furore ferebantur, solennitatem habere cupientes, & ingenti cum voluptate insilientes.* Nescio an in plurimis meis Concionibus contra sacrilege Confitentes, locus aliquis mihi occurrerit, ex quo ita exaggerare possim gravitatem sacrilegæ Confessionis & Com. sicut ex his circumstantiis, quod tale scelus in ipsis resonet cœlis, ad evocandam Dei Justitiam, & consequenter simul resonet per infernum, ad risum & tripudium dæmonum; nunquam illi oblectantur magis, quam cum homines peccatores eo malitiæ delabuntur, ut sacrilege confiteantur. Venatores sunt diaboli, quorum solennitas & gaudium esset iterum capere Christum, iterum habere ludibrio, iterum conspicere &c. Sed quia per se id non possunt; id faciunt per ejusmodi nebulones; cum gemitu Angelorum, cum lacrymis sanctorum, cum gaudio, & tripudio totius inferni. Sed pergite scelerati! veniet hora, in quâ infernales hæ furiæ in vos insilient & cum eodem gaudio rapient in tartara. Per alapas Christi, vos obtestor, dum tempus est de integra, vera ac sincera Confessione cogitate.

§. 15. *In timorib. conscientia S. Bonaventura.*

Cum Seraphicus S. Bonaventura subinde consideraret se reum mortis Christi, exclamare solebat. O Creaturæ! O. S. Angeli; ego sum ille homo, qui filium Dei, & creatorem vestrum & meum Cruci affixi; Ego sum qui peccavi; qui rebellis fui

fui divinæ Majestati, ego sum, qui malui esse mancipium diaboli, quam servus Jesu Crucifixi! ego sum ingratissimus ille mortalium, pro sanguine, pro morte Salvatoris mei. Et audio clamores creaturarum, quæ vindictam contra peccatores spirant. Terra clamat, quare non absorbeo impios, ut vivi sepeliantur in inferno? aqua clamat quare scelesta capita non submergo? Aër clamat, quare pestes non exhalo? Ignis clamat, quare non depluo ignes. Clamat D. Justitia, mihi vindictam! Clamat sanguis Christi, damnationem æternam. Talia timuit vir sanctissimus! & vos sacrilegi, quid cogitatis. Nonne vos estis, adversum quos universa se creatura in arma comparat, ut illatam Deo injuriam vindicet? quid enim? dum vos in sacra Confessionis sede, mentimini Deo vestro, dum illi fucum facere vultis, dicendo aliqua, alia graviora tacendo; an non terra vos vivos immani suo rictu absorberet, nisi benignissimus Jesus adhuc pœnitentiæ spatium concederet? an non aquarum procellæ vos involverent ac suffocarent? an non flammarum etiam cœlo lapsarum ardores vos in cinerem redigerent? an non aër spirandi respirandi facultatem vobis jure merito, subtraheret? an non leones ac tigrides ex sylvis ac lustris prosilirent, & in vos fœde dilaniandos crudelem impetum facerent? Cogitate hæc miseri, perpendite ingrati.

S. Bonaventura tandem inter tales timores dixit, scio quid faciam, Domini mei Jesu Vulnera introibo, & in ejus dolores atque opprobria, quantum potero transformabor. Et ejus sanguineam Passionem induam tanquam vestimentum regale; Et Christi Passio pro me, prout necesse fuerit, contra omnia militabit. Non erit, qui contra me militare audeat, si Christi stigmatibus fuero consignatus. Hoc vobis quoque faciendum est impii, ut tuti sitis; introeunda sunt Vulnera Salvatoris; sed non est clavis, quæ vobis illas portas aperiat, nisi integra Confessio; itaque ut tandem finiam, Eligite alterutrum.

§. 16. *Confugit ad Passionem Christi quod impius sine integra confessione facere non potest.*

S. Bernardus in communi dixit, *aut pœnitendum vobis est, aut ardendum,* ego in particulari assero audacter, scelesti! sacrilege confitentes, aut, scelera vestra N. N. N. detegatis necesse est &c.

§ 17. *Aut integre confitendum aut ardendum.*

est &c. aut ut æternum ardeatis. O Jesu! en quotquot in hoc templo sumus; stamus ad sacrosancta Vulnerum tuorum ostia; supplices in ea admitti rogamus, in iis, & vivere, & mori volumus. Sed quoniam, non ignoramus ea, non nisi clave veræ ac sinceræ pœnitentiæ aperiri: vera autem pœnitentia, sine integrâ Confessione consistere non potest; ideo ex hoc momento decernimus, verè atque integrè scelera nostra suo in terris Vicario Sacerdoti confiteri; nihil hic intercurret subdolum, nihil involutum latebit aut tectum, effundemus corda nostra velut aquam in conspectu tuo, ut tibi, Deo nostro constet honor, laus & gloria, in sæcula. Amen!



CONCIO XVII.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato.

Joann. 8. cap. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc, duro & obstinato cordi peccatoris, præsertim sacrilegi confitentis & communicantis admovet crucem, malleum, clavos, spinas, vulnera & sanguinem Jesu crucifixi, ut tandem emolliatur ad seriam pœnitentiam, & integram Confessionem.

BInis Concionibus egi de seria & integra Confessione; Quodsi fortassis aliquorum impietas adhuc bonis Spiritus S. instinctibus reluctaretur, si fortassis aliqui de novis induciis, & dilatione seriæ conversionis cogitarent; illos conabor hac concione, aliquot considerationibus ex Passione Christi desumptis eo permovere, ut adhuc hac quadragesima convertantur ad Dominum suum. Canitur hodierna Dominica, *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium*, æquum itaque est, ut per seriam pœnitentiam, nos mysterii hujus quoque nos reddamus participes. §.1. *Brevis propositio concionis.*

Obstinatum peccatorem in malo, de die in diem differentem pœnitentiam, etiam hoc sacro tempore Passionis, his verbis olim allocutus fuit S. Bernardus tr. de pass. cap. 33. *Audis cor! non carneum, sed lapideum, illum magnum Iesum, & Optimum, in diebus carnis suæ, quam pro te redimendo assumpserat, lacrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes?* O cor *durum! audis commotum ad lacrymas, illum! qui æternum stat, & commoveri non potest cor tuum, nec tu adhuc ad lacrymas commoveris?* §.2. *Querela S. Bernardi de duritie obstinati cordis, alicujus peccatoris.*

Post has querelas S. Bernardus sollicitus de modo emolliendi cor tam durum ait: *Addam ignem caritatis, & passionis* §.3. *Conatur nihilominus illud*

emollire, consideratione passionis. *sanguinem, si forte calefias, si emolliaris; & dulcissimo Iesu pro lacrymis suis, & sanguinis effusione solas saltem lacrymas rependas.* O S. Bernarde! quid si scelestus aliquis peccator adhuc resistat? *Addam*, ait, *adhuc malleum gravem, & cuneos ferreos incutiam tibi, ut scindaris.* loquitur vir Sanctus de tali corde, veluti de annosa & sicca quercu, quæ ferreis cunis disrumpi, & in partes divelli debet. Pergit mellifluus Doctor, & mentem suam his verbis clarius explicat: *quia!* O impie! *à facie frigoris iniquitatum, induratum es in rigorem lapidis, addo instrumenta fortia, malleum crucis, & cuneos clavorum ferreorum, ut illis tibi incussis scindaris, & fontem lacrymarum salubrem,* (atq; compunctionis,) *effundas.* Qualemcunque tandem peccatorem oculis nostris proponamus; licet gravissimis & plurimis sceleribus sit oneratus, licet cor durum sit instar marmoris; quamdiu tamen vivit, in tali silice latent fonticuli lacrymarum; adhuc tempus est, quo talis agere possit pœnitentiam; si verò spinæ infixæ capiti Christi, si clavi quibus affixus est cruci, si lancea, quâ perforatum est pectus ejus has venas non aperiant, hos fonticulos non eliciant, si hoc tempore passionis viam lacrymarum non recludant; si hoc tempore mallei crucis tale saxum non conterant; timeo, nunquam id futurum; Angustiæ mortis tandem expriment lacrymas, sed nimis seras.

§. 4. *Aliud simile S. Bernardi.* Alias S. Bernardus de duro corde peccatoris loquitur, velluti de sicca & arida terra; quæ quantumcunque præ nimia siccitate, indurata sit, mox tamen, si aqua affundatur, potest emolliri; nunquid par esset, eodem modo induratum cor peccatoris emolliri; *perfusum lacrymis, lacrymantis Iesu, & quidem in cruce.* Sed iterum locum habet ejusdem S. Bernardi pia querela. O *Cor durum & impœnitens! durius es silice, qui in deserto percussus à Moyse virga, emisit aquas.* Et nunquid malleus crucis Domini validior esse deberet ad feriendum tuum cor, quàm virga Moysis? Nunquid, tres clavi ferrei, tibi incussi, efficaciores esse deberent, ad aquam lacrymarum eliciendam, quàm percussio etiam geminata, virgæ Moysis?

Verif-

Verissimè dixit S. Bernardus, si cor alicujus peccatoris vel illa audiat, vel eorum recordetur, quæ Christus D. pro nobis passus est, & non moveatur, durius est silice! Quisquis, siccis oculis, & sine commotione animi, sine sanctis cogitationibus aspicere potest hunc *Virum dolorum*, Is. 53. v. 3. in ejus capite spinas, vulnera, evulsionem capillorum, & signa ex tot percussionibus relicta; In facie, sputa, lacrymas, sanguinem; in linguâ, sitim, fel, acetum: In oculis, sanguineas lacrymas: in collo, funes & catenas; in dorso & humeris hiatus tot vulnerum; in brachiis & pedibus terribilem extensionem in cruce; in manibus clavos: in pectore lanceam, in toto corpore ignominiosam nuditatem; in nervis, convulsiones, in venis & arteriis siccitatem; quisquis talia siccis oculis intuetur, tigris est! leæna est! Eheu! aspicere hunc virum dolorum, cujus omnes sensus terribilibus & tristibus cruciātur objectis; oculi conspectu tot instrumentorum barbaræ crudelitatis, immanium Carnificum, afflictissimæ præsertim Matris: aures, blasphemiis, contumeliis, irrisionibus: nares, odore cadaverum & sputorum: gustus, siti, felle, aceto: tactus, per totum corpus dirâ dilaceratione; cujus anima tristis est, ad mortem, ob tristissimam agoniam; O scelestе! repeto! tigris es, leo es! si talia te non movent ad compassionem Eheu! intueri hunc virum dolorum, non tantum ab omnibus derelictum, sed omnium odiis expositum, quem Pilatus nomine Romani Cæsaris condemnavit ad mortem crucis; illusit Herodes, Pontifices, Annas & Caiphas pronuntiarunt blasphemum, quem scribæ & Pharisæi accusarunt, ministri percusserunt alapis, expuerunt in faciem, quem gentiles flagellatū coronarunt spinis, contra quem omnis populus clamavit, Matth. 27. v. 25. *Crucifige! sanguis ejus super nos!* quem Judas vendidit, Petrus negavit, Apostoli deseruerunt; denique eundem intueri, in angustiis mortis ita derelictum, ut exclamet *Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me*, ibid. v. 46. tandem magnâ voce, expirantem: hæc videre, hæc cogitare, hæc credere, & non moveri ad seriam pœnitentiam, certissimum signum est, obstinati & saxei cordis.

§. 5. Non moveri ad pœnitentiam conspectu Viri dolorum sive Iesu patientis, est signum durissimi cordis.

§. 6. *Idem S. Bernardus cor durum conatur emollire sanguine Christi. Digressio ad sacrilege confitentes.*

Proinde pergit S. Bernardus; *Si vero & adhuc permanes inconcussum, eo quod in adamantis duritiem sis conversum, qui solo sanguine hœdi potest emolliri; affero pariter tibi, Agni immaculati, optimi Iesu sanguinem copiosum, calore incomparabilis caritatis ferventem, qui sua fortitudine illum adamantinum parietem inimicitiarum positum inter Deum & hominem omnino comminuit & dissolvit*; O miser! O misera! inter te & Jesum tuum! & Deum tuum! jam ab annis viginti talis adamantinus murus fuerunt peccata, quæ in tot sacrilegis confessionibus dissimulasti. O si ego hac Conc. malleo crucis, ferreis clavis, spinis, columna, lancea, catenis; O si guttis preciosi sanguinis Christi, hunc murum dejicere possem; hoc fiet, si Vulnera & sanguis Christi eo tandem hac quadragesima te permoveant, ut seriam & integram peragas Confessionem. Hoc fiet, si lacrymæ lacrymantis in cruce Jesu, hodie, durissimum cor tuum emolliant: hoc spero! hoc voveo!

§. 7. *Querela S. Leonis contra obstinatos peccatores.*

Si omnia hæc non sufficiant ad pias motus in obdurato aliquo corde, locum habet querela S. Leonis serm. 6. de pass. *Pendente in patibulo creatore, universa creatura congemuit, & crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit; hoc, in communionem sui, & terram traxit, & cælum! hoc, petras rupit! monumenta aperuit! inferna reseravit! & densarum horrore tenebrarum, radios solis abscondit! debebat hoc testimonium, suo mundus auctori; ut in occasu creatoris & conditoris sui, vellent universa finiri.* Si verò cor alicujus impii, malleo crucis non conteratur, si clavis Christi non scindatur, si non compungatur spinis, si nec lacrymis, nec sanguine emolliatur; nunquid dicemus esse durius petra, durius terra, durius adamante, durius ipso inferno. Ut talis convertatur, miraculo opus est.

§. 8. *Conversio latronis in cruce, fuit miraculum crucifixi.*

Quærit S. Chrysostomus, an Christus D. in cruce non majus aliquod perpetrarit miraculum, ad demonstrandam divinam omnipotentiam, quàm illa fuerunt, quod terra mota sit, quod petræ scissæ, quod sol obscuratus, & respondet; *Omnino! Universam non tantum terruit terram, non petras & saxa tantum disrupit, sed animam latronis omnium lapidum insensibilitate duriorem, ad se traxit, & ad meliora convertit.* Utinam sanguinea crucifixi

cifixi manus, inter meos Auditores, hæc miracula innovarent! ut ligno crucis ita feriant dura ſaxa, ut largiſſimas compunctionis aquas profundant.

O miſeri! vos præcipuè ſacrilege confitentes & communicantes vos compello! quo tandem ruitis, ut victas necdum ad ſacroſanctam Crucem alligetis manus! ut necdum cogitetis, etiam turpiſſima in Confeſſione ſcelera & vulnera vos velle aperire atque detegere; quo inquam pergitis? Cogitatis fortaſſe, quid hæc ad te? ſupervacaneam prorſus eſſe meas curas atque ſollicitudinem dicitis; cuivis incumbere, ut de ſalute ſua ſit ſollicitus. Mitius quæſo, amice mi; dicam tibi, quid mea interſit talia quærere & quare ego de tua ſalute ſollicitus laborem. Cum quidam religioſus ex monaſterio fugam capeſſeret, vir gravis illi obvius dixit, *Quo tu miſer?* reſpondente fugitivo, *Quid tibi mecum?* Vir ille, rejecta veſte illi oſtendit quis eſſet, ſcilicet Chriſtus Jeſus Salvator mundi, cujus Vulnera recenti ſtillabant ſanguine, tum ait: *Poteris hiſce Vulneribus teſtibus cognoſcere, quam mea interſit, de tuo itinere interrogare, quæ ut te ab itinere æternæ damnationis, quod ambulas, abducerem, in cruce pertuli.* Hæc dicens diſparuit.

§ 9. *Acris invectiva in ſacrilege confitentes.*

S. Ludgardi in eodem ſchemate, id eſt, vulnerato corpore, ſe ſiſtens Chriſtus D. dixit; *Vides mea Ludgardis, ut vulnera mea clament ad te, ne fruſtra fuderim ſanguinem, mortemque ſuſtinuerim.* Auditiſne has voces ſceleſti! in juventute, anno ætatis forte decimo, duodecimo, muta, nefanda commiſiſtis ſcelera; ab annis viginti centies eſtis confeſſi; centies mentiti eſtis Deo; centum graviſſima commiſiſtis peccata mortalia; ideoque vivitis in præſentiſſimo periculo æternæ damnationis; Vulnera, ſanguis, mors Chriſti clamant, ut oculos tandem aperiatis; ne fruſtra Vulnera in Cruce ſuſceperit, ne fruſtra ſanguinem effuderit, ne fruſtra tam ignominioſam mortem ſuſtinuerit. Vulnera ſanctiſſima Jeſu Crucifixi ſunt teſtes, ex quibus poteſtis cognoſcere, Concionatores hoc tempore habere graviſſimas cauſas, ut auditores ſuos adhortentur ad ſeriam pœnitentiam, & integram Confeſſionem; imò verò, & cauſas, & ſtimulos perquàm

§ 10. *Proſecutio.*

quàm acres habent; Sanguis enim vester, requiretur è manibus eorum. Mi Jesu! protestor ego, etiam orbe terrarum universo, me in adhortandis, ad seriam vitæ pœnitentiam Auditoribus, quos tu meæ curæ ab æterno decrevisti, velle me, inquam muneri meo atque officio exactissime satisfacere. nolim ego, vel tacendo, vel adulatorie palpando, non tam Auditoribus meis, quàm mihimetipsi imponere, proinde vos duri silices, vos saxea corda, vos peccatores obstinati, nunc saltem attentius, quàm alias, si non animos, saltem aures erigite.

§. 11. *Durus silex, quomodo emolliendus.*

Capite 28. v. 9. ait Job. *Ad silicem mittet manum suam, & subvertet à radicibus montes, in petris rivos exscindet.* Hæc prophetia impletur, cum sacro tempore Passionis Christus Crucifixus, vulneratas & sanguineas manus suas ita mittit ad cor durum & saxeum alicujus peccatoris, ut quod hactenus mors, quod timor judicii, quod infernus, quod Concionatores, quod Angeli Custodes efficere non potuerunt, viva memoria Jesu patientis talem petram subvertat, à radicibus disscindat, atque ita emolliat, ut effluant rivi lacrymarum! O mi Jesu! age, mitte manum tuam sanguineam; tange hos montes, & fumigabunt, concepto utique doloris igniculo; tange has petras, & dissilient; tange hæc corda adamantina, & salutari mota pœnitentia conterentur. O mi Jesu amantissime! quid sine te, tuáque manu sanguinea, manus meæ inermes? quid mea vocis contentio? quid affectus? quid preces? quid minæ? manum, manum tuam exsere, momento videbimus prodigium, cum saxea peccatorum corda, quasi petræ, virga Moysis percussæ, in lacrymarum aquas liquescent. Ita fiet;

§. 12. *Efficacia Vulnerum Christi ad emolliendum dura corda.*

Ut gratulari mihi & Auditoribus meis possim, & dicere cum P. Vincentio Caraffa: *O Vulnera! quæ corda saxea vulneratis; & mentes congelatas inflammatis, quæ pectora adamantina liquefacitis præ amore!* Expertus v.g. fuit S. Thomas; cor ejus ob pertinacem infidelitatem erat saxum & marmor, quamprimum posuit digitos in Vulnera manuum, & manum in latus Christi, vulneratum fuit cor ejus, & ex illis rimis erupere ignea illa verba, Dominus meus! Deus meus! ex illo gelu prosilierunt

erunt hæ ſcintillæ, tam ſubitò amantis Deum animæ! ex illo adamante facta eſt illa animi, ad omnem Dei voluntatem, ad actus virtutum heroicos, ad ipſum quoque martyrium facilis ac prompta inflexio.

Cum magno myſterio dixit S. Paulus ad Rom. 3. verſ. 25. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem Iuſtitiæ ſuæ.* Euſebius & S. Eucherius ad rem meam hæc verba ſic explicant; *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non ſolum divinitatem, ſed etiam crucem & mortem ſuam poſt futuris ſæculis vult celebrari, ut à peccatis, propter quæ mortuus eſt, non ſolum nos Dei mandata revocent, ſed illata illi pro nobis ſupplicia, & Vulnera deterreant.* Auditis impii! Vexilla Regis hodie prodeunt; cum ſancta Cruce oculis veſtris proponuntur, flagra, ſpinæ, clavi, mallei, lancea, non tantum ut impii ſuo Salvatori agant gratias; ſed & ut etiam deterreantur à peccatis. Vobis ſacrilegi Confitentes! vobis proponuntur Vulnera, ſanguis, mors; ut à nova ſacrilega participatione Sacramentorum deterreamini.

§ 13. *Vulnera Chriſti nos debent deterrere à peccatis, & præſertim à ſacrilega Confeſſione.*

Super verba illa Iſaiæ c. 50. v. 8. *Stemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? Accedat:* ait Stephanus Cantuarienſis; *accedat, qui peccat,* vel qui in ſtatu eſt peccati mortalis, *accedat* crucem, *& videat propter ſe mulctatum morte, turpatum in cruce, ſputis illitum, plagis lividum, ſpinis coronatum, lancea perforatum, & eſſe adverſarius erubeſcat:* Et vos ſacrilegi! nunquid erubeſcitis, ut hoc vel tale ſcelus in confeſſione aperiatis? & ubi pudor, ubi erubeſcentia, quod ſtetis adverſarii Crucis & ſanguinis Chriſti! S. Ephrem. ait de Paſſ. *Contemplaris, O homo, immaculatiſſimum Dominum in Cruce ſuſpenſum, audeſque O impudens & infelix homo, in deliciis vitam tuam transigere; an neſcis miſer, quod de his omnibus rationem, à te exiget, qui pro te crucifixus eſt Dominus!* O vos ſacrilegi, quomodo ſubſiſtetis, quando hic Judex veſter ſtrictiſſimam à vobis exiget rationem, de tam gravibus peccatis, & aggravatis per tot annorum ſacrilegas confeſſiones & communiones? *Mirum eſt,* (ut loquar cum S. Bonaventura) *quomodo talis nimio timore, non continuo tremat, coram Deo quem offen-*


§. 14. *Sacrilegæ Confitentes ſunt adverſarii Ieſu crucifixi, cum acri invectiva.*

offendit (coram ſacroſancto Sacramento, quod ſacrilegæ imponit linguæ) *ſicut tremit folium in arbore, cum à magno vento movetur: deberet quaſi in cinerem præ timore reſolvi.*

§. 15. *Affectuoſus locus de inclinato capite Chriſti morientis.* De inclinato capite, quo Jeſus expiravit in cruce, Joannis 19. v. 30. dixit S. Laur. Juſtin. *Caput hoc Dei, dum paſſionum ludibria & mortis ſupplicia pro hominibus pertulit, Patrem cæleſtem liquefecit ad miſericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.* O ſacrilegi! utinam ego hodie, vos ad miſericordiam, quam Jeſu Crucifixo & morienti debetis, colliquefacere poſſem: obteſtor vos per illud caput ſpinis coronatum, & in agone ad pacis oſculum, inclinatum, cogitate de integra ſcelerum exomologeſi; cogitate de jejuniis, de precibus, de flagellis; cogitate de modo, tam amabilem, quem offendiſtis Dominum, reconciliandi. Hoc ingenuè fateor; quod ſi hæc morientis Jeſu in Cruce, imago, vos non exſtimulet ad veram ac ſeriam criminum confeſſionem, actum eſt; nam quid potentius eſt ſanguine Agni immaculati? quid efficacius morte Chriſti? quid fortius eo amore quo nos tanta inter tormenta complexus eſt arctiſſimè. O Homo! ſi te, nec ſpinæ Chriſti Jeſu, ſi nec flagella, ſi nec benedicta ejus, tota ſanguine manans, facies; ſi nec pectus lancea reſeratum, commovet ad pœnitentiam; vade miſer, deſperata eſt ſalus tua, actum eſt! periiſti! O Jeſu! abſit ut ex hoc Auditorum meorum numero, quos omnes intimè diligo, vel unus aliquis tam ferreus reperiatur? ſed quod ſi reperiretur? age anime mi! age lingua, tentemus unum adhuc aſſultum; unum adhuc faciamus impetum contra induratum cor confitentis ſacrilegi.

§. 16. *Proſecutio cum affectuoſo Epilogo ad tales pœnitentes.* Taulerus ait, *Chriſtus D. moriens in Cruce, inclinavit caput ſuum, ad dilectiſſimam Matrem; tum ad homines univerſos tanquam ultimum Vale dicens, extremamque petens copiam diſcedendi.* Tempus eſt Auditores amantiſſimi, ut mihi detis copiam & licentiam diſcedendi ex hac cathedra; vos præcipuè ſacrilegi Confitentes; *Valete!* rogo vos per ſanctiſſima Vulnera Jeſu, cogitate de integra confeſſione; Quid hoc eſt? quid ſentio, videor mihi nomine Jeſu hoc ultima vice à vobis exigere. *Valete!* rogo, obſe-

obſecro, obteſtor vos; fortaſſis intra octiduum inſperatam cum vita mortem commutabitis, & tum id facere non potero, obteſtor inquam, per ſanguinem è ſacris vulneribus Jeſu fluxum: erigite oculos, aſpicite Salvatorem veſtrum, ecce adhuc tempus eſt, adhuc inclinato capite offert pacem agite pœnitentiam. *Valete interim*; ſi tamen hac Concione nihil profeci, ſcitote, aliquando vos coram ſupremo Judice de hoc ipſo quam potero acerrimè accuſabo!



CONCIO XVIII.
DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.

Matt. 21. cap. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima ejus pars, eſt invectiva, in ingratos peccatores pro amore tanti Regis, & præſertim pro beneficio Redemptionis. Altera pars, oſtendit, in quibus nos noſtro Redemptori, potiſſimum hoc ſacro tempore Paſſionis nos exhibere gratos debeamus.

§. 1. *Chriſtus D. in ſuo triumpho deflevit ingratitudinem populi Iudaici.*

§. 2. *Chriſtus D. conatus fuit, amore trahere ad ſe Ieroſolymam, ſed fruſtra.*

§. 3. *Sophoniæ & S. Auguſtini admirationes ob hominum redemptorum ingratitudinem.*

§. 4. *Hæc ingratitudo fuit Chriſto D. in horto cauſa tantæ triſtitiæ.*

§. 5. *Sentit illam, dulciſſimum Chriſti D. cor.*

§. 6. *Admirationes & exclamationes S. Bonaventuræ.*

§.7. *Quaestiones variae super verba Psalmi, quae utilitas in sanguine meo.*

§.8. *Labores in vanum adhibiti affligunt.*

§.9. *Iudas speculum ingratissimi mortalis.*

§.10. *Pius sensus verborum Christi, Iuda osculo Filium hominis tradis.*

§.11. *Piae quaestiones hominis desiderantis, ut sit gratus pro beneficio Redemptionis.*

§.12. *Responsiones ex sacra scriptura, & SS. PP. Gratitudo haec exigit. 1. Amorem.*

§.13. *Cognitio amoris Christi nos provocat ad ejusdem amorem.*

§.14. *Illa gratitudo exigit 2. Imitationem Christi.*

§.15. *Requirit quoq; illam Christus D.*

§.16. *Patiamur cum Christo.*

§.1. *Christus D in suo triumpho deflevit ingratitudinem Iudaici populi.*

NOn inhærebo hodie augustissimo triumpho nostri Salvatoris! illa, quam hodie ordimur, hebdomas luctum exigit atque tristitiam; quorundam SS.PP. opinio est, ipsum Christum D. in hoc triumpho, dum urbem ingrederetur teneras & amaras effudisse lacrymas, inter illa suspiria Luc. 21. v. 41. *Ierusalem, Ierusalem &c.* Magna tristitiæ & lacrymarum causa fuit Judaici populi cæcitas & ingratitudo. S. Hier. in c. 26. Matthæi, *Contristabatur Dominus propter rejectionem, & reprobationem populi Iudaeorum, & eversionem miserae Ierosolymae.* Forte Christus D. interius questus fuit cum Jeremia c. 8. 20. *Transivit aestas, finita est aestas, & nos salvati non sumus.* Glossa S. Thomæ ait, *salvati non sumus à famis periculo, quia fructum non recollegimus.* Deplorat ad literam Propheta illorum calamitatem, qui dum tempus est messis, necessarios fructus sibi non colligunt. Quamdiu Christus D. in terris cum Judæis fuit conversatus, fuit tempus gratiæ, tempus pœnitentiæ; quos labores non pertulit? quæ media non adhibuit? quæ miracula non perpetravit? &c. In vanum omnia! nullum recollegit fructum. Nimirum hoc contristavit Jesum; Cum Judæis deplorandi sunt illi Christiani, qui Passioni Christi, & beneficio S. Redemptionis sunt ingrati; &c. contra hos aget prima pars hujus Concionis; altera, meos Auditores adhorta-

hortabitur ad debitam gratitudinem, ut passio Christi nobis in fructum atque salutem cedat.

In versum 4. Ps. 108. in quo Regius Psaltes in persona Christi, justissimas querelas deponit, contra Judæos; *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi,* pulcrè ait S. Augustinus. *Dilectionem quippe debebant tantis Domini beneficiis, quam non solum minimè reddiderunt, verum etiam pro bonis irrogarunt malum, &c. & ita ad quandam malignitatis profunditatem venerunt, retribuendo mala pro bonis.* S. Thomas ait, *Maximè inter omnia valet ad hoc, quod aliquis ametur, si ipse prius amaverit.* Plato: *Magnes amoris, amor.* S. Augustinus; *Nulla est major ad amorem incitatio, quam prævenire amando? Durus est animus, qui dilectionem, si nolit impendere, nolit rependere.* Seneca ep. 9. *Quæris? quomodo amicum facturus sis cito? Ego monstrabo tibi amatorium; sine medicamento, sine herba, sine ullius venefica carmine; Si vis amari, ama.* O ingrata Jerosolyma; quàm te amavit Christus tuus Salvator; ubi tuus amor? exterius hodie occurris obviam tuo Salvatori; cogit te ad hoc vis quædam superior, ut invita cogaris agnoscere Majestatem tui Messiæ; sed intus cor tuum est plenum odio & invidia. Quos magnetes non adhibuit Filius Dei; magnes fuit pulcherrima ejus facies, magnetes, lucidissimi illius oculi! magnes fuit melliflua lingua, O dura Jerosolyma; Christus D. tamen non fuit satis potens ut tuos illos amores ad se attraheret. Sed quid ego Jerosolymam reprehendo? forte inter meos Auditores sunt, qui etiamnum hodie, illi charitati Salvatoris nostri sunt ingrati. Diligit nos, noster Jesus; sunt qui illum oderunt; venit ille nobis mansuetus & humilis; nos econtra duri coram ipso apparemus, rigidi in proximum & austeri, superbi &c. Illius unica est cura, ac studium in salutem animarum intentum; heu! quo nostræ tendunt curæ, quo consilia, quo studia? nunquid ad malum, ad peccatum, ad infernum? Ille viso animæ nostræ statu, perquam miserabili, velut olim ad conspectum Jerosolymæ, lacrymatur; nos interim miseri, nos cæci, nos infelices effundimur in risum, in voluptates, in insaniam. Ingrate mortalis, quorsum tua te rapit ingratitudo?

§. 2. *Christus D. conatus fuit amore trahere ad se Jerosolymam, sed frustra.*

§.3. *Sophoniæ & S. Augustini admiratio, ob hominum Redemptionem ingratitudinem.* Ingratos peccatores pro beneficio Redemptionis, paucis sed significatione plenis verbis, sub typo Jerosolymæ alloquitur Sophonias cap.3.1. *Væ prævaricatrix! & redempta civitas!* q. d. O impii! O ingrati! estne possibile ut redempti, id est, liberati à Salvatore vestro ex potestate & servitute, & captivitate diaboli, huic tamen, relicto Redemptore, iterum, per nova peccata adhæreatis. Redempti estis! id est, loti in sanguine agni, & super nivem dealbati; & nihilominus iterum vos maculis turpissimorum scelerum redditis abominabiles! Redempti; à Christo D. tantis pœnis, tot tormentis, tam ignominiosa morte; hæc omnia vilipenditis? Tilmannus. *Redempti sanguine Christi! O perversitas! provocatores & redempti. Quid enim tam arguit malitiam nostram, quam Redemptionis nostræ modus & causa*; ex una parte, nostra scelera & intolerabilis ingratitudo. Clarius rem explicat S. Augustinus ser.250. de temp. *Quanta iniquitas est, & quam lugenda perversitas, ut animam, quam Christus D. suo sanguine redemit, luxuriosus quisque pro momenti delectatione diabolo vendat! Vere nimium plangenda, & miseranda conditio est, ubi cito præterit, quod delectat, & manet sine fine, quod cruciat.* Bene Sophonias cap.2.v.5. addidit; *Væ! Væ!*

§.4. *Hæc ingratitudo fuit causa tristitiæ in horto.* Ob hanc impiorum malitiam & ingratitudinem, ait; Lud. Granat. ser.6. in Parasc. dixit Christus D. *Tristis est anima mea. Gravissima enim doloris causa illi extitit, innumerabilium pene hominum socordia & ingratitudo, qui hanc tantam salutem, tantam gratiam*, tam efficacem & salutarem (ne exiguum laborem pœnitentiæ susciperent; ne v.g. hoc paschali tempore confiteantur &c.) erant repudiaturi; quam is tot laboribus, tot opprobriis & cruciatibus illis peperisset. Magna emphasis latet in repudiare; dicitur hoc proprie qui aliquam adulteram; vel rem aliquam vilem à se abjicit, & quidem cum contemptu & alterius ignominia. Sic scelesti Judæi, elegerunt Barrabam ut viveret, Christum repudiarunt, ut crucifigeretur. O malitiam! O ingratitudinem! quoties impius labitur in peccatum mortale, cogitur necessario repudiare! Vulnera & sanguinem Christi. Abjicit à se precium tam preciosæ Redemptionis. Quod fuit hoc,

hoc, fuit Christo Dom. causa summæ tristitiæ, qui proinde dicere potest cum Isaia c.49. 4. *In vacuum laboravi: sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Eheu! tot labores Christi in vanum! sudor sanguineus in vanum! flagellatio, in vanum &c. O mi Jesu! ego pertineo ad numerum horum Redemptorum, & prævaricatorum. ah! quid egi; doleo me unquam tibi fuisse ingratum, heu! cur tuum sanguinem, tua merita, tua vulnera tam parvi feci? cur tuos amores toties repudiavi. Doleo, sed statuo & juro, fore me imposterum gratum &c. Mi Jesu, concede mihi, & meis aud. hanc gratiam, ne redempti simus in vanum; ne effuderis pro nobis preciosum, sanguinem, in vanum, &c. sed in gratiam, in vitam, in gaudium, in salutem æternam.

§. 5. *Sentit illam, dulcissimum Christi cor.*

Sentit summopere Christus D. hanc ingratitudinem. Cum cives quidam in Cæsarea, amici S. Pauli cum lacrymis rogarent illum, ne Romam iret, dixit ad illos vas electionis: Act. 28. v. 13. *Quid facitis? flentes & affligentes cor meum.* alia versio habet; *discerpentes.* S. Chrysost. *Nihil Paulo in amore erga proximum indulgentius,* proinde aliorum afflictiones sensit cum intrinseco dolore cordis. Quæro vos impii! Mater Ecclesia his diebus, ut moveat vos ad pœnitentiam, exhibet oculis vestris spectaculum perquam triste imaginem nempe Crucifixi, ut hoc spectaculo moti, cogitetis de debita Redemptori vestro gratitudine; Sed *quid facitis*? dum nihilominus ingrati filii! pergitis peccare; affligitis cor Jesu! *Quid facitis*? dum de integra confessione nihil vultis audire &c. Dilaniatis viscera Salvatoris. *Quid facitis*? dum nihil vultis audire de pœnitentia. nam tempus est, ut hoc tempore condonetis injurias, deponatis odia; quia non facitis, dilaceratis viscera, & Vulnera crucifixi. *Quid facitis?* O sacrilegi pœnitentes, & communicantes? hoc facitis, discerpitis carnem Agni immaculati, satis afflictum est dulcissimum cor Christi, ob angustias mortis; sed ingrati affligunt adhuc magis! Avertat bonus Deus tantum malum à meis Auditoribus.

§. 6. *Admirationes & exclamationes S. Bonaventuræ.*

Sed timeo, ne justas habeam causas, renovandi querelas devotissimi S. Bonaventuræ 2. p. stim. div. am. cap. 2. *Mirum est certe, quomodo pro amore Redemptoris erga genus humanum, corda filiorum hominum non scindantur.* Ponit deinde acrem exclamationem contra cor alicujus ingrati peccatoris, quod beneficio redemptionis non movetur ad amorem & gratitudinem; *O cor plus quam lapideum! O cor, non cor, cur non accenderis amore? O cor nequissimum! O cor immanissimum! O cor infidelissimum! O cor crudelissimum! O lapides & creaturæ insensibiles, flete;* causam lacrymarum & luctus hanc esse cupit, quia amor sive Deus non amatur. Eheu! sic est, Amor pendet pro homine totus nudus & sanguineus in cruce; non amatur. Ex Vulneribus Amoris defluit copiosus sanguis; eheu! non amatur. Amor in cruce, ex amore moritur; flete saxa, à multis non amatur!

§. 7. *Quæstiones variæ super verba Ps. Quæ utilitas in sanguine meo.*

Aureum monitum nobis reliquit S. Ambrosius l. de Virg. in v. 10. Ps. 29. Quæ *utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit; bonus servus deberet precium reparare Domino suo, & sanguinem reddere; sed, si non potest reddere, vel hoc faciet, ne precio videatur indignus. Ergo & tu dignũ te gere tali precio, ne veniat Christus, qui te mundavit, qui te redemit; & si te in peccato invenerit, dicat tibi; Quæ utilitas in sanguine meo? quid profeci tibi &c.* Audi amice mi, si fortassis etiã hac septimana es in statu peccati mortalis si actu es hostis Dei, & nihilominus de pœnitentia non cogitas, audi me parum, alloquar te sine bile, verbis suavissimis, & cum lacrymis afflicti mei cordis; Pro tua anima Christus sudavit sanguinem! sed, in hoc sanguineo sudore, pro te, quæso, dic, quæ utilitas? pro te flagellatus est, quæ utilitas? pro te coronatus est spinis, quæ utilitas? (est locus pro affectuosa ind.) In cruce orat pro te, quæ utilitas? offert tibi paradisum, quæ utilitas? nulla! hoc Christus pendens in cruce vidit clarissimè; vidit tua scelera, vidit tuas libidines vidit tuam ingratitudinem; & putas benedictum cor ejus, non fuisse afflictum, laceratum, dilaniatum? locum hic habet elegans ille versus. *Non dolor hicce meus,*

ce meus, dolor; est amor, hoc doleo unum; quod labor hic multis noster inanis erit.

§. 8. *Labores in vanum adhibiti, affligunt.*

Eccles. 2.18. dixit Salomon; *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit.* Christus D. in Cruce, tam divitem nobis relinquens hæreditatem clarissimè vidit, quales esset habiturus hæredes, bonos, sed *paucos*! dilapidatores, *innumeros*; hoc sensit dulcissimum ejus cor. Ejusdem testamenti, quod in Cruce sanguine suo scripsit, & nos sumus hæredes; Utinam grati & solliciti, ne relictum thesaurum in vanum dilapidemus, imo ne Satanæ vendamus. Ezech. c.24.v.12. ait; *Multo labore sudatum est, & non exivit de eo rubigo ejus.* Utinam non idem dicendum sit de Christo D. multo labore sudavit, sed in vanum. Quid enim? an non copioso ille labore sudavit? sed heu! in vanum! sudavit ut bonus Pastor, currendo per avia, per invia, per montes, per valles, per jugera, per nemora, ut perditam quæreret oviculam; te, te inquam, ingrate homo! sed heu! in vanum. Sudavit, peragrando provincias, circumeundo vicos, atque oppida; sudavit in cathedris, in templis, in montibus. Sed heu! in vanum. Sudavit in monte Oliveti; nec ignoratis auditores, quis fuerit ille sudor, nempe sanguineus, invisus atque inauditus alias. Sed heu! in vanum. Sudavit dum raperetur ad vincula, dum duceretur ad Annam, dum traheretur ad Herodem; dum in illum sævirent flagella, dum sannis atque ludibriis afficeretur, dum coronaretur spinis & ubi non sudavit Jesus meus? sed heu! in vanum. Ingrati homines, hos Dei vestri pro salute vestra labores considerate; hos tantos in vestra causa sudores perpendite.

§. 9. *Judas speculum ingratissimi mortalis.*

Talis ingrati speculum fuit Judas, de quo p. S. August. *Pro pignore amoris, suo amatori, & quidem cum osculo, vulnus infligit: pacis argumento mortem immittit, servus Dominum tradit; discipulus Magistrum prodit.* Judas (S. Amb.) prodidit eum, cui copulabatur suavitate convivii. *S. Hier.* Vendens Christum, quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent illi dare. *S. Th.* fraudulento osculo, osculatus est

Chri-

Christum. Putat S. Hier. Christum D. sub accepto osculo talia cogitasse in corde suo, Juda! ego mea clementia volo te salvare, & osculum tibi porrigo; & volo vincere malum tuum (puto hoc) & tu permanes ad male faciendum, ut me tradas. Pergit S. Hier. Videtis, quanta clementia Domini est! ille venit ad prodendum & Dominus porrigit ei osculum , ut qui Magistrum non timuit, vel clementia vinceretur. S. Bernardus de Pass. *Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? quæ conventio tui ad Belial? sed & hoc, benignitatis tuæ Domine fuit, ut omnia illi exhiberes, quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent.* O dura peccatorum corda! Jesus omnia nobis exhibuit, atque etiamnum exhibet, quæ pravi cordis duritiem emollire possunt. Exhibuit Sacramentorum usum, exhibuit vitam suam, exhibuit sanguinis sui precium, exhibuit præsentiam in augustissima Eucharistia; exhibuit, conscientiæ stimulos, exhibuit concionatorum voces, vires, conatus. Denique, quem non exhibuisti laborem, mi Jesu! ut pravi cordis pertinaciam posses emollire? O homo ingrate! O reprobe Juda! O ferreum pectus! Jesus exhibuit quæcunque caritatis argumenta, tu ea negligis, rides, despicis, contemnis. Lamentatur S. Ambrosius pro Juda: *Periisse beneficium* Redemptionis, hoc lugent pii animarum zelatores.

§. 10. *Pius sensus verborum, Christi, Iudas, osculo filium hominis tradis?*

Idem S. Ambrosius, putat, verborum illorum Christi D. ad Judam, Luc. 22. v. 48. *Osculo filium hominis tradis*, hunc fuisse sensum; *Amice sed ingrate! propter te suscepi, quod tradis!* hoc de vobis queror ingrati & obstinati peccatores, corpus, quod pro vobis Christus D. assumpsit, quod pro vobis vulneratum est, traditis diabolo! sanguinem pro vobis effusum, traditis jurato hosti Salvatoris vestri, & vestro, cum anima vestra, quam Christus suo sanguine redemit! utinam hic in vos irrueret timor & pavor in quo dixit S. Bernardus ser. fer. 4. hebd. S. Sequar vestigia ejus; amabo Christum Red. &c. *Alioquin etiam exquiretur à me sanguis justus qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum; quod videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quod spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod sangui-*

ſanguinem teſtamenti pollutum duxerim, quod conculcaverim Filium Dei.

§. 11. Piæ quæſtiones hominis deſiderantis, ut ſit gratus pro beneficio Redemptionis.

Sed venio in altera parte concionis, ad illos, qui hac ſancta ſept. ſolliciti ſunt, quomodo Chriſto Salvatori pro beneficio Redemptionis ſint grati. Pſ.115. quæſivit Regius Pſaltes pſ.115. v.17. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? Th. de K. de paſſ. *ſi ille tanta pro nobis pertulit quid nos faciemus, & quid illi digne referemus*? S. Euthymius ait ep.4. ad Sever. *Quid ergo illi pro malis, quæ pertulit, quæ pro bonis ſuis, quæ contulit referam? quid pro ſuſcepta carne? quid pro alapis, pro opprobriis? quid pro flagellis, pro cruce, obitu, rependam*? Plurimæ tales interrogationes paſſim inveniuntur apud SS. Patres; quos audivimus interrogantes audiamus etiam reſpondentes.

§. 12. Reſponſiones, ex ſacra ſcriptura & SS. PP. Hæc gratitudo, exigit primo amorem.

David ait; *Calicem ſalutaris accipiam*. id ex mente Hugonis Card. *Paſſionem Salvatoris imitabor*. & Euthymius reſpondet. *Cum multa & magna beneficia à te acceperim & reſpondere illis nequeam, quod valeo id faciam, Diligam te*. & *Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere*. Cum S. Bonaventura Stim. d.am.p.2.c.18. conſideraſſet illum verſum Thren.1.v.12. *O vos omnes*, &c. *quoniam de excelſo miſit ignem in oſſibus meis*. Videtur mihi hic verſus ſupponere emblema, in quo mons Ætna evomit flammas, inter quas legitur hoc lemma, *quod latet, hinc patet*. Voluit hac pictura quidam amator exprimere latentes flammas amoris, in ſuo corde. Mons hic igneus amoris eſt Chriſtus crucifixus: patentia Vulnera ſunt rimæ, ex quibus erumpunt flammæ, indices, latentis intus in corde amoris. O vos omnes, qui hac ſeptimana videbitis & tranſibitis imaginem crucifixi, attendite & videte, ſi eſt talis dolor, & talis amor: jam audite ardentia verba Seraphici Bonaventuræ; *Imo Domine, attendam & videbo, ſi eſt amor, ſicut amor tuus! imo, ſi eſt amor, niſi amor tuus! & ideo nihil, niſi te, & propter te volo amare!* Taulerus de paſſ. *Attende nunc, O anima mea interioribus oculis immenſum amorem Salvatoris tui; Vide quantopere ſitiat te redimere! O Clementiſſime Deus! quem non hæc tanta charitas incendat?*

§. 13. *Cognitio amoris Christi, nos provocat ad ejusdem amorem.*

S. Thomas ait p. 3. q. 46. a. 3. *Qui cognoscit, quantum Deus hominem* dilexerit & *diligat, provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ salutis consistit.* addo ego, & gratitudo quam illi debemus. Ex hac cognitione dixit David, adhæsit anima mea post te. Ex hac cognitione dixit Petrus, Joan. 21. v. 16. *Tu nosti, quoniam diligo te,* & S. Paulus, Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit à caritate Christi.* S. Bonav. stim d. am. *O bone Iesu, quid fecisti, quod me tantum amasti? Quare Domine? quare? quare Domine Iesu? quid sum ego? postquam similes quæstiones formasset* S. Aug. cap. 10. in Man. respondet, *Amo te Deus meus! amo te! & magis atque magis amare volo. Da mihi Domine Deus, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo, quantum debeo.* Seraphicus S. Franciscus; *Da mihi Domine mori, amore amoris tui, qui amore, amoris mei, dignatus es mori.* S. Petrus Martyr. *Da Domine mihi mori pro te, qui mori voluisti pro me.* Finio hunc discursum, Gratus animus amat & diligit Christum Redemptorem.

§. 14. *Illa gratitudo exigit secundo Imitationem Christi.*

Sed bene monet Cicero l. de amicit. *Duo sunt quæ amantem produnt, amata bene facere, & ejus causa cruciatus ferre; & hoc majus est.* Itaque pati aliquid debemus pro Christo, quod fiet, si quod primo loco exegit Hugo Card. si Christum D. passum imitemur, quod sine mortificatione non faciemus. S. Gregorius Naz. in particulari proponit, in quo Christo Passo debeamus conformari. v. g. *Si ad Herodem deductus fueris, ne verbum unum responde. Silentium tuum pluris faciet, quàm prolixas aliorum orationes, Si flagello cæsus fueris; quæ supersunt, require. Fel gusta, aceto utere, sputa flagita, alapas & colaphos accipe; spinea corona, hoc est, piæ vitæ austeritate, cingere, coccinum indue, arundinem accipe, ab iis qui tibi detrahunt &c. Denique simul in crucem suffigere, simul morere, simul etiam libenter inhumare; ut simul quoque revivíscas, & gloria fruaris, ac regnes.* O si hac sancta septimana Passionis Christi, ut grati simus tanto beneficio; ut grati simus, ejus flagellationi, ita viveremus!

§. 15. *Requirit illam Christus D.*

Henricus Suso ex Ord. S. Dom. in dialogo inducit Christum D. de sua Passione alicui Religioso sic loquentem; *Siquidem acerbissima mortis perpessione (non tantum volui hominem redime-*

dimere,) sed hoc potissimum spectavi, & volui, ut me homines imitarentur, 1. Petr. 1. v. 3. *passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* S. August. Lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis. S. Th. *In cruce invenitur exemplum omnis virtutis.* Subjunxit tamen Christus D. *quamquam & pia lacrymæ mihi cumprimis acceptæ sint.* Sed ne quis putet, in his lacrymis consistere veram devotionem, & debitam gratitudinem, dixit ulterius Christus D. qui me imitabitur &c. p. locus, qui v. g. fel meum gustaverit; Non minus gratum mihi præstiterit obsequium, quàm alius, qui præ lacrymis, dulcedine totus colliquescit. Forte hæc verba oculis vestris proponunt, Mariam Magd. ad pedes crucifixi solutam in lacrymas: gratulor aliis, qui simili torrente inebriantur; mihi Auditores, & forte quibusdam ex vobis gratia hæc non conceditur; non sumus tam pii & devoti; hanc tamen gratitudinem, hoc obsequium Christo Redemptori exhibere possumus, nimirum licebit amarum ejus calicem; calicem illum felle atque aceto plenum, calicem Passionis acerbissimæ, supremis saltem labiis degustare; licebit cum eodem Salvatore nostro, mœsto corde, dejectis oculis, mente in Dei nutum defixa, concedere trans torrentem Cedron; licebit cum eo in genua procumbere, licebit supplices ad Deum palmas protendere, & exclamare! Pater! Pater mi! Licebit cum eodem rapi, ab uno tribunali ad aliud, ab uno cruciatu ad alium, à vinculis atque catenis ad carcerem, à carcere ad Judicem à Judice ad flagella, à flagellis ad spinas, à spinis ad crucem, à cruce ad mortem. Eccur hoc non liceat, Auditores, devota nempe consideratione comitantibus, non filiabus Sion, sed ardentibus cordis suspiriis, precibus, affectibus? Hæc nostra obsequia, non possunt non esse Patienti Deo nostro, hoc tempore gratissima.

Piè S. Bern. c. 3. medit. *Fudit Christus lacrymas, funde & tu. Fudit sanguinem suum, funde & tu quotidiana corporis afflictione, quem si semel ponere pro Christo non potes, saltem mitiori quodam, sed longiore martyrio pone.* S. Cyrillus Catech. 13. *Pro te Iesus Rex* §. 16. *Patiamur cum Christo.*

tuus crucifixus est & tu pro crucifixo non crucifigeris? de hoc sibi applaudit S. Paulus ad Col. 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt Passioni ipsius in carne mea.* Cajet. hæc dicendo, *apparenter significat, aliquid diminutionis in Passione Christi*; sed quid Christo deest, quid ejus sanguini? &c. Respondet Cajet. *Secundum veritatem non significatur diminuta Passio Christi, sed significatur, quod illi deest, conjunctio ipsius cum afflictionibus nostris.* O Jesu! te enim mea, in fine, potissimum respicit oratio, O Jesu! O Amor cordis mei; O unica mea Voluptas! sine obsecro, sine me crucem meam conjungere cruci tuæ; sine me afflictiones meas tuis miscere angustiis; sine me mortificationes meas tuis adjungere injuriis. Volo quippe cum Apostolo tuo adimplere ea, quæ desunt Passioni tuæ in carne mea; Volo tecum prodire, in hortum, non ut rosas voluptatum legam, sed ut spinas afflictionum decerpam. Volo tecum gustare calicem, non ut vino me ingurgitem, sed ut fellis tui atque aceti reddar particeps; Volo tecum ad Judicum tribunalia, ad Regum solia prorepere; non ut honoribus ab iisdem macter, sed ut afficiar injuriis. O mi Jesu! hæc mea, hæc etiam Auditorum meorum sunt vota, hæc desideria, tu tantum annue, tu admitte imperfectum nostrum, tu nostram passionis guttulam, in tormentorum tuorum oceanum infundi clementer permitte.

CON-



CONCIO XIX.

DE HISTORIA PASSIONIS ORDINE TERTIA.

Apprehendit ergo Pilatus Iesum, & flagellavit.

Joann.19. cap.v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de quatuor præcipuis mysteriis, Passionis. I. De accusatione coram Pilato. II. De Illusione in aula Herodis. III. De flagellatione. IV. De spinea Coronatione.

§.1. *Exordium.*

§.2. *Iesus mane Parasceves ducitur ad Pilatum.*

§.3. *Quod videns Iudas, agnovit magnitudinem sui sceleris.*

§.4. *Apostrophe ad impios, ut intueantur hoc speculum.*

§.5. *Iudas desperans laqueo se suspendit.*

§.6. *Affectus timoris.*

§.7. *Sistitur Pilato.*

§.8. *Coram illo accusatur.*

§.9. *Pilatus cognovit Christi innocentiam.*

§.10. *Magna virtus est, inter contumelias silere.*

§.11. *In prætorio, Pilatus, alias Christo Domino, proposuit quæstiones.*

§.12. *Vna ex præcipuis; Quid fecisti? nobis quoque proponetur.*

§.13. *Quæsivit Pilatus, modum liberandi Christum D. Itaque proponit Iudæis, electionem inter illum, & Barrabam.*

§.14. *Qualis & quanta, inter utrumque differentia.*

§.15. *Barrabas præponitur Iesu, electione detestanda quam committit quisquis letaliter peccat.*

§.16. *Quærit Pilatus, quid debeat facere cum Iesu.*

§.17. *Apostrophe ad impios, quid velint facere cum Iesu.*

§.18. *Pilatus mittit Christum*

§.1. *Exordium.* INter pia desideria, dicendi ferventer; & cum fructu, hanc præsertim de Passione Christi concionem, hodierna die Parasceves; incidit mihi id, quod de S. Francisco de Paula, narrat ejus vita; fuisse ipsum, tam ardentem Amatorem Dei, & Christi crucifixi, ut aliquando, visibiliter de cœlo, in ejus cor descen-

descenderit igneus globus, cui hæc vocula flammeis literis fuit inscripta; CARITAS; Et illis ignibus non ipse tantum exardescere solebat, præsertim in meditatione Passionis; sed omnes, cum quibus agebat, eisdem ignibus & simili amore, erga Deum & Christum crucifixum inflammabat. Si potuisset, (tantus, tam accensus erat illius amor) totum mundum his flammis accendisset. O si ego, hac concione, tales igneos globos, o si has faces & flammas injicere possem cordibus meorum Auditorum! O sancte Spiritus! veni; accende imprimis cor meum, accende linguam, accende omnia verba; ut per me indignissimum peccatorem excitetur ignis amoris erga Christum patientem! sed agnosco me indignum, per quem hoc fiat. Vos imploro, O cœlestes Seraphini! Vos sub dictione mea, igneos de cœlo inter meos auditores spargite globos! ego saltem conabor ut igneis literis uni inscribam; Jesu coram Pilato, accusato; alteri, Jesu! in aula Herodis illuso; tertio, Jesu flagellato; quarto, Jesu! Spinis coronato; ardet nostra caritas, & flagrat amor. Qui Jesum crucifixum hodierna die, non amat ardenter, anathema sit; O me felicem! non è Seraphinorum thronis tantum; sed ex ardenti clibano pectoris Jesu crucifixi, jam sentio evibrari has flammas, quas desidero. In nomine ergo ejusdem crucifixi; do initium huic concioni. De accusatione coram Pilato, &c.

Punctum I.

De mane Parasceves.

§. 2. *Iesus, mane Parasceves à Iudæis ducitur ad Pilatum.*

SUmmo mane die Parasceves in domo Caiphæ comparuerunt Concilii majoris Senatores, Sacerdotes, scribæ, & Pharisæi; exultantes præ gaudio, cum audiverunt, teneri Christum D. etiamnum captivum; & multo magis, cum è carcere ad Concilium eductum vidêre, ob copiam colaphorum & alaparum facie intumescente, sanguine livida, sputis oppleta, non sine laude, commendatione, & præmio satellitum qui benignissimum Dominum ita tractassent. Repetita breviter à Caipha, senten-

sententia mortis, quæ præcedente vespera in illum prolata fuerat, omnium suffragiis statutum est, tradendum eum Pilato Romanorum præsidi, accusandum veluti seductorem populi, reum læsæ Cæsar. Majestatis, ob regni judaici ambitum, & tanquam blasphemum, quod se Filium Dei appellaret; proinde meritum, ut crucifigatur. Antequam magno tumultu, inconditis clamoribus, illum ex domo Caiphæ per plateas ad palatium Pilati raptarent, manus & brachia, de novo arctius ligarunt, & collo immanem catenam, veluti perduelli, & mortis infamis reo injecerunt--*& surgens omnis multitudo eorum; Summi Sacerdotes cum senioribus & scribis & universo concilio adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.*

§. 3. *Quod videns Iudas agnovit magnitudinem sui sceleris.*

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens peccavi &c. antequam aliquid dicam de Juda, merito dicere possum ex ps. 65. v. 5. *Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.* Nocte S. Petrus liquefit ad lacrymas, de die Judas induratur' vere in utroque terribilis Dominus in consiliis suis, magna emphasis latet in illis particulis, *tunc videns*, id est, cum Judas peccavit, cum fuit in ardore avaritiæ, non vidit, non agnovit, quid esset vendere Christum, nihil vidit; fuit perfidus in Magistrum, non vidit, fuit Simoniacus; non vidit &c. Peracta proditione, cum vidit, Christum tradi Pilato, tunc Dæmon illi oculos aperuit, & simul ac semel immanem cumulum tot peccatorum objecit, & abyssum malorum in quem se præcipitarat; tum diabolus admovit stimulos & faces inquietæ conscientiæ; tum terruit monstris; tum ad desperationem adegit, clamando: *quid fecisti?* vox innocentis sanguinis contra te clamat; tu Deum vendidisti pro triginta argenteis; & quæ spes veniæ esse potest? quo fugies? peccatum tuum grande est, mitte te deorsum & morere! hæc & talia Dæmon; hæc sæva conscientia; hæc ipse sibi Judas &c.

§. 4. *Apostrophe ad impios, ut intueantur.*

O impii! hanc Tragœdiam vobiscum ludit Diabolus; cum ad peccatum instigat; cum voluptas invitat, cum libido provocat; Nihil videtis! in publicis plateis audetis peccare; scitis quo

quo ſcandalo? Nimirum diabolus tegit fœditatem peccati, ne ejus enormitas appareat; nihil occurrit, quod terreat oculos, nihil quod aures offendat; omnia ſunt amœna, omnia jucunda. At vero in articulo mortis, tum ex inferis irruunt furiæ, tunc vident impii; tum lectum circumſtant ferales umbræ, & larvæ cum facibus, flagellis, armatæ ſpinis; tunc vident, tunc conſcientia latrat, tum rodit vermis & vultur &c. hinc ille impiorum pavor, terror, tremor &c. Ita fit, cum laqueos deſperationis injicit Cacodæmon. Ita diabolus excæcat, ut pecces, oculos apperit, ut deſperes.

tur hoc ſpeculum.

Judam eo Satan adegit, ut abiens laqueo ſe ſuſpenderit. O triſtem abitum, à luce ad tenebras, à gaudio ad luctum, à ſolatio ad mœrorem, à tempore ad æternitatem, à mundo ad inferos, ab hominibus, ad Dæmones, à Chriſto ad luciferum, à ſummo bono, ad ſummum malum; plenus timidiſſimis cogitationibus. Antequam laqueum collo injecit, forte aſpexit cœlum, ſed viſum illi fuit tonare, fulgurare, fulminare, igne pluere. Fortè deſpexit in terram, ſed videbatur ſub pedibus dehiſcere & aperiri. Forte inſpexit conſcientiam, ſeu ſimul mille ſcelerum furias, ibidem latentes animadvertit. Forte circumtulit oculos per aëra, ſed videbatur plenus Dæmonibus. Forte reſpexit Chriſtum, ſed ille videbatur ſeveriſſimus judex, acerrimus vindex, ita nullibi ſolatium! Scelus perpetratum, viſum fuit inexpiabile. Credebat impoſſibile, impetrare veniam; & tamen ſic vivere, etiam durum fuit viſum. Ergo domi quærit laqueum, eo invento egreditur foras in campum, forte in via murmuravit, ex Job. c.3. v.3. *Pereat dies in qua natus ſum & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis.* Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine, noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. Hæc inter murmura filius perditionis aſcendit arborem, laqueum collo inſerit, ſuiipſius carnifex, infamis Judas. Quis hæc videns non interroget cum Iſ. c.66. v.8. *quis audivit unquam tale, quis vidit huic ſimile?* O Angeli; O homines, O inferi; Clamate cum S. Paulo ad Romanos. 11.33. *O altitudo*

§. 5. Judas deſperans, ſe laqueo ſuſpendit.

titudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus &c. Cavete impii: talis vobis mors paratur qualis fuit vita: sic impleta sunt verba & minæ Christi Matthæi 26.v.25. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

§.6. *Affectus timoris.* O bone Jesu! Estne aliquis in hoc cœtu, de quo, in tuo & Patris arcano concilio dictum est ab æterno, *bonum erat ei* &c. qui æternum planget; *Pereat dies &c.* O Jesu! timore & tremore concutis omnia ossa mea, dum tonas fulminatrice illa sententia; *Nescit homo utrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta,* dicit Ecclesiast.9.v.1. hoc est, *Nescit homo, utrum bonum ei sit, quod natus sit vel non.* Iterum, Christe, tua voce, tanquam rugitu leonis mihi terrorem incutis; *multi sunt vocati, pauci electi* Matt.20.v.16. Vocatus fuit Judas, at non electus: & ego vocatus sum, sed an electus sim nescio, & non paveam? non totis artubus contremiscam? egone adhuc Deum meum offendam? Judas semel te vendidit, ego, peccando, heu quoties! sic est mi Jesu, non tamen desperabo, sed cum Petro in antrum me abdam, in illo plorabo, in illo gemam, in illo exclamabo: *peccavi tradens sanguinem justum*, sed hic sanguis super me & super animam meam, ut clamet, non justitiam sed misericordiam &c. Nunc ad textum.

Punctum II.

Sistitur, & accusatur coram Pilato.

Vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato Marc, 15, v.1.

§.7. *Sistitur Pilato.* QUamprimum Christus Dominus summo mane Parasceves coram magno concilio rursum professus fuit, se esse Christum Filium Dei, unanimi voce conclamarunt; *reus est mortis*. Tertium hoc fit consilium, pejus prioribus. In primo non omnes consensere: in secundo dubitatum est; in tertio, in unam mortis sententiam conspirant omnes. Sic eunt per gradus

dus ſcelera. Et confeſtim ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus & ſcribis & univerſo concilio ſurgentes cucurrerunt ad prætorium Pilati. In medio, inter lictores, milites & nequiſſimos famulos Judæorum ductus fuit Christus Salvator, ligatis manibus & brachiis, collo injecta ingenti catena, in ſignum à Senatu Eccleſiaſtico eſſe judicatum reum mortis; tradi proinde ſæculari poteſtati: facile cogitare poſſumus, quis populi in tanta urbe fuerit concurſus. Miratus fuit præſes die à Judæis tam ſancto coram ſe ſiſti reum, & quia prætorium ingredi noluerunt, exivit ipſe, *tunc cœperunt illum accuſare in multis*, id eſt, *exacuerunt ut gladium linguas ſuas* pſ.63.v.4. impletus fuit.v.14.pſ.21. *aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens* & v.1. Pſ.48. *Os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt adverſum me lingua doloſa & ſermonibus odii circumdederunt me.* Audite quæ dixerint venenatæ linguæ.

Primus, accuſationem ſic orſus eſt. *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram.* Jeſus autem nihil reſpondit: alius pro innocente dicere potuiſſet, quod Daniel dixit pro Suſanna ad ſeniorem: *Recte mentiris in caput tuum.* Dan.13.v.55. vel ex pſ.9.v.7. *maledictione os tuum plenum eſt, & amaritudine & dolo*; hic enim eſt, qui non perfidam veſtram gentem, ſed veſtros hoſtes, Pharaonem ſubmerſit in mari rubro. Exod.14.v.28. Hic eſt, qui vos duxit per deſertum, qui interdiu vobis in columna de nubibus, noctu autem, in columna ignea præluxit Exod.13. v.21. hic eſt qui non coturnicibus ſolum, ſed & manna, pane illo cœleſti, vos pavit; hic eſt, qui in tot præliis Patribus veſtris atque majoribus, in brachio fortitudinis ſuæ adſtitit, qui tot illis victorias adverſum omnifarios hoſtes conceſſit. Dicite nunc; hoccine eſt ſeditionem movere in populo? hoccine eſt, O ſcelerati, veſtram gentem pervertere? Sed Christus Dominus nihil reſpondit; alter itaque accuſator erupit; *hunc invenimus prohibentem tributa dari Cæſari.* Rurſum Chriſtus ſiluit, ſed ſi Daniel aliquis, ſi quis exſurrexiſſet advocatus, veritatis amans, dicere potuiſſet pro Chriſto, recte; *& tu mentiris in caput tuum*, nam Matthæi 22.v.21. diſertis verbis dixit. *Reddite quæ Cæſaris Cæſari.*

§. 8. Coram illo accuſatur.

Tertii accuſatoris vox fuit; *invenimus hunc dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*, addidit alius, *Filium Dei*, vociferati ſunt iſta, clamore incondito, ſpe pleni fore, ut ſtatim à Pilato fatalis ſententia proferatur.

§.9. *Pilatus agnovit Chriſti innocentiam.* Sed noluit præſes judicium præcipitare; conſideravit potius accuſationes, expendit teſtimonia, examinavit ipſum accuſatum, &, in accuſationibus reperit invidiam, in teſtimoniis mendacium, in teſtibus nequitiam; in ſolo reo innocentiam, in vultu miram quandam Majeſtatem. Hinc diſpares illæ voces inter ſynagogam & gentilitatem. Vox gentilis fuit, *quid mali fecit*? vox Judaica fuit, *ſi non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum.* Malefactor! non unum ſceleris genus, ſed omne complectitur. Et hoc Dei filius! O injuria inaudita! Vox Pilati fuit; *Nihil invenio cauſæ in hoc homine.* Vox Judæi fuit *commovet populum.* Vox præſidis fuit, *nullam cauſam mortis invenio in eo, dimittam.* Vox Judæi; *debet mori*!

§.10. *Magna virtus eſt; inter contumelias ſilere.* Itaque cum Pilatus videret, audiretque omnium clamorem contra Chriſtum, concurrere, & neminem unum eſſe qui vel verbulum pro illo diceret, dixit illi Pilatus; Matth. 27. v. 13. *Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia*? *Ieſus non reſpondit ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* Hoc Dei mei ſilentium magni eſt myſterii argumentum. Enimverò injuriis laceſſi & non animo commoveri; affici contumeliis, & non bile pariter ſuffundi, falſas audire accuſationes, & non in ſui defenſionem erumpere, percipere tot maledicta; & adhuc conticeſcere cum Chriſto; hanc ego ſane virtutem duco longè nobiliſſimam, hoc opus maximè heroicum, ac præ cæteris illuſtre cenſeo. Hanc itaque virtutem, hanc ſuiipſiuſmet victoriam docere nos modò voluit ſuo illo ſilentio amantiſſimus Præceptor noſter Jeſus; graviſſima innocentiæ defenſio, eſt ſilentium, cum vita loquitur, & perorat. Jam verò propter nimios clamores Judæorum, & vociferantium tumultus

§.11. *In prætorio Pilatus alias Chri* Pilatus Jeſum ſolum in prætorium duxit; ubi ſine arbitris, de binis rebus magni momenti illum interrogavit. Primò. *Tu es Rex Iudæorum*? Reſpondet Jeſus, *regnum meum non eſt de hoc mundo*

mundo. Væ huic mundo, si Christus non est illius Rex. *Væ Regno, cujus Rex non est Rex regum*; Vale munde, valete divitiæ, si in vobis non est regnum Christi; non cupio vos. Et quomodo Christus Dominus filius Dei posset esse Rex hujus mundi; cujus si spectes locum non est nisi punctum, quid angustius? si tempus; non est nisi momentum; quid contractius? si incolas; est divisum. Si regem, est Tyrannus; si finem; ignis & combustio! Ideo regnum Christi est regnum immortalitatis, non vanitatis: regnum est, omnium temporum injuria superius, non quod interitum spectat, ut jam spectarunt Persarum Monarchia, Assyriorum dominatus, fastus Macedonum. Regnum est, cujus fundamentum ipsa construxit divinitas, non quod humana jecit mortalitas, regnum est, non quod terrestris nititur fulcro potentiæ, sed quod majestate constat cælesti, hoc est, verè augusta, verè solida, vere inconcussa! Altera quæstio Pilati hæc fuit, *Quid fecisti*? O Pilate paucis huic quæstioni responderi non potest; per hunc facta sunt omnia; vide cuncta quæ fecit, & invenies valde bona. audi quid fecerit? In principio creavit cœlum & terram, formavit hominem de limo terræ, creavit illum cœli oculum longè venustissimum solem, lunam præfecit nocti, cœlum condecoravit stellis, terram vestivit floribus, ditavit fructibus, distinxit fluminibus, fœcundavit plantis, exornavit arboribus, animalibus replevit. Et tu adhuc ex Jesu meo interrogas Pilate, *quid fecisti*? flecte quocunque lubet oculorum aciem, cœlum suspice, montes considera, intuere terram, hortos, urbes, oppida, agros, specta volantes per aëra volucres, natantes in undis pisces, repentes in terra serpentes, latentes in sylvis feras, ambulantes in urbibus homines; hæc universa sunt opera manuum ejus; hic hic Jesus omnium est author, opifex, artifex. Et tu quæris, quid fecisti? merito nil tibi respondet Salvator meus, qui silentio sustinet hoc examen. Arbitror tamen ego cuivis ex nobis permissum esse, Christo hanc quæstionem proponere in meditatione passionis; jure optimo & ego quærere possum: Mi Jesu, *quid fecisti*, quod me ex abysso nihili mei in hanc mundi lucem eduxisti? *quid fecisti*, quod me

Sto D. propositis quæstiones.

anima tam nobili, anima inquam rationali ditasti? *quid fecisti*, quod me non claudum, non orbatum oculis, non gibbosum, non mutilum, ut sunt innumeri alii, creasti? *quid fecisti*, quod me ab incunabulis hucusque tam clementer tolerasti, conservasti, honorasti? *quid fecisti*; quod me à tot corporis, animæque periculis tam sollicitè custodisti? O Jesu *quid fecisti?* Respondet *amavi*. Ita est, mi Jesu, hoc fecisti, amasti me!

§. 12. *Vna ex præcipuis, nobis quoque proponetur.* Sed advertite à Pilato Christo hanc quæstionem fuisse propositam, & nobis aliquando proponendam; cum in judicio supremo judex quæret; dic impie; *quid fecisti*, quod me tam vili pretio, tam levi voluptatula vendidisti? *quid fecisti* tu ô superbe, quod honori tuo amplificando majorem dedisti operam, quam meo? audi quid feceris, fumum quæsivisti. *Quid fecisti* tu Veneris Trossule, quod ut placeres mulierculæ, tot impenderis horas, tot dies, tot annos? audi quid feceris? collegisti vermes qui tuam rodant conscientiam. Quid vos denique fecistis peccatores, quicunque derelicto creatore, ad creaturas vos inconsultè convertistis? audite quid feceritis, animas vestras in summum damnationis æternæ discrimen conjecistis. Ita jure merito verbis Pilati ad nos retortis uti potest Jesus noster.--- Sed regredior ad propositum.

§. 13. *Quæsivit Pilatus modum liberandi Christum D. Itaque proponit illis electionum inter Christum & Barrabam.* Quia Pilatus clarè advertit Christum per invidiam sibi traditum, conatus fuit Christum liberare; sic tamen ut ipse non excideret sua dignitate, & Judæorum animos non nimium offenderet. Et speravit, se hac ratione, hoc obtenturum. Per diem solennem consueverat præses dimittere populo unum vinctum, quem voluissent. *Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus; quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Iesum?* Matthæi 27. 17. hic necessario ponderare debemus, inter quos & quales offeratur electio, inter impietatem & sanctitatem: scelus & innocentiam, peccatorem, & Deum. Barabbam sic depinxerunt Evangelistæ.

§. 14. *Qualis & quanta in-* Teste Marco, in seditione fecerat homicidium. Teste Joanne; erat latro, teste sancto Matthæo, insignis latro: fuit ergo homo

homo barbarus, sævus, crudelis; omnes ejus nomen abominabantur; ideò conjectus fuit in vincula, reus mortis. Hunc nebulonem è carcere eduxit Pilatus, & in omnium conspectum produxit, nullus dubitans quin dimisso Jesu eum ad necem postularent. Christus verò, melior est cunctis preciosissimis; cui omne desiderabile non potest comparari. Proverb. 8. 11. si quid in mundo est preciosum, ideo est, quia Jesus illud condidit. Si quid est pulchrum, ideo est, quia filius Mariæ id ornavit; si quid amabile, dulce, suave, ex eo solum fonte dimanat. Cur tam pulchrum est cœlum? quia Jesus illic regnat in gloria; cur terra adeo speciosa? quia est scabellum pedum Christi; satisne capitis quis, qualis, quantus sit Jesus! plura accipite. Congregate omnes homines quotquot à prima mundi origine nati fuere stemmate aut majestate illustres, congregate omnes ab orbe condito principes, Reges, Cæsares; apponite illorum nobilitatem, potentiam, opulentiam, thesauros, vires, gloriam, honorem; adde mundi regna, insulas, urbes: adde omnia ornamenta quibus eas ornavit natura & gratia. Sapientiam Salomonis, robur Samsonis, victorias, triumphos Davidis, pulchritudinem Absalonis, scientiam Aristotelis, eloquentiam Tullii: Ponite omnes angelos, omnes creaturas, quas Dei potentia in cœlo & in terra produxit: Deus bone! qualis cumulus creaturarum! Et quid sunt si comparentur cum Jesu? Respondet Isaias c. 40. 17. *quasi non sint; sic sunt coram eo; & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Angeli, Archangeli sunt administratorii Spiritus; & talem esse, scimus ex figuris, prophetiis &c. Quem jam vultis, O impii Judæi? rem miram! ô odium! indignati, Jesum etiam cum Barabba conferri, tanquam rabidi præ invidia canes, exclamant, *tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.*

ter utrumque differentia.

O detestandam electionem! cum homine Deus; cum vermiculo omnium rerum Dominus; cum latrone Rex, cum reo innocentia, cum seditioso charitas, cum impio pietas, cum perduelli, obedientia componitur! O dedecus! O opprobrium! & postponitur. Acerbo laconismo Judæos pupugit Divus Chrysostomus. *latrones petierunt latronem, Dominum autem crucifixerunt.*

§. 15. *Barrabas præponitur Jesu, electione detestanda, quam committit, quisquis*

mortaliter peccat. *runt.* Divus Anselmus. *O iniquum judicium! bonus despicitur, & malus præponitur, justus punitur, & peccator liberatur: agnus occiditur, & lupus acceptatur. vita deseritur & mors reservatur.* Jeremiæ res hæc visa fuit tam indigna ut dixerit c.2.v.12. *obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas*; quis non stupeat; quis non irascatur? sed convertamus in nos hanc iram & indignationem. Aurum Deo præponere; est Barabbam præponere Jesu. præferre æternis bonis peritura, spurcam, fluxam, vilem voluptatem magis æstimare, quàm amicitiam Dei; est, Barabbam præponere Jesu, sic imitamur Judæos; verbo, peccatum mortale committere, est Jesum postponere Barabbæ; quisquis mavult Deum offendere, quàm hominem, hic præponit Barabbam Jesu: par est iniquitas, eadem injuria, æquale flagitium; Judæi præponentis Christo Barabbam, & Christiani præponentis creatori creaturam; quisquis mortaliter peccat, à Deo se convertit ad creaturam, id est, à potentia ad fragilitatem, à fortitudine ad infirmitatem, à scientia ad ignorantiam, à sapientia ad stultitiam, à gloria ad ignominiam, à majestate ad vilitatem, à bonitate ad malitiam, à justitia ad iniquitatem, à misericordia ad miserias, à pane ad famem, à fonte ad sitim, ab opulentia ad egestatem, à toto ad nihilum, à summo bono ad summum malum. hoc est Jesum postponere Barabbæ, & hoc fit in quovis peccato mortali. Bene habet; satisfecit Pilatus Judæis, dimisit illis Barabbam; nec dum tamen innocentem voluit condemnare. Itaque ulterius ex Judæis quæsivit; *Quid igitur faciam de Iesu?*

§. 16. *Quærit Pilatus, quid debeat facere cum Iesu.* O peregrinam quæstionem! adeone res vilis & abjecta est Jesus, ut quasi inutilis sit ad omnia, quæratur proinde & nesciatur, quid oporteat facere de Iesu? de putrido cadavere, de mortuo cane, de re nanci dicere solemus quid faciam de hac re: sed agite Iudæi, respondete Pilato, quid debet facere cum Iesu? alii clamarunt, *tolle, tolle*, indignus est, qui sit in rerum natura. Alii; *ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Alii: *suspendatur ad collum ejus mola asinaria* Matt. 18. v. 16.

v.16.&c. Alii, *ligatis manibus & pedibus &c.* Matt.22.v.13. Alii *dirumpatur terra sub pedibus ejus, & aperiens os suum devoret eum, & descendat vivus in infernum*, Num.16.v.32. Major pars, *crucifigatur.* At ecce Pilatus instat: *quid mali fecit? nullam causam mortis invenio in eo*; tum veluti latrantes canes, rugientes leones, ululantes lupi clamarunt, & vocibus magnis, ex omni parte, inferius, superius, ad dextram, ad sinistram institerunt postulantes, *ut crucifigeretur*, tanta furia, ut nemo fuerit, qui si potuisset, Christum non lacerasset unguibus, non dilacerasset dentibus, non conculcasset pedibus; hoc Judæi voluerunt fieri cum Christo.

Et vos impii & peccatores, respondete quid vultis facere de Jesu? audio impium tuum responsum avare: tribus obolis cum Juda volo eum vendere: audio tuum responsum detractor; volo expuere in faciem ejus. Scio quid cum Jesu facias, tu iracunde; colaphis eum cædam ais; scio quid faciatis vos politici; velabimus dicunt, faciem ejus. Et vos impudici quid facietis: flagellabimus; quid vos superbi? plectemus coronas de spinis: Et vos ambitiosi? ponemus in dextera arundinem. Vos ebriosi? felle & aceto potabimus. Vos invidi? clavis eum affigemus. Vos blasphemi? linguis crucifigemus. Verbo quid impie ages cum Christo tuo? per quodcunque peccatum mortale rursum crucifigam. §.17. *Apostrophe ad impios, quid velint facere cum Iesu.*

Punctum III.

De illusione coram Herode.

Ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem Lucæ 23. 7.

SEquitur in mea materia, ut vobis explicem, quare vel quomodo Christus Dominus raptus fuerit ad quintum Judicem, scilicet ab Anna, à Caipha, à magno Concilio Judæorum, à Pilato ad impium Herodem. Offendere Judæos, liberando §.18. *Pilatus mittit Christum ad Herodem.*

sententia mortis, quæ præcedente vespera in illum prolata fuerat, omnium suffragiis statutum est, tradendum eum Pilato Romanorum præsidi, accusandum veluti seductorem populi, reum læsæ Cæsar. Majestatis, ob regni judaici ambitum, & tanquam blasphemum, quod se Filium Dei appellaret; proinde meritum, ut crucifigatur. Antequam magno tumultu, inconditis clamoribus, illum ex domo Caiphæ per plateas ad palatium Pilati raptarent, manus & brachia, de novo arctius ligarunt, & collo immanem catenam, veluti perduelli, & mortis infamis reo injecerunt-- *& surgens omnis multitudo eorum; Summi Sacerdotes cum senioribus & scribis & universo concilio adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.*

§. 3. *Quod videns Iudas agnovit magnitudinem sui sceleris.*

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens peccavi &c. antequam aliquid dicam de Juda, merito dicere possum ex ps. 65. v. 5. *Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.* Nocte S. Petrus liquefit ad lacrymas, de die Judas induratur' vere in utroque terribilis Dominus in consiliis suis, magna emphasis latet in illis particulis, *tunc videns*, id est, cum Judas peccavit, cum fuit in ardore avaritiæ, non vidit, non agnovit, quid esset vendere Christum, nihil vidit; fuit perfidus in Magistrum, non vidit, fuit Simoniacus; non vidit &c. Peracta proditione, cum vidit, Christum tradi Pilato, tunc Dæmon illi oculos aperuit, & simul ac semel immanem cumulum tot peccatorum objecit, & abyssum malorum in quem se præcipitarat; tum diabolus admovit stimulos & faces inquietæ conscientiæ; tum terruit monstris; tum ad desperationem adegit, clamando: *quid fecisti?* vox innocentis sanguinis contra te clamat; tu Deum vendidisti pro triginta argenteis; & quæ spes veniæ esse potest? quo fugies? peccatum tuum grande est, mitte te deorsum & morere! hæc & talia Dæmon; hæc sæva conscientia; hæc ipse sibi Judas &c.

§. 4. *Apostrophe ad impios, ut intueantur.*

O impii! hanc Tragœdiam vobiscum ludit Diabolus; cum ad peccatum instigat; cum voluptas invitat, cum libido provocat; Nihil videtis! in publicis plateis audetis peccare; scitis

quo

quo ſcandalo? Nimirum diabolus tegit fœditatem peccati, ne ejus enormitas appareat; nihil occurrit, quod terreat oculos, nihil quod aures offendat; omnia ſunt amœna, omnia jucunda. At vero in articulo mortis, tum ex inferis irruunt furiæ, tunc vident impii; tum lectum circumſtant ferales umbræ, & larvæ cum facibus, flagellis, armatæ ſpinis; tunc vident, tunc conſcientia latrat, tum rodit vermis & vultur &c. hinc ille impiorum pavor, terror, tremor &c. Ita fit, cum laqueos deſperationis injicit Cacodæmon. Ita diabolus excæcat, ut pecces, oculos apperit, ut deſperes!

tur hoc ſpeculum.

Judam eo Satan adegit, ut abiens laqueo ſe ſuſpenderit. O triſtem abitum, à luce ad tenebras, à gaudio ad luctum, à ſolatio ad mœrorem, à tempore ad æternitatem, à mundo ad inferos, ab hominibus, ad Dæmones, à Chriſto ad luciferum, à ſummo bono, ad ſummum malum; plenus timidiſſimis cogitationibus. Antequam laqueum collo injecit, forte aſpexit cœlum, ſed viſum illi fuit tonare, fulgurare, fulminare, igne pluere. Fortè deſpexit in terram, ſed videbatur ſub pedibus dehiſcere & aperiri. Forte inſpexit conſcientiam, ſeu ſimul mille ſcelerum furias, ibidem latentes animadvertit. Forte circumtulit oculos per aëra, ſed videbatur plenus Dæmonibus. Forte reſpexit Chriſtum, ſed ille videbatur ſeveriſſimus judex, acerrimus vindex, ita nullibi ſolatium! Scelus perpetratum, viſum fuit inexpiabile. Credebat impoſſibile, impetrare veniam; & tamen ſic vivere, etiam durum fuit viſum. Ergo domi quærit laqueum, eo invento egreditur foras in campum, forte in via murmuravit, ex Job. c.3. v.3. ***Pereat dies in qua natus ſum & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis.*** Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine, noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. Hæc inter murmura filius perditionis aſcendit arborem, laqueum collo inſerit, ſuiipſius carnifex, infamis Judas. Quis hæc videns non interroget cum Iſ.c.66.v.8. ***quis audivit unquam tale, quis vidit huic ſimile?*** O Angeli; O homines, O inferi; Clamate cum S.Paulo ad Romanos.11.33. ***O altitudo***

§.5. Judas deſperans, ſe laqueo ſuſpendit.

titudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus &c. Cavete impii! talis vobis mors paratur qualis fuit vita: sic impleta sunt verba & minæ Christi Matthæi 26.v.25. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

§.6. *Affectus timoris.* O bone Jesu! Estne aliquis in hoc cœtu, de quo, in tuo & Patris arcano concilio dictum est ab æterno, *bonum erat ei* &c. qui æternum planget; *Pereat dies &c.* O Jesu! timore & tremore concutis omnia ossa mea, dum tonas fulminatrice illa sententia; *Nescit homo utrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*, dicit Ecclesiast.9.v.1. hoc est, *Nescit homo, utrum bonum ei sit, quod natus sit vel non.* Iterum, Christe, tua voce, tanquam rugitu leonis mihi terrorem incutis; *multi sunt vocati, pauci electi* Matt.20.v.16. Vocatus fuit Judas, at non electus: & ego vocatus sum, sed an electus sim nescio, & non paveam? non totis artubus contremiscam? egone adhuc Deum meum offendam? Judas semel te vendidit, ego, peccando, heu quoties! sic est mi Jesu, non tamen desperabo, sed cum Petro in antrum me abdam, in illo plorabo, in illo gemam, in illo exclamabo: *peccavi tradens sanguinem justum*, sed hic sanguis super me & super animam meam, ut clamet, non justitiam sed misericordiam &c. Nunc ad textum.

Punctum II.

Sistitur, & accusatur coram Pilato.

Vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato Marc. 15. v. 1.

§.7. *Sistitur Pilato.* QUamprimum Christus Dominus summo mane Parasceves coram magno concilio rursum professus fuit, se esse Christum Filium Dei, unanimi voce conclamarunt; *reus est mortis*. Tertium hoc fit consilium, pejus prioribus. In primo non omnes consensere: in secundo dubitatum est; in tertio, in unam mortis sententiam conspirant omnes. Sic eunt per gradus

dus ſcelera. Et confeſtim ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus & ſcribis & univerſo concilio ſurgentes cucurrerunt ad prætorium Pilati. In medio, inter lictores, milites & nequiſſimos famulos Judæorum ductus fuit Chriſtus Salvator, ligatis manibus & brachiis, collo injecta ingenti catena, in ſignum à Senatu Eccleſiaſtico eſſe judicatum reum mortis; tradi proinde ſæculari poteſtati: facile cogitare poſſumus, quis populi in tanta urbe fuerit concurſus. Miratus fuit præſes die à Judæis tam ſancto coram ſe ſiſti reum, & quia prætorium ingredi noluerunt, exivit ipſe, *tunc cœperunt illum accuſare in multis*, id eſt, *exacuerunt ut gladium linguas ſuas* pſ.63.v.4. impletus fuit.v.14.pſ.21. *aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens* & v.1. Pſ.48. *Os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt adverſum me lingua doloſa & ſermonibus odii circumdederunt me.* Audite quæ dixerint venenatæ linguæ.

Primus, accuſationem ſic orſus eſt. *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram.* Jeſus autem nihil reſpondit: alius pro innocente dicere potuiſſet, quod Daniel dixit pro Suſanna ad ſeniorem: *Recte mentiris in caput tuum.* Dan.13.v.55. vel ex pſ.9.v.7. *maledictione os tuum plenum eſt, & amaritudine & dolo*; hic enim eſt, qui non perfidam veſtram gentem, ſed veſtros hoſtes, Pharaonem ſubmerſit in mari rubro. Exod.14.v.28. Hic eſt, qui vos duxit per deſertum, qui interdiu vobis in columna de nubibus, noctu autem, in columna ignea præluxit Exod.13. v.21. hic eſt qui non coturnicibus ſolum, ſed & manna, pane illo cœleſti, vos pavit; hic eſt, qui in tot præliis Patribus veſtris atque majoribus, in brachio fortitudinis ſuæ adſtitit, qui tot illis victorias adverſum omnifarios hoſtes conceſſit. Dicite nunc; hoccine eſt ſeditionem movere in populo? hoccine eſt, O ſcelerati, veſtram gentem pervertere? Sed Chriſtus Dominus nihil reſpondit; alter itaque accuſator erupit; *hunc invenimus prohibentem tributa dari Cæſari.* Rurſum Chriſtus ſiluit, ſed ſi Daniel aliquis, ſi quis exſurrexiſſet advocatus, veritatis amans, dicere potuiſſet pro Chriſto, recte; *& tu mentiris in caput tuum*, nam Matthæi 22.v.21. diſertis verbis dixit. *Reddite quæ Cæſaris Cæſari.*

§. 8. *Coram illo accuſatur.*

Tertii accusatoris vox fuit; *invenimus hunc dicentem se Christum Regem esse*, addidit alius, *Filium Dei*, vociferati sunt ista, clamore incondito, spe pleni fore, ut statim à Pilato fatalis sententia proferatur.

§.9. *Pilatus agnovit Christi innocentiam.* Sed noluit præses judicium præcipitare; consideravit potius accusationes, expendit testimonia, examinavit ipsum accusatum, &, in accusationibus reperit invidiam, in testimoniis mendacium, in testibus nequitiam; in solo reo innocentiam, in vultu miram quandam Majestatem. Hinc dispares illæ voces inter synagogam & gentilitatem. Vox gentilis fuit, *quid mali fecit*? vox Judaica fuit, *si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum*. Malefactor! non unum sceleris genus, sed omne complectitur. Et hoc Dei filius! O injuria inaudita! Vox Pilati fuit; *Nihil invenio causæ in hoc homine*. Vox Judæi fuit *commovet populum*. Vox præsidis fuit, *nullam causam mortis invenio in eo, dimittam*. Vox Judæi; *debet mori*!

§.10. *Magna virtus est; inter contumelias silere.* Itaque cum Pilatus videret, audiretque omnium clamorem contra Christum, concurrere, & neminem unum esse qui vel verbulum pro illo diceret, dixit illi Pilatus; Matth. 27. v. 13. *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia*? *Iesus non respondit ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.* Hoc Dei mei silentium magni est mysterii argumentum. Enimverò injuriis lacessi & non animo commoveri; affici contumeliis, & non bile pariter suffundi, falsas audire accusationes, & non in sui defensionem erumpere, percipere tot maledicta; & adhuc conticescere cum Christo; hanc ego sane virtutem duco longè nobilissimam, hoc opus maximè heroicum, ac præ cæteris illustre censeo. Hanc itaque virtutem, hanc suiipsiusmet victoriam docere nos modò voluit suo illo silentio amantissimus Præceptor noster Jesus; gravissima innocentiæ defensio, est silentium, cum vita loquitur, & perorat. Jam verò propter nimios clamores Judæorum, & vociferantium tumultus

§.11. *In prætorio Pilatus alias Chri* Pilatus Jesum solum in prætorium duxit; ubi sine arbitris, de binis rebus magni momenti illum interrogavit. Primò. *Tu es Rex Iudæorum*? Respondet Jesus, *regnum meum non est de hoc mundo*

mundo. Væ huio mundo, si Christus non est illius Rex. *Væ Regno, cujus Rex non est Rex regum*; Vale munde, valete divitiæ, si in vobis non est regnum Christi; non cupio vos. Et quomodo Christus Dominus filius Dei posset esse Rex hujus mundi; cujus si spectes locum non est nisi punctum, quid angustius? si tempus; non est nisi momentum; quid contractius? si incolas; est divisum. Si regem, est Tyrannus; si finem; ignis & combustio! Ideo regnum Christi est regnum immortalitatis, non vanitatis: regnum est, omnium temporum injuria superius, non quod interitum spectat, ut jam spectarunt Persarum Monarchia, Assyriorum dominatus, fastus Macedonum. Regnum est, cujus fundamentum ipsa construxit divinitas, non quod humana jecit mortalitas, regnum est, non quod terrestris nititur fulcro potentiæ, sed quod majestate constat cælesti, hoc est, verè augusta; verè solida, vere inconcussa! Altera quæstio Pilati hæc fuit, *Quid fecisti*? O Pilate paucis huic quæstioni responderi non potest; per hunc facta sunt omnia; vide cuncta quæ fecit, & invenies valde bona. audi quid fecerit? In principio creavit cœlum & terram, formavit hominem de limo terræ, creavit illum cœli oculum longè venustissimum solem, lunam præfecit nocti, cœlum condecoravit stellis, terram vestivit floribus, ditavit fructibus, distinxit fluminibus, fœcundavit plantis, exornavit arboribus, animalibus replevit. Et tu adhuc ex Jesu meo interrogas Pilate, *quid fecisti*? flecte quocunque lubet oculorum aciem, cœlum suspice, montes considera, intuere terram, hortos, urbes, oppida, agros, specta volantes per aëra volucres, natantes in undis pisces, repentes in terra serpentes, latentes in sylvis feras, ambulantes in urbibus homines; hæc universa sunt opera manuum ejus; hic hic Jesus omnium est author, opifex, artifex. Et tu quæris, quid fecisti? merito nil tibi respondet Salvator meus, qui [illegible]entio sustinet hoc examen. Arbitror tamen ego cuivis ex nobis permissum esse, Christo hanc quæstionem proponere in meditatione passionis; jure optimo & ego quærere possum: Mi Jesu, *quid fecisti*, quod me ex abysso nihili mei in hanc mundi lucem eduxisti? *quid fecisti*, quod me

sto D. proposuit quæstiones.

anima tam nobili, anima inquam rationali ditaſti? *quid feciſti,* quod me non claudum, non orbatum oculis, non gibboſum, non mutilum, ut ſunt innumeri alii, creaſti? *quid feciſti,* quod me ab incunabulis hucuſque tam clementer toleraſti, conſervaſti, honoraſti? *quid feciſti;* quod me à tot corporis, animæque periculis tam ſollicitè cuſtodiſti? O Jeſu *quid feciſti?* Reſpondet *amavi.* Ita eſt, mi Jeſu, hoc feciſti, amaſti me!

§. 12. *Una ex præcipuis, nobis quoque proponetur.*

Sed advertite à Pilato Chriſto hanc quæſtionem fuiſſe propoſitam, & nobis aliquando proponendam; cum in judicio ſupremo judex quæret; dic impie; *quid feciſti,* quod me tam vili pretio, tam levi voluptatula vendidiſti? *quid feciſti* tu ô ſuperbe, quod honori tuo amplificando majorem dediſti operam, quam meo? audi quid feceris, fumum quæſiviſti. *Quid feciſti* tu Veneris Troſſule, quod ut placeres mulierculæ, tot impenderis horas, tot dies, tot annos? audi quid feceris: collegiſti vermes qui tuam rodant conſcientiam. Quid vos denique feciſtis peccatores, quicunque derelicto creatore, ad creaturas vos inconſultè convertiſtis? audite quid feceritis, animas veſtras in ſummum damnationis æternæ diſcrimen conjeciſtis. Ita jure merito verbis Pilati ad nos retortis uti poteſt Jeſus noſter.--- Sed regredior ad propoſitum.

§. 13. *Quæſivit Pilatus modum liberandi Chriſtum D. Itaque proponit illis electionum inter Chriſtum & Barrabam.*

Quia Pilatus clarè advertit Chriſtum per invidiam ſibi traditum, conatus fuit Chriſtum liberare; ſic tamen ut ipſe non excideret ſua dignitate, & Judæorum animos non nimium offenderet. Et ſperavit, ſe hac ratione, hoc obtenturum. Per diem ſolennem conſueverat præſes dimittere populo unum vinctum, quem voluiſſent. *Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus; quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Ieſum?* Matthæi 27. 17. hic neceſſario ponderare debemus, inter quos & quales offeratur electio, inter impietatem & ſanctitatem: ſcelus & innocentiam, peccatorem, & Deum. Barabbam ſic depinxerunt Evangeliſtæ.

§. 14. *Qualis & quanta in.*

Teſte Marco, in ſeditione fecerat homicidium. Teſte Joanne; erat latro, teſte ſancto Matthæo, inſignis latro: fuit ergo homo

homo barbarus, sævus, crudelis; omnes ejus nomen abominabantur; ideò conjectus fuit in vincula, reus mortis. Hunc nebulonem è carcere eduxit Pilatus, & in omnium conspectum produxit, nullus dubitans quin dimisso Jesu eum ad necem postularent. Christus verò, melior est cunctis preciosissimis; cui omne desiderabile non potest comparari. Proverb. 8. 11. si quid in mundo est preciosum, ideo est, quia Jesus illud condidit. Si quid est pulchrum, ideo est, quia filius Mariæ id ornavit; si quid amabile, dulce, suave, ex eo solum fonte dimanat. Cur tam pulchrum est cœlum? quia Jesus illic regnat in gloria; cur terra adeo speciosa? quia est scabellum pedum Christi; satisne capitis quis, qualis, quantus sit Jesus! plura accipite. Congregate omnes homines quotquot à prima mundi origine nati fuere stemmate aut majestate illustres, congregate omnes ab orbe condito principes, Reges, Cæsares; apponite illorum nobilitatem, potentiam, opulentiam, thesauros, vires, gloriam, honorem; adde mundi regna, insulas, urbes: adde omnia ornamenta quibus eas ornavit natura & gratia. Sapientiam Salomonis, robur Samsonis, victorias, triumphos Davidis, pulchritudinem Absalonis, scientiam Aristotelis, eloquentiam Tullii: Ponite omnes angelos, omnes creaturas, quas Dei potentia in cœlo & in terra produxit: Deus bone! qualis cumulus creaturarum! Et quid sunt si comparentur cum Jesu? Respondet Isaias c. 40. 17. *quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Angeli, Archangeli sunt administratorii Spiritus; & talem esse, scimus ex figuris, prophetiis &c. Quem jam vultis, O impii Judæi? rem miram! ô odium! indignati, Jesum etiam cum Barabba conferri, tanquam rabidi præ invidia canes, exclamant, *tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.*

ter utrumque differentia.

O detestandam electionem! cum homine Deus; cum vermiculo omnium rerum Dominus; cum latrone Rex, cum reo innocentia, cum seditioso charitas, cum impio pietas, cum perduelli, obedientia componitur! O dedecus! O opprobrium! & postponitur. Acerbo laconismo Judæos pupugit Divus Chrysostomus. *Latrones petierunt latronem, Dominum autem crucifixerunt.*

§. 15. *Barrabas præponitur Iesu, electione detestanda, quam committis, quisquis*

mortaliter peccat. *runt.* Divus Anselmus. *O iniquum judicium! bonus despicitur, & malus præponitur, justus punitur, & peccator liberatur: agnus occiditur, & lupus acceptatur. vita deseritur & mors reservatur.* Jeremiæ res hæc visa fuit tam indigna ut dixerit c.2.v.12. *obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas*; quis non stupeat; quis non irascatur? sed convertamus in nos hanc iram & indignationem. Aurum Deo præponere; est Barabbam præponere Jesu. præferre æternis bonis peritura, spurcam, fluxam, vilem voluptatem magis æstimare, quàm amicitiam Dei; est, Barabbam præponere Jesu, sic imitamur Judæos; verbo, peccatum mortale committere, est Jesum postponere Barabbæ; quisquis mavult Deum offendere, quàm hominem, hic præponit Barabbam Jesu: par est iniquitas, eadem injuria, æquale flagitium; Judæi præponentis Christo Barabbam, & Christiani præponentis creatori creaturam; quisquis mortaliter peccat, à Deo se convertit ad creaturam, id est, à potentia ad fragilitatem, à fortitudine ad infirmitatem, à scientia ad ignorantiam, à sapientia ad stultitiam, à gloria ad ignominiam, à majestate ad vilitatem, à bonitate ad malitiam, à justitia ad iniquitatem, à misericordia ad miserias, à pane ad famem, à fonte ad sitim, ab opulentia ad egestatem, à toto ad nihilum, à summo bono ad summum malum. hoc est Jesum postponere Barabbæ, & hoc fit in quovis peccato mortali. Bene habet; satisfecit Pilatus Judæis, dimisit illis Barabbam; nec dum tamen innocentem voluit condemnare. Itaque ulterius ex Judæis quæsivit; *Quid igitur faciam de Iesu?*

§. 16. *Quærit Pilatus, quid debeat facere cum Iesu,*

O peregrinam quæstionem! adeone res vilis & abjecta est Jesus, ut quasi inutilis sit ad omnia, quæratur proinde & nesciatur, quid oporteat facere de Iesu? de putrido cadavere, de mortuo cane, de re nanci dicere solemus quid faciam de hac re? sed agite Iudæi, respondete Pilato, quid debet facere cum Iesu? alii clamarunt, *tolle, tolle*, indignus est, qui sit in rerum natura. Alii; *ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Alii: *suspendatur ad collum ejus mola asinaria* Matt. 18. v. 16.

v.16.&c. Alii, *ligatis manibus & pedibus &c.* Matt.22.v.13. Alii *dirumpatur terra sub pedibus ejus, & aperiens os suum devoret eum, & descendat vivus in infernum.* Num.16.v.32. Major pars, *crucifigatur.* At ecce Pilatus instat: *quid mali fecit? nullam causam mortis invenio in eo:* tum veluti latrantes canes, rugientes leones, ululantes lupi clamarunt, & vocibus magnis, ex omni parte, inferius, superius, ad dextram, ad sinistram institerunt postulantes, *ut crucifigeretur,* tanta furia, ut nemo fuerit, qui si potuisset, Christum non lacerasset unguibus, non dilacerasset dentibus, non conculcasset pedibus; hoc Judæi voluerunt fieri cum Christo.

Et vos impii & peccatores, respondete quid vultis facere de Jesu? audio impium tuum responsum avare! tribus obolis cum Juda volo eum vendere: audio tuum responsum detractor; volo expuere in faciem ejus. Scio quid cum Jesu facias, tu iracunde; colaphis eum cædam ais; scio quid faciatis vos politici; velabimus dicunt, faciem ejus. Et vos impudici quid facietis: flagellabimus; quid vos superbi? plectemus coronas de spinis: Et vos ambitiosi? ponemus in dextera arundinem. Vos ebriosi? felle & aceto potabimus. Vos invidi? clavis eum affigemus. Vos blasphemi? linguis crucifigemus. Verbo quid impie ages cum Christo tuo? per quodcunque peccatum mortale rursum crucifigam. §.17. *Apostrophe ad impios, quid velint facere cum Iesu.*

Punctum III.

De illusione coram Herode.

Ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem Lucæ 23. 7.

SEquitur in mea materia, ut vobis explicem, quare vel quomodo Christus Dominus raptus fuerit ad quintum Judicem, scilicet ab Anna, à Caipha, à magno Concilio Judæorum, à Pilato ad impium Herodem. Offendere Judæos, liberando Chri- §.18. *Pilatus mittit Christum ad Herodem.*

Christum, Pilato fuit visum durum, & periculosum: sed tamen, innocentem etiam condemnare non voluit. Quia ergo electio inter Jesum & Barabbam ad votum non successerat, hoc medium excogitavit, à sanguinario in innocentem judicio, sese expediendi; inter accusationes audiverat, quod Galilæus esset, est ideo potestati Herodis qui in Galilæa Rex erat, subjectus; cum itaque tempore Paschali esset Jerosolymis, statuit Christum Dominum mittere ad Herodem. Neque displicuit hoc Judæis, spes enim magna illis affulgebat, crucifigendi Christi. Extorsuros se facilius sperabant omnes, ab Herode notæ crudelitatis homine, Christi necem, quam à Pilato, cujus menti videbant inhærere hunc scrupulum, Christum esse innocentem. Herodes hic, fuit interfector sancti Joannis Baptistæ, filius Herodis infanticidæ. Nec hoc factum est sine ordine divinæ providentiæ, ut tot essent Judices profani, quot sacri innocentiæ ejus testes. Sacri duo, Annas & Caiphas, profani duo, Pilatus & Herodes, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. Ut ubique pateat Christi innocentia. Magno itaque tumultu rapitur ad Herodem, Deus immortalis! quam variè Christus intra horas octodecim exagitatur! extrahitur ex horto, raptatur ad Annam, protruditur ad Caipham, detruditur in nocturnum carcerem, agitatur, traditur, percutitur, vexatur, quinque horarum spatio; trahitur mane ad concilium, inde ad Pilatum, hinc ad Herodem, ab Herode rursum ad Pilatum; imponitur crux, illam bajulat, cadit, surgit &c. tandem crucifigitur. Et hæc omnia toleravit, ut Agnus; cum solo nutu omnes suos carnifices momento potuisset una in infernum præcipitare. Sanctus Petrus Chrysol. serm. 170. *Vadit, redit, descendit, ascendit, propter te, Homo, Deus* (hæc patitur) *quia te nimis diligit, nimis amat.*

§. 19. De quo Herodes valde fuit gavisus; Digressio, in cœlis & in terris

Quid actum sit coram Herode, paucis, sed eleganter describit Textus. *Herodes autem viso Iesu gavisus est valde.* Non miror illum gavisum fuisse, quis non gaudeat, qui Jesum videt. Ipse (qui vinctus stat coram Herode) est *gaudium universæ terræ.* Thren. 2. v. 15. Ipsum cum lateret in utero, Joannes in utero vix

vix advertit, *& exultavit in gaudio infans in utero matris*; Luc.1. v.41. Ipſe cum natus fuit, Angeli de cœlo deſcenderunt, & annuntiarunt gaudium univerſo mundo. Tres magi viſo *illo gavisi ſunt gaudio magno valde.* Quiſquis hodie videt Jeſum (videmus per fidem, ſpem & charitatem) gaudeat! Si in cœlo gaudium eſt Patriarchis, (ita diſcurrere poteris per omnes choros Sanctorum) gaudium, ſuper omne gaudium eſt *videre Ieſum.* Ut ſpongia in aqua, plena eſt aqua; ſic anima beati plena eſt gaudio, magnitudine immenſa, tempore infinito, ſed à Jeſu. Et ob hunc finem nos omnes creati ſumus, ut aliquando gaudeamus viſo Jeſu. Quod expectamus, eſt, videre aliquando faciem Jeſu. Itaque mirum non eſt, quod Herodes fuerit gaviſus illo viſo; mihi mirabilium, hodie mirabiliſſimum eſt gaudere homines in divitiis, non in Jeſu; in honoribus, non in Ieſu. Hoc adhuc magis eſt admirabile, Herodes, homo impius, adulter, ſanguinarius &c. gaviſus eſt viſo Ieſu, nos, quare non gaudemus? ſed quomodo ego me hoc triſti tempore in ipſum gaudiorum mare demergo? Revertor ad triſtia.

ſummum gaudium eſſe videre Ieſum.

§. 20. *Multa ex illo interrogavit Herodes. Sed Christus Dō. iterum ſiluit.*

Sanctus Lucas ait c.21.v.7. *Interrogabat eum multis ſermonibus*, id eſt, urſit illum, ut loqueretur; hortatus fuit, ſupplicavit, blanditus fuit, minatus fuit, egit promiſſis &c. Cauſam innuit textus, *ſperabat ſe ſigna viſurum.* v.g. audiverat, ſuſcitaſſe Lazarum, à mortuis. Tale aliquid libenter corã vidiſſet Herodes; (eſt locus pro pulcra ind.) Et quid Jeſus ad tot verba, tot quæſtiones, tot interrogationes, tot obteſtationes, tot minas, tot promiſſa? *At ipſe nihil ei reſpondebat.* grande rurſum myſterium; ubi Verbum æternum rurſum tacet. Inter viles piſcatores, cum ſtiparetur à populo, à cœcis, claudis &c. *tunc hic aperuit os ſuum, & eructavit abſcondita à conſtitutione mundi* Matthæi 13.v.35. tunc fuit *potens in verbo.* Lucæ.24.v.19. tunc docuit, tunc clamavit; In palatio, coram Rege, in conſpectu tot procerum, tacuit. In aula ſiluit, præcipuè in aula Herodis, in qua paulo ante ſanctus Joannes Baptiſta perdiderat caput ſuum. Interrogatus fuit ab Herode, accuſatus à Judæis, repetitæ omnes querelæ: *ſtabant principes Sacerdotum, & ſcribæ conſtanter*

accusantes eum. Sed Agnus ille, patientia & silentio se involvens tacuit. Defensio Christi, fuit constans silentium. Miraculum petitur; editur; non cognoscitur. Inter calumnias & criminationes tacet Jesus! S. Ambr. ser. 17. in ps. 118. *Calumniis appetitus, silentium detulit triumphale.* Expuerunt rursum venenatæ viperæ omne fel, quod erat sub linguâ earum, sed Christus silet! Sanctus Ambrosius libro 10. in Lucam. *Quid enim eum compelleret ad loquendum, cum silentium suffecerit ad vincendum.* O quam aliter agimus nos cum illis qui nobis maledicunt; est lingua adversarii gladius acutus? & nostra talis est; (hoc modo fac pulchram inductionem.) Inter nos, pauci exemplo Christi silent, dum dictis hostium vexantur.

§. 21. *Itaque ab Herode & ejus aula fuit illusus.* Quia Christus Dominus constanter Herodi nihil voluit respondere, *sprevit illum cum exercitu suo:* in signum eximii contemptus, quod haberet pro fatuo, illusit, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum: hoc signo, veluti acceptâ à Rege licentia, milites atque lictores, effuderunt in Christum scommata, dicteria, contumelias, opprobria. Nuncupatur Christus, fanaticus, amens, stultus, bardus; truserunt illum impii, traxerunt, dejecerunt in terram, hic manibus, ille pedibus, dederunt colaphos, in faciem; tandem, magno tumultu in hac veste, per compita Jerosolymæ, reduxerunt ad Pilatum. Qualis concursus populi ad hoc spectaculum? qualis risus? qualis plausus? audaces aliqui impetierunt illum sordibus; O Angeli, Regis æterni milites, magni Dei famuli, hæc inulti cernitis? hæc de cœlo spectatis? nempe Regem gloriæ, quem adoratis, ita tractari in terris, ab impiis, à vilissimis terræ filiis? à mancipiis diaboli? & tacetis? O Pater, en illusum filium tuum! jam tempus est, ut apertis cœlorum cataractis novum inducas cataclismum absorbendo huic sceleri &c. & deleas omnem substantiam viventem Jerosolymæ! O justitia! jam tempus est ut pluas igneam pluviam &c. sed quid ego rursum Herodi & Herodianis irascor? Parcite auditores, si hic stringam gladium spiritus, quod est verbum Dei: sunt inter vos, qui Christum spernunt! in templis, ante aram, in qua Rex gloriæ sub candido latet amictu; ridere,

dere, nugari, fabulari de rebus terrenis, subinde etiam de lascivis; an non hoc est spernere Christum? Christo in Venerabili præsenti debetur omnis honor, in nomine ipsius flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, infernorum. Tu stas veluti truncus, aut annosâ è quercu stipes, nunquid hoc est spernere, illudere, deridere Jesum tuum?

O mi Salvator! audi meum in hac tua illusione sensum. In hac veste contemptus es sed agnosco te verum Deum; scio te esse sapientiam Patris, splendorem ejus claritatis, speculum ejus pulchritudinis; agnosco te verum, vivum characterem ejus substantiæ, & aliud facere non possum, quam te mirari, substernere me pedibus tuis; laudare, adorare, te sine fine & incomprehensam magnitudinem tuam, ingeminando millies; *Tu es Deus, & non est alius præter te.* Judith. 9. 19. Sed non possum solus honorem Christo ablatum restituere, itaque vos ô Cœli, O terræ, O inferi! O reges &c. concurrite mecum, vestras meæ voci conjungite; O omnes creaturæ, prostratæ ante pedes Christi, maxima cum animi submissione pronunciate, Jesu Christo regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo sit honor & gloria, & benedictio, & gratiarum actio, in sæcula sæculorum Amen.

Punctum IV.

De Flagellatione.

QUandoquidem Herodes Christum Dominum ad Pilatum remisit, inter alia media quæ excogitavit ut Judæis satisfaceret, atque ita Jesum à morte liberaret, ex timore, ne esset filius alicujus Dei, fuit crudelissimum, ignominiosissimumque flagellationis tormentum, de quo S. Textus ait: *Apprehendit ergo Pilatus Iesum & Flagellavit* Joannis 19. v. 1. Breve verbum, *flagellavit*! sed quod multa nobis consideranda proponit. Illum qui flagellatur, illos, qui flagellarunt, modum & crudelia instrumenta, quibus flagellarunt, multitudinem, latitudinem

§. 23. Pilatus tradit Christum D. ut flagelletur.

& profunditatem Vulnerum, quibus totum corpus ejus fuit dilaceratum; inter actus nobilissimarum virtutum, amoris erga Deum & humanum genus, humilitatis & patientiæ, obedientiæ, denique copiam sanguinis, quem in flagellatione profudit; omnia hæc mysteria comprehendit unica illa vocula vel verbum *flagellavit*, id est Pilatus Christum D. à Judæis accusatum, tradidit militibus & lictoribus flagellandum. Fuit hoc supplicium, præcipuè apud Romanos prorsus infame & plenum ignominia, quo solum afficiebantur mancipia, scurræ, fures, latrones; condemnati ad mortem crucis, ut vulneribus & sanguine cruenti, spectantibus vel terrorem incuterent, vel ad commiserationem aliquam facilius commoverent. Hodierna verò die mutatur scena: hominum omnium nobilissimus, Rex Regum & Dominus Dominantium, Filius Dei & Mariæ, Messias & Salvator humani generis, à scurris, à projectissimis hominibus, à lictoribus fuit flagellatus. Civem Romanum virgis cædi, inexpiabile apud Romanos erat crimen, quale putatis fuisse crimen, quale facinus, quantam injuriam & ignominiam, Regem & hominum Deum ab hominibus fuisse flagris dirissimè cæsum. Act. 22. 25. cum centurio jussisset S. Paulum cædi, hic dixit, *si hominem Romanum licet vobis flagellare*? & tribunus timuit, postquam rescivit, quod civis Romanus esset, & quod alligasset eum. Et vos, ô scelerati lictores hunc hominem alligatis columnæ? Rex Regum est, Filius Dei est, si illum licet vobis sic tractare? Hunc hominem spoliatis vestibus? Filius Dei est. Hunc hominem cæditis virgis? tacet ipse & os non aperit instar mitissimi agni, sed est Filius Dei. Hujus hominis corpus ita vulneratis & laceratis? est Rex majestatis. Timete quod alligaveritis, timete quod denudaveritis, timete quod flagella ac virgas in illum expedieritis. &c. Exod. 5. v. 16. Hebræi dixerunt Pharaoni, *en famuli tui flagellis cædimur, & injuste agitur contra populum tuum*: hodie dicamus nos, O mortales! O angeli! cur Filius Dei flagellis cæditur? cur adeo barbarè in Virgineum illius corpus sævitis?

Mo-

Modum flagellationis ego ex sacris literis, SS. PP. & piis libellis sic soleo meditari: In aula, coram columna aliqua petulantissimi quidam ministri, coram cohorte militum, & plurimorum qui accurrerant ad spectaculum, omnibus illum vestibus spoliarunt: horrent quidem castæ aures, refugiunt oculi talia spectare, sed probabilissima est sententia, Salvatorem nostrum toto corpore nudum fuisse alligatum columnæ: sic impleta fuit figura Noë, qui vino inebriatus, in tabernaculo suo denudatus, à proprio filio fuit irrisus: sic adimpletæ sunt prophetiæ Davidis, ex ps.21.v.13. *Circumdederunt me canes multi-- consideraverunt & conspexerunt me.* Ps.43.v.16. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ operuit me.* nam S. Brigittæ dixit B.V. de filio suo lib.1. revel. c.10. Alligatus autem ad columnam nihil operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stetit; & patiebatur erubescentiam suæ nudidatis; sensit quidem benignissimus Salvator Virgas & flagra, sed multò magis flagella oculorum, quibus infames scurræ illum flagellarunt. *Stabat illic speciosissimus,* (Taulerus,) *& elegantissimus mortalium omnium, virgineo affectus pudore in innocentia simplici; O quanta crux erat honestissimo cordi illius, quod tam turpiter nudatus coram vilibus illis scurris assistere cogebatur.* §.24. *De modo flagellationis, & imprimis de denudatione.*

Verum quis in consideratione hujus mysterii non exclamet; O cœlum! O terra! Jesus Dei Filius nudus alligatur columnæ! qui cœlum ornat stellis, qui terram gramine & floribus vestit! O Paradise voluptatis! ubi sunt folia ficuum, quæ texerunt nuditatem primorum parentum? O sidera! an non habetis radios, O horti an non habetis flores, quibus nuditatem creatoris vestri oculis impudentissimorum hominum abscondatis? O tristis & afflictissima Virgo, ubi sunt panniculi, quibus nudum in præsepio quondam involvisti? in monte Thabor illum illum texerunt nubes aureæ, sed ad columnam nulla comparuit, ut de illo dici possit, quod Michol l.2.Reg.c.6.v.20. Davidi objecit: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se, & nudatus est quasi unus de scurris.* Sed dicamus quoque de nobis, quod Theodoretus dixit de Michol, *Nesciebat Michol* §.25. *Prosecutio.*

(cum

(cum Davidem rideret) *divini amoris stimulos, quibus Rex urgebatur, ut omni modo Deum laudaret, & nos nescimus divini amoris* stimulos, qui Christum Dominum eo incitarunt, ut modo hoc ignominiosissimo Divinæ Justitiæ satisfaceret, pro gravissimis peccatis, quibus oculi curiosi & libidinosi, tum in abscondito, tum palam & præsertim in Ecclesiis coram SS. Sacramento Deum gravissimè offendunt. Tanta confusione & ignominia satisfacere pro nobis voluit, tanquam noster fidejussor, juxta illud Proverb. 20. 16. *Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Septuaginta, & *pro extranea oppigneravit se.* O mi Jesu! hoc fecisti ex infinita charitate. Divinæ Justitiæ promisisti, te soluturum ingens debitum nostrum; factus es noster fidejussor, pro nobis te oppignerasti; tu, benignissime Domine, suscepisti peccatum nostrum, ne Justitia perderet peccatores, in te illa sententiam suam retorsit, ut proderet bonitas se amasse peccatores; ut idem proderet misericordia, te nobis dedit fidejussorem; ita satellites, pergite lictores, tollite illi omnia vestimenta, auferte togam, denudate totum Jesum meum. Fidejussor extitit alieni, pro debito se oppigneravit, cui aliter satisfieri non potest, nisi ut antequam crucifigatur, nudus alligetur ad columnam, & flagelletur.

§ 26. *Denudatus fortissimè fuit alligatus columnæ.*

Jam verò postquam magna lictorum inclementia denudatus fuisset, satellites duo ejus brachia fortissimis vinculis alligāt columnæ: alii duo, pedes; alius dorso injecto fune divinū pectus constringit; ex aliquorum etiam opinione, toto corpore, collo, pectore, brachiis, pedibus tam crudeliter alligatus fuit columnæ, ut nullo membri alicujus motu crudeles posset ictus evitare. Vide ut feroces milites alligent Jesu manus tam fortiter, ut lacerata tenerrima pelle, preciosus sanguis de columna defluat, etiam antequam ullum à virgis ictum excipiat. Animæ piæ! egistisne aliquando gratias Salvatori pro hoc sanguine? O benedictæ manus, quid peccastis? O manus potentissimæ; O divinissime Samson! quæ Dalila te prodidit; & quis paravit funes, qui vos tenere possunt ad columnam? O manus liberalissimæ!

mæ! hæccine nostra gratiarum actio, pro thesauris gratiarum, quibus nos benedixistis? O miraculosæ manus! quæ cæcis aperuistis oculos, surdis aures. O manus quæ clauditis infernum & cœlum aperitis; O manus in quibus positæ sunt sortes omnis nostræ felicitatis; O manus quæ libratis fontes aquarum, & tribus digitis universam mundi machinam sustinetis: quis vobis vincula potuit injicere? Laurentius Justinianus id adscribit non tam ferociæ & crudelitati lictorum, quàm amori & charitati, dum ait, *O charitas! quam magnum est vinculum tuum! quo Deus ligari potuit! nullum vinculum Dei Filium ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* O si ego hodie gravissimorum peccatorum dura corda & manus cum Christo ad columnam veræ pœnitentiæ alligare possem: Neque arbitrandum est, Christum Dominum veluti invitum & renitentem fuisse tractum ad columnam; denudatus, ultrò fuit amplexatus columnam, & flexis genibus cum ardentissimo cordis suspirio dixit ex ps. 37. v. 18. *Ego in flagella paratus sum.* S. Brigittæ hæc revelavit B. Virgo l. 1. c. 10. Ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit; personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia alligaverunt, ipse tamen simul columnam spontè amplexus fuit. Advertite animæ piæ, cum subinde Deus vinculis paupertatis, morborum vel cujuscunque afflictionis vos constringit ad columnam patientiæ, ad columnam sponsi vestri flagellati; qua humilitate, qua obedientia, qua conformatione vestræ cum Divina voluntate, manus vestras ultro debeatis offerre, hisce aureis vinculis, ut animo forti cum Christo, & aliquid pro ipso patiamini. His funibus Christo suo colligatus fuit S. Paulus, cum animo imperterrito ausus fuit dicere, *quis nos separabit à charitate Christi?* &c. Rom. 8. vers. 35.

Alligatum columnæ, modo quo dixi, primum duo robustissimi milites flagellarunt funiculis ex loris; quorum ictibus delicatissima Christi caro mox tota rubuit & intumuit, præsertim dorsum, humeri, & lumbi, in quæ membra primum verberum crudelium tempestas deſæviit. Deinde alii duo vel plures, *§. 27. Quibus instrumentis fuerit flagellatus.*

tumentia jam Christi Domini membra, & disposita ad vulnera, ceciderunt bacillis & virgis, quibus ex aliquorum opinione, rami de rubo & spinis fuerunt alligati, qui cutem & carnem Christi undique miserè convulnerarunt. Post innumeros ictus spinearum virgarum, alii crudelissimi milites mitissimum agnum flagellarunt ferreis catenis, ex quibus pendebant retorti hami & ungues, qui immania in corpore Christi fecerunt vulnera. Referunt pii auctores, cæsum quoque fuisse nervis & caudis boum, ad majus tormentum & majorem ignominiam. Subinde omnes simul immani rabie, hi virgis, hi loris, hi catenis, hi aliis instrumentis irruerunt in Christum, & hi brachia, hi humeros, hi dorsum, hi lumbos, hi pedes, qua data porta, crudelissimè flagellant.

§. 28. *De multitudine & gravitate Vulnerum.*

Proinde vulnera in SS. Corpore fuerunt innumera: quod colligimus ex modo loquendi sacræ scripturæ, Jobi c.16. v.15. *Concidit me vulnere super vulnus.* alii legunt: *ita me vulnerarunt ut continuum vulnus sit.* Clarus est versus cap.1. Is. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in me sanitas.* Ps.34. v.15. *Congregata sunt super me flagella.* Symmachus. *Congregati sunt super me percutientes.* Proinde juxta pias revelationes ictuum, quos Christus Dominus in flagellatione excepit, fuerunt quinque millia quadringenti, sexaginta quinque, vel sexaginta sex. S. Bonav. putat fuisse 5000. S. Gertrudis 5400. Alii, 5500. S. Bernardo dicunt fuisse revelatum numerum, 6666. Landulphus & P. Salmeron, centum quinque millia. Cutis autem & caro Christi fuit tenerrima; flagellatores fortissimi, quis numerare proinde potuit numerum vnlnerum? Fuerunt eadem adeo magna, lata, profunda, hiantia & patula, ut in humeris apparuerint ossa humerorum, juxta prophetiam Jobi, cap.33. v.21. *Tabescet caro ejus, & ossa quæ tecta fuerunt, nudabuntur.* S. Brigittæ revelavit B. Virgo, *vidi corpus ejus perforatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur.* De pectore ait S. Hieron. in cap.27. S. Matth. *Traditus est Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, flagella secuerunt:* hoc autem factum est, quia scriptum erat, *multa flagella peccatorum:* illo flagellato nos à flagel-

flagellis & verberibus liberati ſumus. Landſpergius de Paſſione: Caro tenerrima non modo vulnerabatur, ſed diſcerpebatur etiam, lacerabatur, ſulcabatur, ut oſſa quoque nuda apparerent. De Martyribus dixit ſanctus Cyprianus: *Rupta compage viſcerum torquebantur in ſervis Dei, non membra, ſed Vulnera.* Sanctus Laurentius Juſtinianus de triumph. Chriſti agone c. 14. *Ita ut membrorum compages viſibiles fierent.* Omnia, quæ de immanitate Vulnerum Chriſti & flagellatione, dici poſſunt, fundamentum habent in pſ. 128. v. 3. ubi David ait in perſona Chriſti: *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores*; alia lectio habet, *Araverunt ſupra dorſum meum.* Sicut itaque ferrum aratri proſcindit terram, & in ſulcos dividit, ita flagra conſciderunt corpus Chriſti innumeris & graviſſimis Vulneribus, cum hæc conſidero, horreo! timeo! compatior Jeſu meo, execror, deteſtor ſcelera mea, propter quæ ita cæſus fuit. Sola me ſolantur verba Thomæ de Kempis, quibus refert revelatum fuiſſe perſonæ ſanctæ, quod quoties Chriſtus unum ictum verberantis accepit, mox illum Patri pro nobis ex amore obtulit, petens, ut delictis noſtris ignoſceret. Arbitror ego illum hoc idem ex infinito deſiderio noſtræ ſalutis, feciſſe ad quodvis vulnus; ex 5475. ictibus ſpero unum fuiſſe quem ad columnam obtulit cœleſti Patri, pro me & hoc meo auditorio, ut omnibus nobis ejus flagellatio ad animarum ſalutem conducat.

Binæ adhuc circumſtantiæ peculiares in verberibus flagellationis ponderandæ ſunt! O mi Jeſu! ſine ingenti compaſſione, ſine tribulatione animæ meæ, ſine diſtillatione cordis, ſine lacrymis enarrare non poſſum! Prima eſt, ob nimiam vehementiam & fortitudinem brachiorum robuſtiſſimorum militum, qui omni virium contentione illum flagellarunt, fracti ſunt apices ſpinearum Virgarum, & aculei illi inhærentes carni, nova percuſſione ad quoſvis ictus, altius & profundius impreſſi fuerunt vulneribus jam factis cum miſerabili laniena & dolore delicatiſſimi corporis Chriſti. O ſtimulos amoris! O ſi ego has ſpinas hac concione in auditorum meorum corda poſſem defigere. Altera circumſtantia eſt, virgas, bacillos, ſpinas, catenas,

§. 29. *Affectuoſa dua circumſtantia, crudeliſſima flagellationis.*

tenas, ungues, nervos boum, omnia instrumenta passionis, non sanguine tantum fuisse cruenta, sed adhæsisse illis particulas cutis, pellis & carnis de corpore Salvatoris, quas magna vi à Divinis membris avulserunt. Beata Virgo sanctæ Brigittæ: *Quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur & simul* (sanctus Bonaventura) *quanto delicatior, & tenerior caro illa erat, tanto acerbior imprimebatur dolor.* Ah mi Jesu! ah! ah dolores! quos pro nobis, in uno hoc mysterio flagellationis sustinuisti! Meretur infernum, qui ingratus est. Cavete impii, ne Salvatorem vestrum iterum flagelletis. Ecclesiastici cap. 40. v. 9. *Super peccatores enim septuplum;* (scilicet in die Judicii) *ad hæc mors, sanguis & romphaa, oppressiones, contritio & flagella ignea, horrenda!* in omnem æternitatem, *super iniquos creata sunt.*

§. 30. *De copiosa effusione sanguinis.* Ex tot vulneribus, tam copiosus effluxit sanguis, ut totum corpus, omnia membra, à capite usque ad soleas pedum; imò columna, virgæ, catenæ, vestes, facies, brachia, manus flagellantium militum, saxa parietum, fuerint respersa sanguine. Sanctus Bernardus ait *Divinum cruorem saltasse per aera.* Divus Bonaventura. *Fluit undique regius sanguis de omnibus partibus corporis.* Sanctus Gregorius Naziancænus orat. de Christo patiente. *Fluebat sanguis, & de Paradiso illo, cœlestis cruoris flumina manabant. In pavimento circa columnam fluxerunt rivuli sanguinis.* Cogitate animæ piæ, quomodo Divinus sanguis, impiorum pedibus fuerit conculcatus. Sancto Anselmo dixit beata Virgo. *Momento temporis totalis corporis ejus superficies ita sanguine perfundebatur, ac si purpura circumdatus, & in stuporem ac deformitatem transformatus esset:* omnibus apparuit quasi lepra percussus. Piè sanctus Bernardus sermone 4. hebd. pass. *O impii!* (O tigrides, leones!) *lapides estis, & lapidem percutitis, sed molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis!* Multa Millia fuerunt guttarum preciosi sanguinis, quas in flagellatione effudit. Cum volo corroborare spem meam; cogito, quod Salvator noster quamvis guttam ardentissimis suspiriis, & iteratis actibus nobilissimarum virtutum obtulerit patri cœlesti pro redem-

redemptione generis humani; unicam confido profuturam animæ meæ ad salutem æternam!

§. 31. *Christi D. lapsus ante columnam; iterata flagellatio.*

Inter hæc tormenta, post tot verbera, post tot vulnera; post tantam sanguinis effusionem, solutis vinculis Christus Dominus ante columnam prolabitur in terram; sic prolapso necdum parcit ferox crudelitas. Vidi aliquando (ingemisco, & suspiro quoties recordor) pictam flagellationis imaginem, in qua nequam miles pedem imponit dorso & lateribus jacentis humi Salvatoris, & elevatis capillis sanctissimum ejus collum flagellat; Probabile est Christum Dominum jacentem in hoc deliquio, & sanguine suo, inter novam grandinem ictuum suaviter ingemuisse; sed eo percusserunt fortius: puto illum mœsto oculorum obtutu suos quandoque carnifices aspexisse, sed sævierunt magis: probabile est, mitissimum agnum dixisse in corde suo ex Isa. 63. 5. *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi & non fuit qui adjuvaret.* Sanctus Augustinus & sanctus Thomas in catena aurea; *ecce Dominus aptatur ad verbera! ecce jam cæditur, rupit sanctam cutem violentia flagellorum, repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt.* Prô dolor! jacet extensus ante hominem Deus, & supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit reperiri. Meditantur alii Christum Dominum bis fuisse flagellatum, primò alligatum ad columnam, facie & pectore, sive parte corporis anteriori, deinde vero sauciatis humeris & dorso solutum, altera vice saxo fuisse alligatum, & æquè crudeliter in divino pectore fuisse cæsum; cui sententiæ favent verba Divi Hieronymi superius citati, *Pectus Dei capax flagella secuerunt.* Ita quoque sensisse videtur Divus Bonaventura cap. 76. de medit. pass. *Ligatur & diversimode flagellatur; stat nudus coram omnibus elegans juvenis, & verecundus, speciosus præ filiis hominum; suscipit spurcissimorum flagella dura & dolorosa: Caro illa innocentissima, tenerrima, mundissima & pulcherrima, flosque omnis carnis & naturæ humanæ, repletur laboribus & fracturis; superadditur, reiteratur, & spissatur livor super livorem, & fractura super fracturam.* Ex quibus patet: Primò lictores flagellantes non fuisse tantum crudeles, atque

immites; non fuisse tantũ similes ursis & leonibus, sed à Dæmonibus & infernalibus furiis obsessos. Patet *secundo* dolores, quos Christus Dominus in flagellatione sustinuit, fuisse tam immanes, ut benè dixerit beatus Laurentius Justinian. l. de triumph. Christi agone cap. 4. *Debuisset plane mori, tanto dolore transfixus; se tamen reservavit ad vitam, ut his etiam graviora pateretur.* P. Cornelius à Lapide, in cap. 27. Sancti Matthæi. *Naturaliter ex tot verberibus, mori debuisset Christus; sed Deitas carnem sustentabat, ut plura pati, & tandem crucifigi posset.*

§. 32. *Varia devotiones erga Christum flagellatum.*

Antequam illa, quæ deinde passus est, narrare aggrediar, rogo meos Auditores, atque obtestor, ut præcipuo semper affectu ferantur erga hoc mysterium; sunt, qui in tribulationibus mox piis desideriis se conferunt ad columnam; & ibidem vinculis amoris se alligant, cum ardenti desiderio dicentes: Ego autem cum Christo meo in flagella paratus sum. Idem faciemus imposterum. Sunt, qui in piis meditationibus sibi imaginantur, se esse præsentes flagellationi, & suavibus affectibus, veluti mundo strophiolo extergunt ejus vulnera, & sanguinem excipiunt; in his cogitationibus cum profundissima reverentia se prosternunt ad sanguineos pedes Christi, & terram eodem sanguine rigatam piis osculis quasi lambentes venerantur; vos, si miserando huic spectaculo interfuissetis, an non idem fecissetis? facitè id hodie ferventibus desideriis. Sunt qui jacenti Christo Domino ante columnam in deliquio, cor contritum substernunt, veluti pulvinar, quid impedit quo minus idem faciamus? Sancta Theresia de se hunc in modum narrat; Quodam die ingrediens oratorium; erat ibi noviter alligata imago, repræsentans Jesum totum vulneratum, & plagis opertum; statim ac eam vidi, tota in me turbata fui, videns Dominum meum tam crudeliter flagellatum, & sensi tantum dolorem, ut videretur cor in duas partes findi; tunc projeci me ad pedes ejus, cum magna lacrymarum copia, supplicans ejus pietati, ut placeret illi ex tunc, tanta me fortitudine corroborare, ut amplius eum non offendam. Videor quoque mihi tunc dixisse, me à pedibus ejus non surrecturam, nisi daret quod obsecrabam. Hoc mihi val-

hi valde profuit; ex tunc cœpi me emendare, esse fortior &c. Hi fuerunt affectus Sanctæ Theresiæ, & vos hodie, O filiæ Sion! O animæ piæ! cum Jesus flagellatus animis vestris spectandus proponitur; cur non turbamini? quomodo non finduntur corda vestra! Ubi serius dolor? cur non & vos ad ejus pedes provolvimini cum lacrymis? cur non supplicatis ejus pietati, ut placeat illi ex hoc momento vos ita corroborare, ut non peccetis amplius, cur non proponitis non surgere à pedibus ejus, nisi det, quod obsecratis? Talia facite, & sentietis id vobis inprimis profuturum, ex tunc incipietis vitam emendare & sanctè vivere. Cogor pergere ad mysterium coronationis; sed prius tamen;

O mitissime Jesu, coram infinita tua Majestate ego quoque me prosterno, profundissima reverentia adoro vulneratum & laceratum tuum corpus, adoro tua vulnera, exosculor terram tuo sanguine rigatam! virgas, flagella, catenas, quibus laniatus es, includam cordi meo, ut dicere possim cum afflictis civibus in Bethulia, Judith. 7. v. 19. *Peccavi, injuste egi, iniquitatem feci, tu quia pius es, miserere mei, in tuo flagello, vindica iniquitates meas;* (potest ex his verbis fieri pia deprecatio.) Electe puer Dei mei (sanctus Bernardus) quid tanta amaritudine, tanta confusione dignum commisisti? prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ caussa extiti: Ego Domine uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt. Ego sum qui peccavi, iste, qui agnus est, quid fecit? O Pater æterne! vertatur obsecro in me manus tua: Amplector columnam, & suspiro, O felix columna! cui alligatus fuit, qui est columna mundi, & fortitudo totius universi! O columna aspersa sanguine Christi! suscipe me servum illius, qui ad te ligatus, fuit flagellatus; ecce vincula, ecce meos affectus, mea desideria, mea proposita, his me tecum ita colligabo, ut nec mundus, nec caro, nec peccatum, nec diabolus, nec mors, nec infernus separet à Charitate, quæ est in Christo Jesu.

§. 13. Pium Votum Auctoris ad columnam.

Punctum

Punctum V.

De Spinea Christi Domini Coronatione.

§. 34. *Descriptio Coronationis ex Evangelistis.*

VEnio ad spineam coronationem, quam Evangelistæ his verbis describunt. *Et milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & posuerunt arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes, Ave Rex Iudæorum, & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percusserunt caput ejus.* Hoc novum tormentum, in quo cum dolore certat pudor & ignominia, sæva excogitavit crudelitas! Dolorosissimum mysterium iterum ex sacra scriptura, sanctis Patribus & piis libellis ego sic soleo meditari.

§. 35. *Præparatoria ad eandem.*

Sub flagellatione vestis Christi in angulum aliquem abjecta fuerat, quam dum à columna solutus quærit Jesus, per aulam incedit, sanguinem manans (Taulerus) *adeo, ut singula quæque vestigia roseo suo signaret sanguine*; interim dum Jesus flagellatus vestes suas rursum induit, furia quædam ait, sibi videri, reducendum illum esse ad præsidem in schemate ludicri Regis, quandoquidem talem se nominasset; videri sibi, coronandum spinis, induendum purpura, dandam illi arundinem pro sceptro; placuit ex tempore consilium: itaque conquiruntur instrumenta regiæ coronationis, affert unus detritum ex purpura pallium, alius arundinem, alii densos ramos de acutissimis spinis, ex quibus in conspectu Salvatoris coronam plexuerunt. Aspice dulcissime Jesu! Rex dolorum, quale sertum regio tuo capiti præparet Synagoga! Interim alii altera vice Christum sua veste, qua vix se induerat, spoliant, & circumdant ei purpuram; tunc in humili scabello, veluti regio throno illum collocant.

§. 36. *Crudelissimus modus*

Hoc ubi factum; mox spineam coronam sanctissimo imponunt vertici; primò quidem manibus tantum, non nimia vehemen-

hementia, ne ſceleratas pungerent manus. Ut autem fortius coronæ aculeos capiti inprimerent; ſecundo, ſpinis implicarunt duos baculos, per modum crucis, quibus magna vi ſpinas in caput Chriſti adegerunt. Tertio. ex mente Tauleri de paſſione cap. 10. baculis horribiles ictus in caput ejus dederunt, quibus ſpinarum aculei altius ſancto illius cerebro infigebantur, adeò ut hæc pœna etiam cor illius attingeret. Cum benedicto capite dulciſſimum cor Chriſti fuit ſpinis coronatum. Spinæ transfigentes & pungentes cutem, carnem, nervos, cerebrum Divini capitis transfixerunt & pupugerunt etiam cor (eſt locus pro piiſſima deſcriptione.) Quarto. Sceptro, ſive calamo, quem deinde pro ſceptro illi porrexerunt, qui in illis terris ſunt fortiſſimi & duriſſimi, caput Chriſti jam ſpinis coronatum, percuſſerunt. Sanctus Bernardus aſſerit, contigiſſe illud tanta vi, ut arundo diſſilierit in partes. Quinto. crudelis quidam miles (ah animæ piæ! audite rem Tragicam!) ut ſpinas capiti profundius immergeret, induit ferreas chirothecas, & ita coronam fortius impreſſit. Ad fletum & lacrymas olim me movit imago coronationis, in qua barbarus lictor ferrea manu coronatum Chriſti caput in gyrum torquet, ex qua contorſione corona loco primo fuit mota, & ſpinæ aperuerunt nova vulnera, novas vias in caput Jeſu. Quædam ſpinæ craſſiores dilatarunt plagas priores. O immanes tuos mi Jeſu dolores! (ſubſiſte hic nonnihil in ſilentio, ut auditores tempus habeant id ruminandi.) O animæ piæ! quid cogitatis dum auditis hoc tormentum (iterum nonnihil ſile, ad majorem motum concitandum.) Sexto. omnium luctuoſiſſimum eſt quod ſequitur (pete lacrymas à Spiritu Sancto, ut præ illis vox non commode pergat.) O cœli, O Angeli, videte hoc ſpectaculum! ſcabellum vel ſedem, cui Chriſtus Dominus inſedit, data opera retraxerunt Judæi, ut magno impetu piiſſimus Salvator corruerit in terram, in quo lapſu caput plenum ſpinis fortiter alliſit ſolo; ah mi Jeſu quo dolore? huic tamen acerbior acceſſit, cum barbari aliqui ſic jacentem humi, præſertim divinum ejus caput, pedibus conculcarunt, & ſic ſpinas illi iterum profundius immerſerunt. Silex,

coronatio-nis.

ſaxum, leo, leæna, tigris eſt! quiſquis Chriſto Salvatori in hoc myſterio non compatitur. Corda habetis ex petris, ſi vos corona illa ſpinea non pungit.

§. 37. *Aliæ circumſtantiæ augentes dolorem coronationis.* Gravitatem doloris immenſum augent hæ circumſtantiæ. Primo. Theocritus ait, *Quantula eſt punctura ſpinæ? & quantum hominem domat?* quos cauſat dolores, vel in uno digito, in uno præſertim nervo, vel unica junctura membrorum. Sanctus Vincentius Ferrer. in S. Lucam: *Quis ſatis cogitare poteſt, quantus dolor venerandum illud caput, tot aculeis confixum affecerit, cum nos vel ad unius ſpinæ puncturam fere intolerabili dolore vexemur;* qua ratione ponderare poterimus dolorem capitis Chriſti, propter tantum numerum ſpinarum? Illæ, quæ profundiſſimè penetrarunt caput Chriſti, per pellem, per carnem, per nervos, per oſſa, in ipſum cerebrum fuerunt triginta tres! videtis ſubinde roſariola cum tribus tantum decadibus, ſive triginta tribus granis; putavi hactenus recitari toties orationem Dominicam, vel ſalutationem Angelicam in honorem triginta trium annorum, quibus Chriſtus Dominus vixit in terris; verùm legi hiſce diebus non ſine animi ſolatio in libro quopiam Italico, numerum granorum hujus roſarii ſacrum eſſe numero triginta trium ſpinarum, quæ caput Chriſti crudeliter vulnerarunt. Filiæ Sion, cum hodie viſitabitis ſtationes Chriſti patientis, in via orate hoc roſariolum; ſive triginta tria Ave, in honorem tot ſpinarum. Affirmant alii, ſpinarum illarum fuiſſe ſexaginta duas. Sanctus Bernardus de paſſione capite decimo ait: *Corona ſpinea, mille puncturis ſpecioſum caput divulnerat*; ſic ſentit Taulerus, cum ait; & certe, ut Anſelmus auctor eſt, *Chriſti venerandum caput vel mille aculeis compunctum eſt.* Secundo. Corona non fuit plexa ex obviis ſpinis, ſed, vel ex rhamno, cujus rami pleni ſunt acutiſſimis ſpinis, vel quod probabilius eſt, ex junco marino, de quo Virgilius canit, & acuta cuſpide junci: & quævis cuſpis in alios tres aculeos terminatur, & ſunt ſimul longi, acutiſſimi & duriſſimi. Tales itaque ſpinæ divinum caput (ſanctus Petrus Damianus ſermone de exaltatione ſanctæ crucis.) *multiplici denſitate perforatum, uſque ad cerebri teneritudinem*

confi-

confixerunt. Sanctus Laurentius Justinianus de triumphantis Christi agone capite 14. *Spinarum punctione cerebrum perforarunt.* Thomas de Kempis de Passione Domini: *Ah! Domine Deus, quàm profunde culmina spinarum sanctissimum caput tuum intrarunt, quam duriter tenacem carnis tuæ pellem, cum ossibus & nervis læserunt.* Sanctus Bonaventura in meditatione Passionis: *Figuntur spinæ cuti preciosissimæ usque ad carnem & cerebrum penetrantes, perfoditur totum venerandum caput.* Vidistis fortassis imaginem Christi coronati, in qua spina quædam oblonga supra frontem caput ingreditur & infra frontem supra oculum dexterum immani cuspide egreditur; ex aculeis tot spinarum facilè inire possumus numerum vulnerum, quibus sanctissimum caput fuit vulneratum.

Numerum & spinarum & vulnerum confirmat forma spineæ coronæ; de quâ bene monet sanctus Vincentius Ferr. fuisse illam contextam ad modum pilei, ita ut undique caput tegeret & tangeret. Sanctæ Brigittæ dixit beata Virgo, corona spinea capiti ejus arctissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat. Innuunt hoc verba sancti Chrysostomi sermone tertio de passione: *Ambitur sacrum caput aculeis spinarum, & divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat.* id est, non tantum frons, latera, sed totum caput fuit circumdatum spinis. Hinc tot puncturæ; hinc tot vulnera! *§. 38. De forma spineæ coronæ.*

Dolorem valde auxerunt spinæ illæ, Primò: quæ per juncturam nervorum, & compagem Ossium penetrarunt in cerebrum Jesu; in his juncturis fuit maximus dolor. Secundo. illæ, quarum subinde binæ vel tres in uno simul vulnere junctæ divinum caput horrendo cruciatu laniarunt. Tertio. illæ, quarum aculei fracti, ab aliis novis supervenientibus spinis ob contorsionem coronæ, profundius in caput Christi adacti fuerunt. Quarto. Cruciatum auxerunt spinæ illæ, quæ in sanguineis vulneribus, madidæ sanguine, & à cerebro Christi paulatim intumescentes se dilatarunt. Filiæ Sion! dum sponsum vestrum in hoc spineo diademate, in doloribus hisce tam acutis, contemplamini, dicite; sentitisne teneram compassionem? Gera- *§. 39. Quænam præsertim spinæ laniarint caput Salvatoris.*

ſimo Abbati obambulanti ad ripas fluvii, occurrit leo, & oſtendit illi pedem, ex infixa ſpina vulneratum, flens quodammodo & obſecrans ut ſpinam extraheret. Filiæ Sion, videtis leonem de Juda, ſpinis coronatum? videtis, quam benignis oculis, quam calidis lacrymis à vobis petat, ut ſpinas ex vulnerato capite extrahatis? extrahunt ſpinas, qui hodie ſuo Salvatori intimè compatiuntur (poteſt fieri affectuoſa inductio.) Poſtquam Geraſimus leoni ſpinam extraxit, leo nunquam à ſuo medico voluit diſcedere, multo magis nobis bonus Jeſus hanc præſtabit gratiam, ut nunquam nos deſerat, præſertim in horâ mortis. Mihi certum eſt illos, qui huic myſterio devoti ſunt, morituros morte ſanctorum pretioſa.

§. 40. *Quam copioſum ſanguinem effuderit Chriſtus D. in ſpinea coronatione.*

Ob tot vulnera ſpineæ coronationis, ait beata Virgo ſanctæ Brigittæ; *oculos, frontem, aures, genas, labia, ipſum os, totam faciem Domini à defluente ſanguine adeo fuiſſe contectam ut nihil appareret niſi ſanguis; capilli pleni ſanguine, oculi pleni ſanguine* &c. Taulerus de paſſione Domini ſic deſcribit; *Elegantiſſima Chriſti facies omni decore & ſpecie deſtituta fuit, nec non recentis hujus ſanguinis* (qui cerebro permixtus erat) *profluvio irrigata.* Sanctus Bonaventura: *facies illa ſereniſſima, ſanguine rubricatur; ita ut non amplius facies Domini Ieſu, ſed excoriati hominis videretur.* Ob eandem copiam effuſi ſanguinis, non facies tantum, ſed ipſa corona tota reſperſa, & tincta fuit ab ebullientibus rivulis ſanguinis, ex profundis vulneribus. Taulerus; *viridem fert coronam, rubentibus ornatam roſis; id eſt, roſeo ſuo tinctam ſanguine; hoc ipſo ſignificans, pium ſe eſſe regem, ac manſuetum, verumq; Principem amoris.* Sponſus ut ſponſæ amorem ſuum aperiret; illi dixit, Amica mea quàm me hac nocte vigilem fecit amor, quo te proſequor, tota nocte ſteti ante portas oſtii tui, ecce, *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. v. 2. Filiæ Sion, hodie videte ſponſum, qui tantum vos diligit, non rore, non guttis noctium, ſed ſanguine, ſed ſudore, ſed lacrymis ſed ſputis, ſed vulneribus, ſed puncturis plenum eſt caput ejus!

Monet

Monet me clepsydra, ut causas vobis proponam, ob quas Patri cœlesti, & ipsi Filio, & Spiritui Sancto, sive toti sanctissimæ Trinitati placuerit, mundi redemptorem spinis coronari. Prima. voluit Pater suum Filium & atrocia pati, & summa cum ignominia humiliari; Mors Christi debuit esse pœnosa & ignominiosa: aptius instrumentum reperiri non potuit, quàm spinea coronatio. Sanctus Bernardus libro de passione capite 39. *In corona spinea non leviter imposita, sed invide impressa, non solum opprobrium, sed supplicium quærunt.* Emphasis latet in vocula, *quærunt*; id est, intentio, carnificum fuit placere Judæis, proinde modum excogitarunt, quo crudelissimè illum torquerent, & contemptibilem redderent, nimirum spineam coronam, de qua Tertullianus ait, *Impietatis calumniosa corona: contumelia in promptu est; & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sævitia; quæ Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt.* Secunda causa fuit. *Peccatorum aculeus in spinis est*, ait sanctus Hilarius. Prædixit regius Psaltes ps. 71. 17. *Convertetur dolor ejus, in caput ejus, & in verticem ipsius, iniquitas ejus descendet.* Adeste superbi! aculei vestræ superbiæ sunt in spinea corona! (fiat hoc modo pulchra invectiva in diversos peccatores.) Tertia causa omnibus peccatoribus magno est solatio. *Mysterium fuit spinea corona.* (Sanctus Cyrillus catechesi. 13.). *Solutio enim fuit peccatorum, & dissolutio maledictionis, lata super Adamum, tribulos & spinas terra germinabit tibi*; propterea Jesus accepit spinas, ut solvat hanc maledictionem. Tertullianus; *abstulit virtus crucis omnes aculeos mortis, in Domini capitis tolerantia illos obtundens.* Me hæc verba mirum in modum consolantur. Ita mi Jesu! peccavi! sed tu solutionem dedisti! tua corona tincta fuit sanguine, illæ spinæ capiti tuo fuerunt impressæ; has offeram Divinæ Justitiæ: hoc conabor, ut aliquando in agone, illas peccatis meis opponam; tum spero fore, ut vel unicum aliquod ex tanto numero mihi pateat vulnus, in quo me abscondam, donec transeat furor Domini.

§. 41. *Tres causa, ob quas Filius Dei fuit coronatus spinis.*

Quarta. Sanctus Athanasius ait sermone de passione & cruce. *Spineam coronam gestare voluit, ut solicitudines nostræ vitæ* extir-

§. 42. *Alia spinea (?) causa.*

extirparet, & spinarum gestatione omnes in securitatem asseretet: ipse enim in doloribus & curis erat, ut nos doloribus careremus. Fert ipse coronam spineam, ut nos coronet in misericordia & miserationibus. *Quinta*: in tantis tormentis Christus Dominus indiguit aliqua refocillatione; refocillatio fuit plus pati; ideo (Tertullianus.) *Dominica Christi tempora lancinaverunt mortiferis vulneribus spinæ; sic novarum pœnarum ardore sustentabatur amans. Sexta.* Apud Romanos solenne fuit, victimas ornari coronis; victimæ Jovis esculo, Apollinis lauro, Minervæ Oliva, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, Panis pino, Ditis cupresso; has superstitiones invenit gentilitas. Apud Judæos Agni Paschales ornabantur coronis ex floribus: Verus Agnus, immolandus in ara crucis, ut tolleret peccata mundi, ornari debuit corona ex spinis. *Septima.* Sanctus Bernardus sermone sexto die Parasceves: *Coronatur spinis, ut videant eum peccatores, & compungantur.* O me felicem, si hac concione obtineam, ut sanguineæ spinæ pungant corda meorum auditorum, ut sentiant & doleant se unquam offendisse Deum; O immites spinæ! satis sæviistis in caput Christi, vertite aculeos; parcite Christo, nostra corda pungite. *Octava.* Coronatur spinis, quia luxuriosi abstulerunt omnes rosas. *Nona.* spinas quæ nos pungere debuissent, in suo capite sepelivit; in sanctissimis illis vulneribus, veluti clibano amoris sunt combustæ. *Decima.* Spinæ irrogatæ sunt sanguine divini capitis, ut germinent rosas cœlestis gloriæ. *Undecima.* Peccata nostra clamant vindictam; ne audiat Judex noster, aures sepit spinis. *Duodecima.* Coronatur spinis, ut dici possit, verbum *cecidit inter spinas. Decima tertia.* Coronatur spinis, ut sponsa dicere possit, Cant.2.v.1. *Sponsus meus sicut lilium inter spinas. Decima quarta.* Coronatur spinis, ut illarum aculei sint aureæ claves, quibus aperire possumus thesauros divinæ sapientiæ. Clavi aperuerunt manus & pedes, virgæ corpus, lancea pectus & cor, spinæ caput. *Decima quinta.* Coronatur spinis, quia in regno patientiæ, sive in hac vita nihil coronat nisi quod pungit. *Decima sexta.* Coronatur spinis, ut ostendat coronam regni sui

habere

habere radices, quas non habent coronæ aureæ Regum & Imperatorum. *Decima septima.* Sanctus Ambrosius in Lucæ cap. 22. Corona de spinis, quæ capiti Christi imponitur, ostendit, quod de peccatoribus mundi, tanquam de sæculi spinis, triumphalis Deo corona plectatur. *Decima octava.* Hugo Cardinalis: *Fecit Dominus sicut canis venaticus, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos mittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat.* Ecclesiam quasi feram intra spinas latitantem extraxit: sed punctiones spinarum usque ad effusionem sanguinis sustinuit, in cujus signum spineam coronam portat in capite suo. *Decima nona.* Post paucas horas tanquam summus Sacerdos offert sacrificium crucis, pro tiara portat spineam coronam. *Vigesima* sponsus est sanguinis; qui alio serto coronari non debuit, nisi spineo.

Denique pie monet Clemens Alexandrinus libro secundo de pædag. capite 8. A ratione alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis coronatum esse, ipsi Venerabili Domini passioni per ludum insultantes, habeamus redimita floribus capita. Et Tertullianus ait: *Si ob hac caput tuum ei debes, tale ei, si potes, repende, quale suum pro tuo obtulit.* Sanctus Bernardus: *Pudeat, sub capite spinis coronato, membrum esse delicatum.* Godefridus Bullionius Dux Lotharingiæ, cum capta terra sancta Jerosolymis Rex coronaretur, noluit id fieri corona aurea, sed spinea, memor in illa urbe Christum Dominum fuisse coronatum spinis. Cum sancta Elisabetha coram crucifixo ejus caput contemplaretur, abjecto mox serto gemmeo, corona ex spinis se ornavit. Simile quid agamus, memores divi Agapiti invicti Martyris; *Parva res est, si caput coronandum in cælis, prius coronetur prunis vel spinis, in terra!* §. 43. *Vltima causa.*

Nunc enarrandæ essent aliæ injuriæ & cruciatus, quibus sub spinea coronatione Christum affecerunt. Sufficiat textus sancti Evangelii initio hujus puncti citatus & verba Patris Delrio lectione nona de passione Domini: *Salutant cum clamore, Ave Rex Iudæorum, & cum dicto faciem conspuunt; & alapis faciem aspergunt; & ferreis manibus, ferreis frontibus, ferreis cordibus* §. 44. *De aliis injuriis Christo D. in coronatione illatis.*

dibus colaphis alapas, alapis colaphos confuderunt: quidni credamus, si non excussos, saltem loco motos, & conquassatos dentes omnes tot ictibus, juxta verba Jeremiæ in Threnis, cap. 3. v. 16. *fregit ad numerum dentes meos.* Non invenio finem tormentorum Christi, & tamen adverto præstitutum concioni meæ tempus effluxisse.

§. 45. *Gravis obtestatio S. Thomæ de Villa Nova ad gravem peccatorem.*

Si quis obstinatus peccator ex præsentibus meis auditoribus hactenus à me dicta, sine commotione cordis, sine contritione, sine proposito seriæ conversionis, audivisset, cum hoc mihi paucis agendum est. Sanctus Thomas de Villa Nova Archiep. Valentiæ in Hispania, postquam Canonicum aliquem malæ vitæ frustra monuisset, ad se vocatum hominem illum, induxit in intimum suum conclave. Obserata porta sanctus Episcopus depositis vestibus usque ad lumbos, peracri flagello tam horrende in dorsum suum desæviit, ut copiosus sanguis effluxerit. Subinde tristi gemitu, cum lacrymis dixit, *Domine convertere, convertere Domine:* tam insolitum spectaculum, tam crudeles ictus, vestes aspersæ sanguine, tam ardentia suspiria ita permoverunt obduratum cor, ut statim seriò sese converterit ad Dominum. Auditis hæc obstinati peccatores; en flagellatum, en vulneratum, en spinis coronatum usque in multum sanguinem oculis vestris hominem exhibeo!

§. 46. *Et Auctoris ad Auditores cum exhibitione crucifixi & Epilogo.*

Ecce illum, qui pro vobis pendet in ligno crucis; videtis toto corpore lacerum? convertimini. Videtis caput coronatum spinis pro vobis? Convertimini. Cernitis ex tot vulneribus ebullientem sanguinem? Convertimini, hæretis? reluctamini? necdumne vestra libido N. N. vestræ cupiditates sunt exsatiatæ sanguine? Naturale est, dicunt Philosophi, ut ira quiescat, si videat eum, contra quem irascitur, humiliatum & punitum; quid si vulneratus sit; & cur vestra rabies erga piissimum Jesum non quiescit? cur non quiescunt manus, ne iterum flagellent (est patheticus locus.) Scio quid sit, verificatur de vobis versus 16. cap. 12. Ecclesiastici. *Inimicus, si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Itane? videtis sanguinem ebullientem ex sanctissimis pedibus, & non satiamini? bibite ergo (fiat

(fiat hoc modo acerba Apoſtrophe.) Sed hoc tandem fiet (D. Clemens Alexandr.) *De rhamno egredietur ignis*; *ignis inquam ille, de quo Chriſtus ait*, Matth.25.v.41. *Ite in ignem æternum*; in quo hodie ardent, & in æternum ardebunt, qui Chriſtum Dominum flagellarunt & ſpinis coronarunt. Igneis, ſulphureis, ardentibus ſpinis & vos aliquando ibi coronabimini; niſi convertamini & pœnitentiam agatis, quod iterum à vobis poſtulo, per diviniſſimā Jeſu flagellationem; convertamini, (poteſt fieri ſuavis allocutio per præcipua tormenta, quorum in concione facta eſt mentio) Cavete impii, ne veniat Chriſius,& ſi in peccato vos invenerit, dicat, *Quæ utilitas in ſanguine meo*? quid profeci quod ſim flagellatus &c. O miſeri; pedes Chriſti ſtillant ſanguine, quæ utilitas? (hoc modo pulchra fiat inductio.) niſi hodie convertamini, quæ utilitas? &c. Niſi faciatis, *in vanum pro vobis laboravit bonus Ieſus*, ſine cauſa (Iſ.47.v.13.) *& vane fortitudinem ſuam conſumpſit*. Flagellatus eſt in vanum pro vobis &c. Implora gratiam peculiarem Spiritus S. ut hoc modo tibi ſuggerat affectuoſum Epilogum; & denique amoroſum colloquium ad Chriſtum crucifixum.



CONCIO XX.

DOMINICA RESURRECTIONIS CHRISTI D.

Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis, non eſt hic, ſurrexit enim.

Matth.28.cap.v.5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit, glorioſam Chriſti D. Reſurrectionem eſſe fontem magni gaudii,&, ut S. Bonaventura loquitur, medullarem noſtram exultationem.

§.1. *In Palæstina quadam avicula hebdomada passionis moriuntur, in Paschate revivi-scunt.*

NObilis aliquis Anglus (sic rem narrat, speculum magnum exemplorum dist.9. exemplo 161.) cum in itinere in terram sanctam, transiret amœnissimam sylvulam, vel potius hortum, ob florum amœnissimarumque arborum varietatem; advertit cum stupore, se videre plurimas in arboribus aviculas, quarum tamen nulla prorsus cantillaret, imo notavit, jacere illas in ramis arborum quasi emortuas, extensis alis in formam crucis. Admirabundo, & quærenti ex comitibus causam hujus quietis, & silentii, responderunt. *Reliquo tempore anni, resonare hunc amœnissimum locum suavissima Musica & harmonia, tot avicularum, sed in hebdomada passionis* (quæ tum erat, ajunt,) *qua Christus, magnus Deus, passus est, omnes moriuntur, & Dominica Resurrectionis, reviviscunt.* Non disputo, an in rerum natura tales aviculæ existant; in paradiso terrestris Ecclesiæ in terris puto esse rem verissimam. Nos, nos auditores, his diebus fuimus & sumus tales aviculæ. Sicut passeres solitarii sedimus sub tecto pulcherrimæ arboris sanctissimæ crucis; SSa. Crucifixi Vulnera fuerunt nidulus noster, in quo voluptas nostra fuit, flere, gemere, suspirare. Alæ & pennæ nostrarum cogitationum extensæ fuerunt cum sponso nostro, per arborem crucis; sedimus in tenebris, altissimo dolori & luctui insepulti: ad salicem crucis suspendimus organa no-

na nostra, sedimus ad sanguineos rivulos, defluentes ex Vulneribus Christi, & flevimus. Hodie, reviviscente & resurgente Christo D. & nos reviviscimus; passeres & turtures optata metamorphosi conversæ sunt in philomelas, & aves paradisi: hodie voluptas nostra est, ut sub eodem tecto, sub umbra crucis cantillemus, non triste *Miserere*, sed lætissimum *Alleluja*. Totus Paradisus, totus hortus Ecclesiæ resonat, lætissimis vocibus Regina cœli lætare, Alleluja, quia &c. Quanta seges veri gaudii germinet ex mysterio lætissimæ Resurrectionis Christi Salvatoris nostri, vobis proponet hæc concio; benevolam vestram audientiam, quam spero, cupio cedere in honorem Christi gloriose à mortuis resurgentis.

Cap. 3. vers. 11. suæ Epistolæ, quærit S. Jacobus Apostolus; *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* putat ille hoc loco, linguam hominis esse talem fontem, ex quo fluunt, hinc verba sancta, casta, laus & benedictio Dei; alias ex eodem fonte, ab eadem lingua fluunt pestilentes rivi, blasphemiarum, detractionum &c. Si aliquibus historiis credimus, natura, in montibus, in saxis, variis locis tales posuit fontes, qui certis horis dulcibus fluunt aquis, quæ paulo post sunt salsæ & amaræ. Plinius, talia asserit, de quodam fonte, quem vocat, fontem solis: Verus fons solis est Christus D. gloriose à mortuis resurgens! Ante triduum in monte Calvariæ, sub arbore crucis, in fontibus sanctissimorum Vulnerum gustavimus salsas & amaras aquas, lacrymarum, doloris, compunctionis; Sed hodie lacrymæ nostræ conversæ sunt in dulcedinem, fel in mel, acetum in vinum lætitiæ, spinæ in rosas: ex iisdem canalibus pulcerrimi fontis solis, gustamus, quàm dulcis sit Jesus in Resurrectione. Torrens Cedron conversus est in torrentem ineffabilis voluptatis! De Christi Passione, de ejus morte his diebus doluimus! hodie gaudeamus de Resurrectione; doluimus de tanta Filii Dei ignominia! gaudeamus de tanto honore! doluimus de tantis tormentis, gaudeamus hodie de tanta gloria.

§. 1. *Amara Christi D. Passio, hodie est fons veri gaudii.*

§ 3. *Electis & Passionis Christi D. amatoribus convenit, ut in ejus Resurrectione gaudeant.*

Super lætissimum illum versum cap.3.v.18. Abacuc, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*; Chaldaica versio sic habet: *In Deo factore Redemptionis meæ*, bene advertit Dionysius Carthusianus. *Quilibet electus dicere potest, Ego autem &c. Convenit hoc cuilibet pugnatori ac militi Christi.* Vos, vos, Auditores, estis illi electi, qui his diebus patienti Salvatori tenerrimo affectu compassionis, condoluistis; hodie convenit, ut gaudeatis. His diebus corda vestra fuerunt plena absynthio & amaritudine; hodie convenit ut gaudeatis (fiat hoc modo pulcra inductio.) Causam advertit Regius Psaltes ps.95. v.10. *Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus; gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt; Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum, à facie Domini.* A facie Domini pendentis in cruce præ nimio dolore, & compassione tremuerunt elementa, fundamenta montium concussa sunt, columnæ cœli trepidarunt: hodie à pulcerrima facie ejusdem Christi D. à morte resurgentis, rident elementa, lætantur cœli, gaudet terra, gaudent omnes creaturæ, convenit plane, ut & nos clamemus, Gaudeamus & exultemus in Deo Jesu nostro: in factore nostræ Redemptionis! Pati debuit, sed resurrexit! mori debuit, sed resurrexit.

§ 4. *Consolatio S. Dominici.*

S. Dominico, anhelanti ex hoc mundo ad cœlestem gloriam, apparuit formosissimus Angelus, qui illi dixit; *Veni dilecte, & in vera gaudia ingredere.* Probabile est, Viri Sanctissimi oculis objectam fuisse quandam speciem cœlestis beatitudinis, addit enim historia, *Quo nuntio summopere lætatus, certissimam concepit de sua salute fiduciam*, cum ingenti cordis jubilo. Venite, Venite dilecti Auditores mei; Spero fore, ut olim ejusdem gloriæ simus participes, hæc spes, reposita est in sinu nostro; sed etiam dum vivimus, ingredimini vera gaudia, oculos tantum cordis conjicite in Redemptorem vestrum gloriose resurgentem! Christus resurrexit! hoc nuntio interim lætemur in terris; hoc nuntio, gaudeamus; donec in cœlis in eodem Jesu nostro gaudeamus & exultemus.

In stimulo Divini amoris p.1.c.4. monet Seraphicus Doctor S.Bonaventura, mysteria vitæ Christi, meditanda esse, *ad exultandum*: addit; *Hoc*, id est Christus D. in omnibus mysteriis, *debet esse cujuslibet contemplantis exultatio medullaris*. Ubinam verò, major materia gaudii & exultationis esse potest, quàm circa Christi D. gloriosam Resurrectionem: Resurrexit hodie Christus! ad exultandum; Prodit è sepulcro corpore glorioso! ad exultandum! radiant in illo quinque cicatrices Vulnerum veluti quinque soles ad exultandum. Resurgit victor mortis & inferni! ad exultandum. Arbori crucis alligatus tremit infernus! ad nostram exultationem! Medullaris nostra exultatio, ineffabile gaudium est gloriosa ejus Resurrectio. Ubinam quæso majorem materiam veri gaudii reperiemus? *qua ab omni potestate diaboli liberamur, à culpa & pæna absolvimur, in Dei filios adoptamur, & Christo in matrimonium jungimur. fuit ante triduum sponsus sanguinum, hodie est sponsus gloriæ. Egredimini filiæ Sion quæ etiam gratia largitur, cælum aperitur, gloria offertur & datur.* §.5. *Christus D. à mortuis resurgens est medullaris exultatio.*

Prædixit omnia *Abacuc* cap.3.v.3. *Deus ab austro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Septuaginta legunt, *de monte umbroso*. intelligamus per montem hunc umbrosum, montem calvariæ, & in illo umbram crucis, vel umbrosum sepulcrum in excavato saxo, in quo triduo quievit cadaver Christi D. de cruce depositi: tertio vero die, ex hoc loco Christus D. à mortuis resurgens, iterum veniet in hunc mundum; & quid fiet? *Splendor ejus, ut lux erit* ait Abacuc. Hugo Card. *Ipse lucerna super candelabrum crucis elevatus erit lux mundi.* S. Aug. *Splendor ejus, ut lux erit, quid est, nisi fama, qua per totum orbem divulgabitur gloria Resurrectionis*: quid est ille splendor, illa lux, nisi infinita pulcritudo gloriosi corporis. Propterea gaudemus & exultamus in Jesu nostro. Resurrectio ejus, est medullaris nostra exultatio; & consolatio. Addit Abacuc causam novæ lætitiæ, his verbis: *Cornua in manibus ejus.* S. Aug. *Cornua in manibus ejus*, quid hoc est; nisi *trophæum* & vexillum *crucis*. Hugo Card. sic explicat, *omnia nunc esse in potestate ejus*; de quo S. Hieronymus Christo D. his verbis gratulatur; *Ascendisti Domine palmam quia illud* §.6. *Pulcra Prophetia Abacuc de gloria & triumpho Christi Resurgentis.*

 crucis

crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus & potestatibus, vel nequitiis spiritualibus victoriam: eruntque in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abscondita, & per crucem, ut loquitur S. Paulus ad Coloss. 2. v. 15. *Expolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* S. Petrus Dam. *id est, debellavit aerias potestates, & affixit eas cruci suæ.*

§. 7. *Alia circumstantia hujus triumphi ex l. 1. reg. c. 2. sive, ex Cantico Annæ.*

In hoc triumpho gloriosissimæ Resurrectionis, psallere possumus ex Cantico Annæ l. 1. reg. 1. v. 4. *Non est fortis, sicut Deus noster. Arcus fortium superatus est; ipse solium gloriæ tenet, Domini sunt cardines terræ. Impii in tenebris conticescunt*; custodes sepulcri conticescunt, principes & Pharisæi conticescunt; *Dominum formidant adversarii ejus. Super ipsos terribili voce*, terribilis leo, *tonat.* Regi Regum, *datum est imperium* cœli & terræ; sacrosancta Crux, per quam vicit, *sublimata* est in gloria. Nunquid convenit, ut nos, qui per hunc triumphum ab hostibus liberati sumus, gaudeamus, ut exultemus; ut gloriosus hic triumphus sit medullaris consolatio nostra.

§. 8. *Quæ connexio inter catenas & palmas, in templo Salomonis.*

Inter ornamenta templi Salomonici, plena mysteriis, hoc quoque describit v. 5. c. 3. libri 2. Paralipo. *Sculpsit in ea palmas, & quasi catenulas se invicem complectentes.* Sed quid palmæ cum catenis? hæc sunt signa servitutis & captivitatis; illa symbola gloriæ & triumphi, sic est, sed hoc latet mysterium; catenæ quibus Christus D. ante triduum fuit captivus, flagella, quibus fuit flagellatus &c. in Resurrectione conversa sunt in palmam, de qua sponsus dixit Cant. 7. v. 8. *Ascendam in palmam*, id est, in crucem, *& apprehendam fructus ejus*, id est, saluberrimos passionis & crucis meæ effectus obtinebo. Hoc fecimus hoc triduo, ascendimus & nos in palmam, in crucem, per cruciformem imitationem, nos totos illi affiximus, & inseparabiliter cohæsimus Christo crucifixo. Hodie ascendamus in eandem palmam, ut apprehendamus fructus ejus, ut copiose fiamus participes meritorum, ac gaudiorum Resurrectionis ejus. Ad exultandum, conscendamus hanc palmam. Quid mirabilius, (quærit S. Bonav. stim. d. a. p. 1. c. 1.) quàm quod mors vivificet,

Vul-

Vulnera sanent, sanguis reddat formosum, *& nimius dolor, nimium dulcorem inducat*.

Ex mente Origenis in Christi Resurrectione impletus fuit v.14. cap.15. Exodi. *Dolores obtinuerunt Philistiim; tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Orig. *Fremunt scilicet dæmones, cum vident regna sua, quæ in inferno sunt, penetrata ab eo, qui descendit in inferiora terræ. hinc eos comprehendit timor, & tremor, quia senserunt magnitudinem brachii ejus.* S. Hier. statim ut crucifixus est Dominus senserunt virtutem crucis, & intellexerunt fractas vires suas. ideo egerunt per Judæos, ut Rex Israel descenderet de cruce, sed sciens Dominus adversariorum insidias, permansit in patibulo, ut diabolum destrueret. In illa cruce, confossum quidem fuit latus innoxium, & ad horam crucifixus est innocens manibus & mundo corde. Terribilis ille latro, cujus manus plenæ sunt sanguine, in hac item confossus est, & confectus; sed Christus aliter, aliter ipse. Christus ad momentum, ille in æternum. Josue 8. v.20. gloriosus victor, *Regem quoque* Hai, *suspendit in patibulo.* Christus D. diabolum suspendit in cruce. Hanc gloriosam victoriam, hunc triumphum gloriosæ Resurrectionis, si consideremus, convenit, ut gaudeamus. Domino enim, Passio ista, deliciæ sunt; dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem potestatem dispoliat, dum de his in se triumphat, dum eum quem ad imaginem suam fecerat, redimit, dum deliciis Paradisi restituit.

§. 9. *Resurrectio Christi D. est terror dæmonum.*

CON-



CONCIO XXI.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis.

Joann. 20. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de pace, quam inter Deum & homines fecit Christus Dominus, & quam apprecatus fuit suis discipulis. De ejus essentia, fructibus, effectibus, & aliquibus mediis illam acquirendi. Miscentur varia de Paschali gaudio.

§. 1. *Felicitas S. Thomæ, quod ex contactu SS. Vulnerum agnoverit Christi Domini Resurrectionem: sic invenit veram pacem.*

§. 2. *Descriptio pacis, quam fecit Christus D. ex S. Augustino.*

§. 3. *Pace, & amore Iesu, nihil desiderabilius vel delectabilius.*

§. 4. *Huic paci, amori Iesu, & paschali lætitiæ adversatur peccatum mortale.*

§. 3. *Pax Christi secum trahit, veram & solidam humanæ vitæ felicitatem.*

§. 6. *Requiritur ad hanc pacem, inconcussa fiducia in Christum.*

§. 7. *Elegans dictum Senecæ, de animo despiciente fortunam.*

§. 8. *Pax Christi, & paschalis lætitia, excludunt inordinatum amorem creaturarum.*

§. 9. *Quomodo mundus tractet suos amatores.*

§. 10. *Modus acquirendi veram pacem.*

§. 11. *Alius modus.*

§. 12. *Effectus pacis, quam Christus fecit, & nobis apprecatur.*

§. 13. *Prosecutio.*

§. 14. *Prosecutio.*

Felicem

FElicem manum D. Thomæ, quæ Dominici pectoris secreta rimata est; quas divitias; quos thesauros intus non invenit? Ab illo pectore arcana cœlestia hauserat D. Joannes Evang. dormiendo; S. Thomas vigilando, & scrutando, quas gratias inde hausisse putamus? Grandis schola, quæ subito tales discipulos facit. Evolans inde instar Aquilæ S. Joannes arcana illa eructavit; *In principio erat verbum &c.* Joan: 1. v. 1. Alter radio veritatis tractus & irradiatus subtiliter exclamat: *Dominus meus, & Deus meus.* Altius, subita confessio increduli ante Thomæ, sonare nõ potuit: quidquid fides habet, brevi elogio & paucis verbis cõprehendit. Hominẽ palpat, & Deum vocat. Vulnera crucifixi intuetur, & Divinitatem conjunctam Humanitati profitetur. Quam aperte, quam nude, quam fideliter Christum crucifixum & resurgentem vocat Deum! Ait illi propterea Dominus; *Quia vidisti me Thoma credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt.* Grandis, hæc verba nobis sunt consolatio; nam quis non cogitat; O beati oculi! O dulcia tempora, O lætum diem, quo Thomas & Apostoli Christum à mortuis resurgentem, viderunt, palparunt & crediderunt! *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis,* ait ipse Dominus Luc. 10. v. 23. *Sed & beati, qui non viderunt & crediderunt.* Fuit illud majoris solatii, hoc altioris est meriti. 1. Petri. 1. c. v. 8. *Quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Id est, eadem fide & nos accedere possumus ad altum cor Christi & ibidem reperire pacem, quam reperit S. Thomas; de cujus effectibus, fructibus & mediis aget hæc concio.

§. 1. *Felicitas S. Thomæ, quod ex contactu SS. Vulnerum agnoverit Christi D. resurrectionem. Sic invenit veram pacem*

Barnagasius Rex Æthiopiæ, ut ostenderet Prætori Indiarum, desiderare se, pacem quam cum Lusitanis facere cogitabat, desiderare, esse stabilem & firmã, arrepto crucifixo, ruit in genua, & dixit; *Quam pacẽ Iesus Christus humani generis Redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos.* Cum in consideratione hodierni Evangelii hæc historia mihi veniat in mentem, cogitavi.

§. 2. *Descriptio pacis quam fecit Christus D. ex S. Augustino.*

tavi. Pax, quam Christus D. moriendo in cruce; & gloriose resurgendo à mortuis fecit, & quam discipulis suis reliquit; *est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris.* Ita loquitur S. Aug. ser. 52. de verbis Domini. omnia hæc expertus fuit S. Thomas. Ob pertinacem infidelitatem, mens ejus erat turbata, animus inquietus; cor ejus divisum in partes: credam, non credam; ideo separatus à Deo suo, sine amore erga mortuum Magistrum, sed, momento &c. (pulcram describe immutationem S. Thomæ.) Auditores amantissimi, eadem pax sit inter nos, sive ut Christus D. ait, *Pax vobis.* Universalis in tota Europa oritur applausus & gaudium, cum inter Reges & Monarchas post diuturnum bellum pax concluditur; in omnium subditorum mentibus oritur quædam serenitas & tranquillitas. Pacis meditatoribus, omnes boni apprecantur mille benedictiones; digni sunt omnium amore, & eo majori, quo hostes devicti fuerunt potentiores. Totius generis humani, hostis terribilis fuit infernalis Lucifer; sed sub pedibus Christi resurgentis devictus gemit. (sic de morte, peccato &c.) *Pax vobis*: id est, gaudete, exultate, jubilate. Animæ piæ, certæ de hoc articulo fidei nostra, de gloriosa Christi Resurrectione, ex aspectu gloriosissimorum Vulnerum; participes pacis, quam suo sanguine acquisivit, serenantur, tranquillantur, corde læto & simplici glorioso victori decantant lætum Alleluja, & millies ingeminant, victori agno, sit benedictio, laus, honor & gloria. In hoc mentis jubilo, unica illis voluptas est, & summa in terris consolatio, vinculo amoris alligari Christo, & amare Jesum. Auditores dilectissimi, eadem pax sit inter nos. Pax vobis. Vos quoque animo tranquillo &c. in pace amate Jesum gloriose à mortuis resurgentem.

§. 3. *Pace, & amore Iesu nihil desiderabilius, vel delectabilius.*

De pace alicujus regni, ait idem S. Aug. l. 19. de civit. Dei cap. 11. *Tantum est pacis donum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri; nihil desiderabilius concupisci, nihil melius inveniri.* Sicuti econtra, bello nihil est exosius. Salus, quies, prosperitas alicujus regni, est pax & concordia. Ruina, interitus, odia & discordiæ. Sic eadem dici possunt,

& dici

& dici debent, de pace cujusvis animæ, quam nobis Christus D. comparavit, quod tantũ sit ejus donum, ut nihil animæ sit gratius, nihil ab illa possit concupisci desiderabilius, nihil melius inveniri; si præterea hæc pax necessario involvit amorem Jesu, verissimi sunt illi versus ex jubilo S. Bernardi.

Iesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel & omnia
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Iesus Dei filius!

Pax vobis, auditores! sit hæc pax inter nos; sit in cordibus nostris Jesus gloriose à mortuis resurgens, & jubilabimus, & cantabimus hoc paschali tempore, cum S. Bernardo;

Iesus dulcedo cordium!
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium!
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere.
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere!

quàm dulcis, quàm suavis, quàm desiderabilis sit hæc pax! Pax hæc sit inter nos; & dicemus.

Iesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Iesum ardenter quærite, Iesus resurgens,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Ejus amor ardet suaviter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.

tavi. Pax, quam Christus D. moriendo in cruce; & gloriose resurgendo à mortuis fecit, & quam discipulis suis reliquit; *est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris.* Ita loquitur S. Aug. ser. 52. de verbis Domini. omnia hæc expertus fuit S. Thomas. Ob pertinacem infidelitatem, mens ejus erat turbata, animus inquietus; cor ejus divisum in partes: credam, non credam; ideo separatus à Deo suo, sine amore erga mortuum Magistrum, sed, momento &c. (pulcram describe immutationem S. Thomæ.) Auditores amantissimi, eadem pax sit inter nos, sive ut Christus D. ait, *Pax vobis.* Universalis in tota Europa oritur applausus & gaudium, cum inter Reges & Monarchas post diuturnum bellum pax concluditur; in omnium subditorum mentibus oritur quædam serenitas & tranquillitas. Pacis meditatoribus, omnes boni apprecantur mille benedictiones; digni sunt omnium amore, & eo majori, quo hostes devicti fuerunt potentiores. Totius generis humani, hostis terribilis fuit infernalis Lucifer; sed sub pedibus Christi resurgentis devictus gemit. (sic de morte, peccato &c.) *Pax vobis*! id est, gaudete, exultate, jubilate. Animæ piæ, certæ de hoc articulo fidei nostra, de gloriosa Christi Resurrectione, ex aspectu gloriosissimorum Vulnerum; participes pacis, quam suo sanguine acquisivit, serenantur, tranquillantur, corde læto & simplici glorioso victori decantant lætum Alleluja, & millies ingeminant, victori agno, sit benedictio, laus, honor & gloria. In hoc mentis jubilo, unica illis voluptas est, & summa in terris consolatio, vinculo amoris alligari Christo, & amare Jesum. Auditores dilectissimi, eadem pax sit inter nos. Pax vobis. Vos quoque animo tranquillo &c. in pace amate Jesum gloriose à mortuis resurgentem.

§. 3. *Pace, & amore Iesu nihil desiderabilius, vel delectabilius.*

De pace alicujus regni, ait idem S. Aug. l. 19. de civit. Dei cap. 11. *Tantum est pacis donum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil melius inveniri.* Sicuti econtra, bello nihil est exosius. Salus, quies, prosperitas alicujus regni, est pax & concordia. Ruina, interitus, odia & discordiæ. Sic eadem dici possunt, & dici

& dici debent, de pace cujusvis animæ, quam nobis Christus D. comparavit, quod tantũ sit ejus donum, ut nihil animæ sit gratius, nihil ab illa possit concupisci desiderabilius, nihil melius inveniri; si præterea hæc pax necessario involvit amorem Jesu, verissimi sunt illi versus ex jubilo S. Bernardi.

Iesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel & omnia
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Iesus Dei filius!

Pax vobis, auditores! sit hæc pax inter nos; sit in cordibus nostris Jesus gloriose à mortuis resurgens, & jubilabimus, & cantabimus hoc paschali tempore, cum S. Bernardo;

Iesus dulcedo cordium!
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium!
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere.
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere!

quàm dulcis, quàm suavis, quàm desiderabilis sit hæc pax! Pax hæc sit inter nos; & dicemus.

Iesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Iesum ardenter quærite, Iesus resurgens,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Ejus amor ardet suaviter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.

 Sem-

Semper! sed præsertim paschali tempore. Sic tandem suum Jubilum concludit, mellifluus S. Bernardus,

Iesus in pace imperat, (p. hoc)
Quæ omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat;
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis & precibus,
Vt nos donet cælestibus,
Secum perfrui sedibus. Pax vobis!

§. 4. *Paci, paschali lætitiæ & amori Iesu adversatur quodvis peccatum mortale.*

Huic paci, huic amori, & lætitiæ inde exsultanti; verbo, lætitiæ & consolationi paschali, directè adversatur quodvis peccatum mortale; nemo sperat se participem esse posse pacis, quam Christus fecit, si cor intus rodatur à verme, cujusvis gravis peccati; nascitur ex tali vulnere necessario dolor, inquietudo, & quædam amarities: quod cum magna emphasi declaravit S. Petrus ep. 1. cap. 1. v. 2. ad Rom. 1. v. 7. dum enim Romanis pacem apprecantur, prius ajunt; *Gratia vobis! & pax.* Mentem Apostoli eleganter exponit elegans dictum Gregorii VII. à quo cum Henricus IV. hæreticus, hæres regni Galliarum, pacem & amicitiam peteret, dixit summus Pontifex; *Pacis conditiones non despexero, modo Henricus prius cum Deo pacem ineat.* Hæc est mens Christi D. resurgentis à morte. Omninò paratus est nobis communicare fructus sacrosanctæ suæ crucis, ideo pacem apprecatur! sed mei auditores; prius gratia Dei sit in cordibus vestris; oportet prius tollere semen & radicem inimicitiarum inter nos & Deum, necesse est ut prius eradicemus malum germen, odii divini erga nos; hoc requiritur, ut prius per paschalem Confessionem tollamus omne peccatum mortale; hæc in nobis debet esse serenitas & tranquillitas, ut cum Deo fecerimus pacem. In pace, in tali pacifico corde est locus & habitatio Jesu resurgentis. ibi oritur & fluit ille dulcis fons paschalis lætitiæ. ut Joannes Climacus animam quietam, ornatam gratia, eleganter vocarit *Thronum Christi*; Sponsus, *suum lectulum*: sicut vice versa, anima inquieta, ob peccatum mortale est thronus & habitatio diaboli; pax Christi facit nos tranquillos & quietos.

Atto-

Attonitus hæreo, cum lego Senecam gentilem philosophum ausum fuisse scribere sequentia l. de vita beata, cap.25. *Non ideo me dicam inter miserrima, miserum* (v.g. in fame, siti, nuditate &c.) *non ideo aliquem execrabor diem; provisum enim est à me, ne quis mihi ater dies esset*! & qua ratione? quo medio? *Pace*! ait. Epictetus suis discipulis dicere fuit solitus; hanc auream cordibus vestris imprimite maximam, nil esse utilius, quàm studere paci. Agnoscitis me Magistrum? mea itaque intentio est, vos reddere, homines tranquillos, pacificos, constantes, liberos, felices; ut quivis dicere possit de se, *nihil mali exterius mihi accidere potest, pro me non est fur, non est alta calamitas, in omnibus sum in pace.* Umbram tantum aliquam veræ pacis agnoverunt hi gentiles philosophi, quid dixissent, si tam fuissent felices, ut Christum D. Principem pacis vidissent in terris. Postquam Filius Dei venit in hunc mundum, postquam mortuus est in cruce, postquam resurrexit, quisquis hoc credit, dicere potest, *Non ideo &c.* (fiat pl. repetitio) quo medio? In pace, quam Jesus fecit! Christus resurrexit! in hac pace, si volumus, sumus homines, tranquilli &c. Eadem pax sit inter nos auditores! *Pax vobis*!

§. 5. Pax Christi, secum trahit, veram humanæ vitæ felicitatem.

Verũ, quomodo est possibile, ut mortalis homo in hac peregrinatione, in hac militia, in carcere hujus mundi, in tẽpestuoso pelago, inter tot fluctus, inter tot labores, inter tot hostes, inter tot spinas, sit sine metu? sine sollicitudine? sine timoribus? in continua pace! respondeo objectioni, cũ Seneca ep.44. *Summa beata vita, est solida tranquillitas animi, & ejus inconcussa fiducia.* O si talem fiduciam collocaremus in Christo D. resurgente! in qua viveremus pace! Tempore Justiniani Imperatoris Antiochia, celeberrima urbs, conquassata fuit terribilibus terræ motibus, corruebant muri, dejiciebantur turres, solo æquata fuere palatia; ingens totius urbis terror, & consternatio, ut in repentinis his casibus fieri assolet; donec jussu Imperatoris residuarum ædium portis inscripta fuere hæc verba; *Christus nobiscum! state*! mox cessarunt terræ motus. Et quid timetis auditores? nova bella? si nobis est pax, si Christus resurgens nobiscum

§ 6. Requiritur ad hanc pacem inconcussa fiducia in Christum.

biscum est, state! timetis pestem, si &c. Timetis fortassis diabolum! quem Christus vicit: qui nobiscum est, state. Summam habemus beatæ vitæ &c. inconcussa nostra in Jesu resurgente fiducia. Prov.10.v.30. *Iustus in at. non commovebitur.* Prov.12.2. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*

§.7. *Elegans dictum Senecæ.*

Illi, qui hanc pacem quærit, ait Seneca, *tantum opus est animo sano, & erecto, & despiciente fortunam.* addo ego, hoc paschali tempore, & amante Jesum gloriose à mortuis resurgente. Amatoribus Jesu, pax, quam fecit in cruce, quam stabilivit in resurrectionum. Seneca ep.20.vel.10. *huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis te ipso, & ex te nascentibus bonis, quæ potest esse felicitas Deo propior: redige te ad parva, ex quibus cadere non possis.*

§ 8. *Pax Christi & paschalis lætitia excludunt inordinatum amorem creaturarum.*

Hic advertite; hunc amorem, hanc pacem, sive paschale in corde jubilum, excludere inordinatum amorem creaturarum, & concupiscentiarum, quæ hanc pacem necessario interturbant. In bonis hujus mundi non reperitur verum gaudium, sed potius amaritudo. Pie quærit S. Chrysostomus hom. de negat. Petri, t.6. *Qua tandem de causa Dominus in cruce siti vexabatur, qui fecit ut prædura petra in stagnum abiret? quia nimirum quod scriptum erat, oportebat impleri: dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Talia sunt Iudaicæ vineæ torcularia. Etenim ex vinea Sodomorum, vinea eorum. Illorum siquidem torcularia, acetum, & amaritudo.* Ideo noluit gustare Christus D. Ite filii hominum; ite currite per prata hujus mundi, bibite ex cisternis Babyloniæ; fel draconis invenietis. *Non est pax, neque gaudium impiis!* *Nostra vindemia,* (ait S. Chrysost.) *dulcedo & immortalitas. Nostrum torcular, est SS. Crux; noster botrus Cypri, est Deus resurgens à mortuis, nostri fontes, sunt rosea ejus Vulnera! Vinum nostrum, est pax, gaudium, cum vocibus exultationis;* propterea dixit David ps.33.v.9, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.*

§.9. *Quomodo mundus tractet*

L.3. reg. c.22. v.27. ait Rex Israel de Michæa propheta. *Mittite virum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Talis scilicet est panis, tribulationis! talis est aqua,

aqua, angustiæ, talia sunt gaudia, quæ provenire possunt de manu hujus mundi. Carcer est! locus est famis, egestatis & tribulationis. Omnia mundi hujus bona, quibus gaudent vani filii hominum, etsi splendida, etsi magna videantur, parva sunt, quæ potius affligunt & angustiam creant famis atque sitis, quam ut veram afferant saturitatem. Ut ipsi fateantur! apud S.Greg. hom.36. in Evang. *Fastidio ergo nostræ dulcedinis tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem* (à Deo) *amamus, foris, miseri, famem nostram* cum magna afflictione, juxta illud Jobi c.20. v.22. *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* D.August. legit. *Cum putaverit, se repletum esse, coarctabitur:* & S.Aug. ibi. *Non tam satietas est, de plenitudine cupiditatum, quam pressura.* Is.c.48.v.22. *Non est pax impiis.* Forerius: *Omnia in malum eis cedunt. Et considerandum est improbos à se pacem, & veram tranquillitatem repellere; sequuntur enim affectus suos, qui nunquam sibi constant: seminant iniquitates, metuunt dolores.*

suos amatores.

Pax sit meis auditoribus! id est, *si ad illam* (sunt verba Richardi de S.Vict. ser. de Spiritu S.) *internam & supernam dulcedinem* (adde ego *cujus fons est* gloriosa Christi D. Resurrectio) *inhias; si ad veram & æternam suavitatem, suspiras, audi quid tibi divinitus promittitur & præcipitur. Dilata os tuum, & implebo illud. Certe si terrena oblectamenta esuris, si carnales voluptates sitis, melius est tibi, os tuum contrahere, quam dilatare. desiderium tuum restringere, quam extendere; cum nusquam locorum invenias, unde illud satiare, & illi satisfacere valeas.* In sola pace, quæ est in Christo Jesu, est vera quies.

§.10. *Modus acquirendi veram pacem.*

Aliud medium acquirendi veram pacem nobis suggerit sæpius citatus Seneca l.3. de ira c.26. *Unum est levamen malorum ingentium, pati, & necessitatibus suis obsequi.* ep.61. ait. *Itaque animum sic componamus, ut quidquid res exigit;* (nos Christiani hanc rem vocamus, voluntatem Dei) *id velimus.* Elegantissime locutus fuit Seneca, sed desunt illæ voculæ, exemplo Christi, sive versus: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam* suam Luc.24.v.26. Hæc pax sit inter nos, auditores,

§.11. *Alius modus.*

Pax


Pax vobis! ut in patientia vestra possideatis animas vestras. Hinc oritur paschale gaudium.

§. 12. *Effectus pacis, quam Christus fecit & nobis apprecatur.* Redeo ad prima mea verba, Pax, quam Christus fecit, sit inter nos. *Pax*, quam Christus D. nobis apprecatur, sive gratia ut Apostoli loquuntur, *gratia & pax sit vobis, in Christo Iesu*, non tantum est Christi D. erga nos benevolentia, & favor, sed omne illud, quod ex illo, utpote non inani, sed liberali, & efficaci, sequitur, scilicet, omne gratuitum Dei beneficium, quo homo dirigitur ad salutem, qualia sunt fides, spes, caritas, virtutes, earum augmenta, remissio peccatorum, illuminationes intellectus, impulsus voluntatis ad piam vitam, bona opera, in illis perseverentia; quies deinde conscientiæ, ut quę ante pascha cogitatione scelerum, & terrore Dei fuit perturbata, jam peccatis per sang. Christi remissis in quiete sit, & quieta Deo serviat; &c. Pax vobis auditores! hoc precor &c.

§. 13. *Prosecutio.* Hæc est illa pax, ait S. Hier. qua mens nullis passionibus perturbatur; sancta enim anima, sentiens his paschalibus feriis per Christi D. passionem & mortem, se liberatā à terrore peccatorum, & pœnarum, mira animi pace & tranquillitate perfruitur, ut in externas Dei laudes erumpat, cum Regio Psalte, *Confitemini Domino &c.* Hæc pax tantum est bonum, ut exuperet omnem sensum, ut Apostolus loquitur ad Philip. 4. 7. & hodie expertus fuit S. Thomas. Hæc pax, est illa reconciliatio, quam fecit Deus cum hominibus, quando olim eis iratus jam per Christum factus est placatus. Unde Christus dicitur, *pax nostra* id est, causa pacis. De qua cecinerunt Angeli in ejus Nativitate, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Et hæc pax exuperat omnem sensum, id est, intelligi non potest, qualis & quanta sit hæc pax. Hæc sit inter nos!

§. 14. *Prosecutio.* Hæc pax magnam in justo inducit confidentiam, & ex ea magnanimitatem; qui enim scit se pacem habere cum Deo, se esse in Dei gratia, imo Dei amicum & filium, se Deum habere Patrem; Patrem, inquam, amantissimum, qui summam filiorum suorum curam & providentiam gerat; omniaque eis faciat cooperari in bonum, ad majus gratiæ & gloriæ meritum. Si præterea

terea talis sit particeps paschalis gaudii, si memor sit gloriæ, qua Christus D. resurrexit à mortuis, cum spe se illi aliquando in gloria fore similem; quisquis inquam hæc serio cogitat, & perpendit, hic Deo totus confidit, illi se, suaque omnia committit; Hæc pax sit inter nos, firma & stabilis. Christus illam fecit Is. 32. v. 27. *Et erit opus Iustitiæ* (p. per Christi D. passionem) *Pax, cultus justitiæ, & sedebit populus meus in pulcritudine pacis.* alia lectio. *in civitate pacis*. fac p. epilogum; ps. 118. v. 165. dixit psaltes, *pax multa diligentibus legem tuam.* Dico ego hodie pax multa diligentibus Jesum gloriose à mortuis resurgentem! triumphantem: meque è durissima Pharaonis infernalis servitute liberantem, & in promissam terram reducentem.



CONCIO XXII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus.

Joann. 10. cap. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. est Pastor bonus, quia suas oviculas ereptas ex faucibus infernalis lupi, pascit & nutrit delicate!

§. 1. *Christus D. est Pastor bonus, qui suas oviculas eruit ex ore leonis.*

§. 2. *Erutas pascit delicate; cujus figura fuit convivium Asveri.*

§. 3. *Pascit illas carne sua, & potat suo sanguine in Eucharistia.*

§. 4. *Vnde oriatur & scaturiat suavitas potus Eucharistici.*

§. 5. *Quo fructu Ovicula Christi ita pascantur, & potentur.*

§. 6. *Quomodo bonus Pastor, Christus D. suas oviculas pascat adipe frumenti ex* ps. 147.

§. 7. *Oviculæ, sic pastæ roborantur,*

§.1. *Christus D. est pastor bonus, qui suas oviculas eruit ex faucibus leonis.*

INter elogia, quibus Jesum gloriose à morte resurgentem magnificamus, non postremum est illud, quo in hodierno Evangelio se ipsum vocat bonum Pastorem. Figura fuit generosus David, qui adhuc pastor l.1.Reg.cap.17.v.34.dixit ad Saul, *pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis. Et persequebar eos, & percutiebam & eruebam de ore eorum.* Quanta fortitudo Davidis, & Pastoris in eruendis suis oviculis ex ipsis faucibus bestiarum? Illam, in gloriosa Christi D. resurrectione, iterum *germinare fecit Dominus*, quod promiserat per Jeremiam cap.33. v.15. in Jesu Salvatore nostro: nam, ut D.Ephrem ait l. de pœn. *David arietem de ore ursi eruit, ut divina in eo demonstretur bonitas. At quisnam hic ursus? Iniquitas? Et quis aries? latro in cruce propter iniquitatem affixus. Qui cum solum verbum loqueretur, sicut David arietem, ita & Christus ex mortis faucibus, latronem exemit & liberavit.* Et quisnam leo? nunquid diabolus? quis aries? an non totum genus humanum, sed David! sed Pastor bonus! sed fortis vir qui nos ex tartari faucibus eripuit, est Christus D. gloriose resurgens à mortuis. Quod Amos prædixit c.3. v.12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis* arietem vel oviculam, *sic eruentur filii Israel.* D.Cyr. Al. ibi. Humanum genus Satanas rapuerat ac devoraverat atrocius, quam immanes belluæ solent. Sed apparuit & occurrit Pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, & *eripuit nos, qui jã eramus mortui, nã ut ait* ps.57. v.7. *Molas leonum confregit.* Fortis Pastor ut ulterius probet se esse bonum pastorem, erutas & liberatas oviculas, pascit delicate. Quod hac concione vobis fusius exponam.

Chri-

Christus D. est pastor, qui oviculas suas ducit ad pascua pinguia, & pascit eos suaviter. Figura fuit convivium Asveri, de quo ait c. 1. Esth. v. 3. *Fecit grande conviviũ ut ostenderet divitias gloriæ regni sui.* Et Christus D. gloriose à mortuis resurgens, ut ostendat divitias sui amoris, suæ liberalitatis &c. ut ostẽdat se esse bonum pastorem, suaviori convivio delicatissimè pascit suas oves. Conc. Trid. *Salvator discessurus ex hoc mundo, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris, velut effudit.* Delicatissime pascit enim oviculas. Suaviter D. Laur. Justin. opusc. de cont. mundi cap. 13. ait: *Sponsus*, dico ego hodie pastor bonus, *se præbet benevolum; suos pascit, atque inter eos, tanquam inter lilia, ipse potatur & pascitur.* In mensa aliqua regia suavissimè sapiunt illi cibi, quos Rex ipse gustat, & gustatos regia manu suis offert, hoc fecit Christus D. p. Versum illum c. 6. Cant. v. 16. *Qui pascitur inter lilia*, sic legit Symmachus. *Qui pascit flores.* super quæ verba Theodoretus ait, *eos qui facti sunt lilia, pascit*! dicamus ex hod. Eu. candidas oviculas, *& eos qui digni sunt, pascit in liliis.* Animæ piæ! estote oviculæ! estote lilia! candidi, immaculati &c. non deerunt pascua bona plena liliis, plena rosis, plena cœlestib. solatiis &c. Eleganter hic Guilh. Ab. *Lilia agri, electi homines sunt; lilia cœli, sancti Angeli: Vtrique nitent & redolent: sed angeli purius nitent, & suavius redolent, donec lilia agri, manu sponsi collecta cælestibus liliis socientur.* Erimus aliquando participes gloriæ resurr. Inter cœli lilia comitabimur agnum &c. Interim tamen dum remanere cogimur in hac valle lacrymarum, inter spinas, cœlestis sponsus, & pastor lilia, sive oviculas delicatissime pascat.

§. 2. Erutas pascit delicate: cujus figura fuit convivium Asveri

Panem vel cibum, quo pastor bonus pascit suas oviculas, potum, quo illas potat, super verba Christi D. *accipite & comedite &c.* paucis verbis explicat D. August. ser. ad Neoph. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere.* Quo cibo dulcius, quo potu suavius suas oviculas cibare & potare potest? de convivio Asveri dicitur. *Vinum quoque magnificentia regia dignum erat abundans & præcipuum.* Septuaginta legunt: *Vinum multum, & suave,*

§. 3. Pascit illas carne sua & potat sanguine suo in Eucharistia.

quod ipse Rex bibebat. P. Serrarius putat fuisse vinum Chalibonium, hebraice dictum, Cheleb, id est, lacteum; ea enim erat suavitate, quæ lactis dulcedinem & pinguedinem referret. Quo spectans Isaias exclamavit, cap.55.v.1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac.* Ad aquas invitat, & ecce statim offert vinum, & lac, sive suavissimum potum. Sic sponsus ait Cant.5.v.1. *Comedi favum meum, cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Græcus textus ait, *comedi panem meum cum melle meo.* Et quis non advertit in his locis, panem, favum, mel, lac, aquam, vinum, proponi tanquam symbola, dulcissimi panis, & suavissimi potus, quo bonus pastor, in Eucharistia, sive in Sacramento altaris, suas oviculas, quoties volunt, cibat & potat delicatissime! pane, favo, melle, vino, lacte.

§.4. *Unde oriatur suavitas potus Eucharistici.*

Scaturiginem tantæ dulcedinis in hoc potu subtiliter advertit Rupertus l.2. cap.29. super illa verba Genesis c.2. v.10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum; qui inde dividitur in quatuor capita.* Insinuat sacra scriptura, aquas hujus fluvii, antequam egrederentur ex paradiso, fuisse aquas maris, proinde amaras & salsas; unde ergo subito factæ sunt suaves & dulces, quales sunt aquæ paradisi. Respondet cit. Rupertus. *In hoc miram terræ paradisiacæ commendare intendit dulcedinem; quia videlicet aquarum natura salsa est, nec potui habilis: sicut in semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abysso in illam quasi terræ mammam, id est, paradisi fontem, quodammodo lacteam assumit dulcedinem;* Venite oviculæ! illum sequimini pastorem, qui vos deducit ad fontem paradisi! imo ipse, est ipse fons omnis dulcedinis, dulcis terra paradisi est delicatissima ejus caro: terra est corpus ejus &c. Regiis mamillis, sanguine dulcissimo stillantibus, suos pascit. Pulcre D. Greg. Nicænus hom. 10. in Cant. *Ei, qui quærit nutrimentum, fit panis, qui non amplius comeditur cum lactucis agrestibus, ut lex jubet, sed ex se ipso mel efficitur. Ei autem qui sitit, fit vinum & lac, non spongia felle & aceto imbuta, quam Hebræi per amaritudinem porrexerunt suo benefactori.*

Terra

Terra paradisi fuit quasi mamma, in qua aquæ factæ sunt dulces. Mamma boni pastoris est dulcissimum ejus cor, & apertum latus, ex quo fonte in cruce, tam dulces effluxerunt aquæ, quibus in Eucharistia à bono pastore suavissime lactamur.

Fructum advertit Paschasius l. de corp. & sang. Domini c.21. Legimus *in Salomone, quod sapientia miscuerit vinum suum, quod sane vinum est illud, quod refunditur ad altare. Ideo fit!* (id est ideo Christus D. instituit Eucharistiam) *ut sanguis Christi, inde pro nostris exhauriendis quotidie peccatis, rursus in pretium nostra sumatur Redemptionis, & interior homo noster, per hoc plenius innovetur.* Agnus Dei quotidie in missa rursum effundit suum sang. p. ideo cum subinde contingit ut oviculæ fiant scabiosæ, vel ut à lupo vulnerentur; tum boni pastoris officium est, ut tales oviculas lavet, & sanet. Oviculæ Christi scabiosæ, tot lethaliter vulneratæ, mundantur & sanantur, precioso sanguine Christi in Sacramento pœnitentiæ, sed plus ultra procedit amor optimi nostri pastoris; non sufficit ipsius caritati, ut mundæ sint oviculæ &c. sed vult ut eædem sibi conjungantur, non modo moribus & vita, verum etiam & unitate naturæ, per corpus & sanguinem ejus, per divinum, cœlestem & angelicum cibum quem in Eucharistia nobis reliquit. D. Leo ser.11. de pass. *Fudit sang. justum, qui reconciliando precium esset, & poculum.* Inde fit, *ut in illius forma inveniamur.* O felices oviculas! quæ delicate pastæ & potæ inveniuntur in forma pastoris. Pastor noster, mansuetus est & suavis; tales esse debemus oviculæ! Pastor noster, humilis est &c. Pastor noster bonus, tenerrimè amat suas oviculas; ut vicissim ardentissimè amemus tam bonum pastorem.

§. 5. Quo fructu oviculæ Christi ita pascantur & potentur.

Psal.147.v.14. David ait de nostro pastore, quod suas oviculas *satiet adipe frumenti.* ubi Pasch. quærit l. de corp. Domini cap.9. *Quod hoc frumentum? corpus videlicet Christi adipem habet; & non solum adipem, sed & omnes delicias. Ita & potus sanguinis! Vnde quod de petra typice manavit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur; quia quidquid prægustare spiritualiter potueris, hoc totum ibidem invenies.* Audivisti aliquando ex

§. 6. Quomodo pastor bonus suas oviculas pascat, & satiet adipe frumenti ex ps. 147.

c.32. Deuter.v.13. *ut populus sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo?* ex c.8. Deuteron.v.15. *eduxit rivos de petra.* ex 1. Cor. c.10.v.1. *eundem potum spiritalem biberunt, consequente eos petra.* Sic petra, quæ figura fuit Christi D. & mel, & oleum, & aquam, & potum dicitur exhibuisse, ut innuatur, quàm delicate bonus pastor Christus Jesus pascat, nutriat, & potet suas oviculas. D. Zeno l.3. *Illis sitientibus petra fluxit in poculum. ad Christi fontem qui biberit, in æt. sitire non novit. Illis in deserto suavitas lactis & mellis exhibita est: nobis vero quod plus est, melle dulcior & lacte candidior æternæ vitæ beatitudo Dei retribuetur in regno.* O felices oviculæ. monet Julius Firmicus; *Christi panem, Christi poculum quærite, ut immortali pabulo saginemini:* quo verbo etiam usus est cit. D.Pasch.c.10. *Ideo, speciem vini jure tenet in sensu, dum spiritualiter sanguis potatur in mysterio; quia hinc lætificamur spirituali lætitia ad gaudium; hinc vero de morte redimimur ad vitam, & precio salutis nostræ interius saginamur.* Cum in cruce à Longino lancea fuit apertum sanctissimum latus & cor Christi, *continuo exivit sanguis & aqua.* Joan.19. vers.34. circa quæ idem Pasch. c.11. *Quod tunc de carne fluxit, hoc nunc credentes in calice bibunt, caro quidem datur in cibum; sanguis & aqua in potum; ut quod simul de latere manavit, hoc totum homo* (vel ovicula) *bibat;* (causas advertite) *ut si quam peccati maculam post fontem traxit, habeat in hoc undam veniæ, qua diluatur: & precium suæ redemptionis, quo unusquisque redemptus de die in diem rursus renovetur, & simul cibum & potum, quo saginetur, lactetur & delicate pascatur.* D. Ambr. de instit. Virg. c.14. *Hoc cibo, homines, perpetua cœlestium munerum esca saturantur.* D.Cyr. Alexand. in Is. c.65. *Accedentes ad vivificam mensam,--panem vitæ edentes, & divinum potum bibentes, vere deliciantur supernis benedictionibus saginantes corda sua, unde supernæ voluptatis fiunt participes.* D.Nyss. h.10. in Cant. *Sic inebriantur ex ubertate domus, & potantur torrente deliciarum.* Ad tales torrentes bonus pastor ducit suas oviculas.

§ 7. *Oviculæ sic pastæ roborantur, ut* — Eodem dulcissimo cibo, & suavissimo potu, ita roborantur, ut infernalem lupum non timeant, sed facillimè vincant. D. Ignatius M. ep.11. ad Philip. date operam, ut crebrius convenia-

veniatis ad Eucharistiam, cum enim assiduè in idem conveni-*non timeant infernalem lupum.*
tis, destruuntur vires Satanæ & irritæ ejus revertuntur sagittæ ignitæ ad peccatum. Nam certum est sanguinem Christi diabolis esse terribilem. Exod. 12. v. 6. *Immolabitis eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, & ponent supra utrumque postem; transibit enim Dominus percutiens Aegyptios, cumque viderit sanguinem in utroque poste, transcendet ostium &c.* D. Cypr. or. de pass. *Iam videmus quod sanguis Christi efficacius, quam sanguis agni illius, quem in Aeg. Israel immolavit, contrarias abigat potestates; cujus hodie tanta est auctoritas, & potestas, ut solum sacramenti signum repellat dæmonia, & ubicunque conspecta fuerit, terribilis sit eis. Sacri nominis virtus, & sanguinis nota.* Petrus Dam. ep. ad Blancam. c. 3. super verba sponsi Cant. 4. v. 11. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua. Hujus corpus & sanguinem in ore carnis sæpius suscipe, ut hanc ejus vocem merito possis audire, Favus distillans labia tua. Terretur enim adversarius, cum Christiani* (dicamus hodie, oviculæ) *labia, videt Christi cruore rubentia. Agnoscit enim præsto, suæ perditionis judicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus est, & obtritus, non tolerat instrumentum. Christus ergo per mysterium suum tibi videatur in ore.* Oviculæ Christi, candidæ, ob vitæ innocentiam; rubicundæ ob sanguinem ejus, infernalis lupus nocere non potest. Julius Firm. O hydra.--*mortis tuæ viam didicimus: scimus quibus remediis artis tuæ venena vincantur. Christi immortalem sanguinem bibimus: nostro sanguini Christi sanguis adjunctus est, hoc est salutare remedium quo mortiferum virtus excluditur.*

§ 8. *Sed caveant, ne deserant bonum pastorem, cum magnis periculis.*

Caveant verò oviculæ, ne deserant Christum. Relinquentes suum pastorem, relinquunt securitatem; relinquunt vitam, fugiunt in mortem; relinquunt lucem, & ingrediuntur tenebras; dulcedinem, & intrant amaritudinem; relinquunt fidum amicum, & inveniunt hostem; infernalem lupum, à quo dilacerantur. De his oviculis conqueritur dominus per Jerem. c. 2. v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non volunt aquas.* Cum sponsa de tali abitu cogitaret, dixit illi cœlestis pastor Cant. 1. v. 7. *Si ignoras*

ignoras te O pulcerrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum; & pasce hædos tuos. Favus distillans labia voluptatis; *novissima autem illius amara, quasi absynthium.* Prov.5.v.3. Flores in pascuis hujus mundi, videntur stillare mel; in novissimis, amariores felle inveniuntur. S. Chrysost. hom. 3. de verbis Is. *Ne spectes ovicula temporariam voluptatem, nam illa inflicto vulnere plerumque celeriter avolat, at vulnus non avolat, sed plerumque manet & interficit.* O infelices oviculas, quod Christum deserunt; mutantur tandem in porcos, qui amplexantur stercora, quæ instar vermium in cœno & voraginibus, nempe, voluptatum fluentis volutati, stolidis pascuntur deliciis; suilli homines: sues enim cœno magis delectantur, quàm aqua munda &c. donec in sordibus plane submergantur, ut illi porci, in quos permittente Christo intraverat diabolus , se præcipitarunt in mare.

§.9. *Bonus pastor Christus D suas oviculas deducit, ut quondam Deus populum ex Æg. in terram promissionis.*

Sed redeo ad bonum pastorem , & ejus oviculas. Dum regius Psaltes ps.77. beneficia populo collata commemorat, in exitu ex Ægypto inter alia ait v.13. *Interrupit mare & perduxit eos- interrupit petram in eremo , & adaquavit eos , velut in abysso multa, & eduxit aquam de petra, & pluit illis manna ad manducandum.* Hi versus mystice nobis describunt, quomodo bonus pastor deducat suas oviculas. Ibant Israelitæ, & tres ingentes illis occurrerunt difficultates; ne ultra procedere possent. Passi sunt imprimis impedimentum maris; sed ad eorum conspectum, fluctus divisi expeditissimam illis præbuere viam Rursus patiebantur ardentissimam sitim;& ecce arida petra dulcissimas illis propinavit aquas. Cum paulatim cibi deficerent, aër incepit pluere manna. Sed unde mare, & petra, & aër, inanimatæ creaturæ, tam fuerunt promptæ, ut Israelitis in illis necessitatibus succurrerent, mysteriosis verbis respondet Sedulius l.1. paschali cap.10. *In his tribus in mari, in petra, in manna, magna annuntiata fuerunt sacramenta Mysterii, sive sacrosanctæ Eucharistiæ. Christus fuit in pelago, Christus in saxo, Christus in illo pane Angelorum.* q. d. Non miremur dividi mare rubrum; non miremur petram fundere rivos, panem de cœlo cadere; figuræ

figuræ fuerunt hæ creaturæ optimi nostri pastoris Christi Jesu! Oviculæ! si in itinere per Ægyptum hujus mundi, vobis occurrat mare, si vos insequatur infernalis Pharao, nolite timere, pastor bonus & fortis in eodem mari illum submersit. Rubrum mare divini cruoris brevem & certam viam vobis præbet ad cœlum. Oviculæ: nolite timere sitim; pastor vester, petra est, non aquas tantum stillans, sed sanguinem, cum sanguine oleum lac & mel. Minus timete famem; manna nobis reliquit in Eucharistia.

Iterum hic mihi occurrit quædam querela de certis oviculis, de quibus ait D. Cypr. ser. de cœna Domini: *Lambunt aliquæ hanc petram; sed inde nec mel sugunt, nec oleum, quæ nec aliqua caritatis dulcedine, nec Spiritus S. pinguedine vegetantur* (tam delicatæ paitæ!) accedunt enim corde siccæ, & mente aridæ &c. In corde sicco & arido, etiam manna & sanguis Christi nihil proficiunt. Sicut enim aqua diffluens, quascunque reperit herbas virentes, eas irrigat & potat; quas autem aridas invenerit, iis nihil proderit. *Sic etiam hic est cogitandum.* §. 10. *Alia querela contra quasdam oviculas.*

Restat, ut unum adhuc moneam. S. Basilius l. 9. Exam. ait: *Oves accedente hyeme pabulum copiosius, affectuosiusque ventri ingerunt; perinde quasi viaticum providentes pro indigentia cibi futura; &--non eandem O homo adhibebis diligentiam? non hoc præsenti tempore, fruges tibi recondis?* In hoc prudentissimæ Oviculæ meo judicio sunt sodales Christi in cruce Agonizantis &c. excurrat Epilogus in laudem menstruæ communionis, & ad obtinendam felicem mortem, & ad succurrendum oviculis, quæ ardent in flammis purgatorii. §. 11. *Laus menstrua communionis.*



CONCIO XXIII.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum.

Joann. 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OMnia bona hujus mundi, sunt Modicum.

§.1. *Aspectus florum suggerit nobis varias pias cogitationes; præsertim de Modico.*

§.2. *Honores, voluptates &c. sunt rota.*

§.3. *Omnia in hoc mundo sunt in continuo motu.*

§.4. *Sententia Copernici de motu terræ.*

§.5. *Filii hujus sæculi, moventur in modum trochi.*

§.6. *Instabilitatem fortunæ expertus fuit infelix Absalon.*

§.7. *Et Eutropius Romanus: ex S. Chrysostomo.*

§.8. *Agnovit Philippus II. Hispaniarum Rex.*

§.9. *S. Paulus declarat pulcro simili.*

§.10. *Aliud simile, desumptum à mari, & navibus Tharsis.*

§. 1. *Aspectus florum suggerit nobis varias pias cogitationes præsertim de modico.*

AMore & benevolentia prosequor illos, qui hoc Majali, vel verno tempore, aspectu & intuitu pulcherrimorum florum oblectantur. Negare non possum me quoque in illis summam reperire recreationem. Flosculi, *germinantes de profundo nimio* (Sap. 19. v. 8.) divinæ potentiæ, & pulcritudinis, simul specula sunt, in quibus pulcritudinem creatoris, intuemnr. Flosculi: licet irrationales sint, licet sensu careant, suo tamen colore, odore, forma, varietate; verbo, toti,

roti, quanti ſunt, dies noctesque factorem ſuum laudant, & deprædicant, noſque monent, ut idem præſtemus. Floſculi! animis noſtris plurimas ſuggerunt ſanctiſſimas cogitationes. Si v.g. regius aliquis hortus, plenus floribus, in terris, in hoc exilio, in hac valle lacrymarum, locus eſt tam amœnus, ſuper rivos & flumina Babylonis; qualis locus erit cœleſtis paradiſus. Floſculi, vocem non habent, clamant nihilominus, pulcrius nobis eſt cœlum; longe pulcrior, qui nos fecit! Clamant, ipſum amate. Nolo inhærere modo ſimilibus cogitationibus: hoc adverto, hos floſculos hoc tempore clariſſimè nobis exponere, veritatem doctrinæ, quam Salvator noſter in hodierno Evangelio nos docuit, ſcilicet, omnia bona hujus mundi eſſe tranſitoria, & durare *Modicum*. Rubet roſa; *modicum*! floret viola, *modicum*! candicant lilia convallium. !*Modicum* &c. In meis concionibus hodiernæ Dominicæ, ſoleo variis metaphoris hanc voculam, *Modicum*, elucidare; quod dum & modo, præſto, rogo ut me benevole audiatis.

Pſalmo 82. v.14. ait David; *Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Continent hæc verba hanc maledictionem; vel pœnam ſuper impios, & ſceleratos ut illorum felicitas in hoc ſæculo, ut divitię, ut honores, ut voluptates, quas amant, non diu durent, ſed cito pereant, & tranſeant, ſimulque innuit metaphoris rotæ, & ſtipulæ, hunc mundum, eſſe globum, vel rotam quæ in continuo eſt motu, aſcendit, deſcendit, currit, movetur: ſimilis rotæ Fortunæ, cui felicitas & omnis proſperitas hujus mundi inſiſtit. Soraſtes Rex Ægypti (teſte Nicephoro l.18. c.29.) domitis variis hoſtibus, triumphalem ſuum currum trahi voluit, non ab equis vel leonibus, aliiſque animalibus, ſed à quatuor captivis Regibus, inſolito ad illum diem ſpectaculo. Advertit Soraſtes, unum ex illis, fixis & immotis oculis aſpicere rotam currus; cauſam interrogatus reſpondit; Rex potentiſſime, & feliciſſime; cum ſtupore admiror rotam, cum ea inſtabilitate perpetuo volui, nunc quidem ſublimia demittentem rurſus autem demiſſa ſublimantem, conſpicio: quo dicto arrogantem Regem monuit fortunæ

§. 2. Honores, voluptates &c. hujus mundi ſunt, Rota.

Hh 2 proſpe-

prosperæ non nimium esse fidendum; nihil stabile & constans in hoc mundo.

§. 3. Omnia in hoc mundo, sunt in continuo motu.

Cœli, dies noctesque moventur de Oriente in Occidentem; ex Occidente in Orientem: cum globis cœlestibus moventur sol, luna, stellæ. Elementa continuo inter se mutantur, per alterationes, generationes, mixtiones, ut loquuntur philosophi. Terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem. Fluvii currunt ex mari, simul eodem redeunt. Simili & majori mutationi subjecta sunt, regna, imperia & Monarchiæ hujus mundi. Coronæ, sceptra, purpura, jacent in rota. Monarchia præcipua, à Medis instar globi vel rotæ, cucurrit ad Persas, à Persis ad Assyrios, ab his rursus ad Persas, deinde ad Græcos; à Græcis ad Romanos, à Romanis ad Gallos, à Gallis ad Germanos; apud hos subsistit hactenus; sed currens, de familia ad familiam; Archiduces, Duces, Principes, Comites, fuere Imperatores; utinam placeat superis, ut S.R. Imperii globus in augustissima Domo Austriaca, firmetur, & stet, usque ad consummationem sæculi.

§. 4. Sententia Copernici, de motu terræ.

Communis & certa est Mathematicorum opinio, cœlos moveri, terram esse immobilem. Copernicus, docuit contrarium; videri nobis tantum, moveri cœlos, sicut qui in navi est, putat moveri littora, montes, valles, arbores, oppida, urbes, non ipsam navim. Doctrina hæc damnata est ab Ecclesia. Verum alio sensu est verissima. Cœlum, sive bona cœlestia, stabilia sunt & æterna, solida, & subsistentia; incorruptibilia, nulli mutationi subjecta, duratura Æternum! Terra verò & mundus, bona terrena, honores, divitiæ, voluptates, ipsa mutantur, currunt, instar rotæ, vel globi, nunquam consistunt, nisi *Modicum*.

§. 5. Filii hujus sæculi moventur in modum trochi.

Deus meus, pone illos ut rotam. In græco à septuaginta posita est vocula τροχόν, in hebraica, *Galgal*; quæ voculæ significant illa omnia, quæ aguntur in circulum, v. g. trochus, paleæ, stipulæ, plumæ à vento impulsæ per aërem: proinde Rabbi Kimchii citatum versum sic legit, *Turbina eos, pone eos sicut glumam, quæ per aerem vento raptatur*, vel, *quam projicit ventus à facie terræ*, Ge-

ra, Genebrardus sic vertit. *Torque eos in modum trochi, quomodo trochus solet torqueri à pueris. Jacta illos, ut super terram Sphæra, vel globus jactatur.* Virgilius l. 6. Æn. hoc simili fuit usus, dum vagabundam descripsit fœminam

Immensam sine more furit lymphata per urbem,
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Curvatis fertur spatiis &c.

O Reges: O Principes! O Alexandri! O Cæsares! ubi estis? ubi vestra gloria? ubi pompa? turbinavit vos altissimus! *modicum* durarunt omnia: fuistis glumæ, trochi, rotæ, stipulæ! O divites! nolite fidere divitiis! fortassis post *modicum*, jactabit, torquebit, turbinabit vos Dominus. Cavete, rotæ insistitis, &c. pulcrè Boetius l. 2. de confess. prosa.1. *Hunc continuo ludum ludimus; rotam volubili orbe versamus: infima summis; summa infimis, mutare gaudemus. Ascende si placet; sed ea lege, ne descendere injuriam putes.*

Aureum currum fortunæ, felicitatisque sibi ascendisse visus fuit Absalon. Rota una fuit, aurea juventus floridissimi Adolescentis, & heroicus excelsusque ipsius animus. Altera rota fuit, populi, militumque favor. Tertia, ambitio; quarta, spes certa imperii; in hoc curru, cum his rotis, rectissima via videbatur sibi currere ad culmen imperii: Eheu! post *modicum* à volubili fortuna, hic currus, mutatus fuit in mulum, in quo, dum post infelicem pugnam fugit in sylvam, viridis & amœna quercus facta est patibulum, mulus scala, proprius capillus, funis & laqueus, Ventus, lictor; id est, aureum festinantis capillum elevavit ventus & ramo arboris circumvolvit tam fortiter, ut evadente bestia, penderit medius inter cœlum & terram, donec accurrens Joab, triplici lancea transfixit pectus infelicissimi adolescentis. Qui infelicem arborem transibunt, fortassis in tabella pro epitaphio apponent has voculas, *Rebellio punita.* Fortassis alii, *Arrogantia humiliata, &c.* ego apponam hanc voculam; *Modicum.* Felicitas Absalonis non diu duravit. Justus Deus brevi illum posuit, ut rotam. Turbinavit illum fortuna, ut stipulam, vertit ut trochum, jactavit ut globum, percussit ut

§. 6. *Instabilitatem fortunæ expertus fuit infelix Absalon.*

 pilam,

pilam, fregit ut vitrum, contrivit ut testam. S. Augustinus tr. 7. in Joannem. Sic, *post modicum transeunt omnia, avolant omnia! væ qui amant talia*;

§. 7. Et Eutropius Romanus. Ex S. Chrysost. Eadem metaphora celeris cursus, & prætentionis sive transitus, usus fuit Oseas cap. 10. v. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Hebræa lectio sic habet. *Sic evanuit Rex Samariæ, sicut spuma super aquam.* id est, sicut bullæ sicuti globuli super mare vel aquas, quæ mox inflantur, mox evanescunt. Quæ similia placuere S. Chrysostomo, cum Eutropio cuidam has quæstiones proposuit (fuerat summus apud Imperatorem Arcadium, sed paulo post de summo felicitatis apice dejectus in profundum miseriarum.) *Vbi nunc inclytus ille Consulatus splendor? ubi applausus illi & choreæ, epulæque, & festi conventus? ubi coronæ & aulææ? ubi strepitus urbis? & illæ Circensium spectaculorum faustæ acclamationes, & adulationes?* His quæstionibus à se propositis ipse S. Chrysostomus quasi cum risu, & vanitatis explosione in hunc modum respondit. *Omnia illa perierunt, procella vehemens folia dejecit, arborem spoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem. Omnia illa nihil, nisi nocturnum somnium fuerunt. Flores fuerunt verni: Vmbræ erant & præterierunt, fumus erant, & soluta sunt; bullæ erant, & disrupta sunt, araneæ erant, & lacerata sunt.* Addo ego, ex citatis locis, Rotæ fuerunt, rotæ fortunæ, & fractæ sunt, vel alio cucurrerunt; honores &c. sunt pilæ, & trochi, quibus ludit fortuna. Proinde ex his metaphoris facilè intelligere possumus sensum hujus voculæ, Modicum. Divitiæ sunt modicum, quia sunt nocturnum somnium. Honores, modicum; evanescunt ut bulla (est locus pro p. repetitione.)

§. 8. Agnovit Phil. II. Hisp. Rex. Agnovit sapientissimus Philippus II. Hispaniarum Monarcha. Cum videret se mori, mortuali tumbæ, quam exemplo Parentis Caroli V. dudum jusserat parari, ante regium lectum voluit imponi, veluti mensæ, hinc regiam Coronam & Sceptrum, hinc Calvariam; tum advocato Filio Primogenito Philippo III. tot regnorum Heredi dixit, astante corona Procerum Hispaniæ; *En! aspicite in hoc afflictissimo corpusculo,*

quam

quam tenui filo pendeat pompa & splendor magnitudinis humanæ, Vos ex me rerum humanarum instabilitatem, & miserrimam vitæ conditionem reputate. Et paulo post regiam animam tradidit in manus Regis æterni; qua suprema concione & valedictione astantium animis firmissimè impressit agnitionem hujus veritatis, vel voculæ, *Modicum.* Utinam & nos, dum oculos hinc conjicimus, in coronas, in sceptra, in flores &c. ex altera parte respiciamus demortuorum Regum Calvarias, quæ muta & ossea lingua, vel potius, tristi spectaculo, altum inclamant, *Modicum!*

Bona sive res hujus mundi, sunt similes vehementi fluento, quod nunquam vult consistere: sed fertur festinans ad declive, ait S. Chrysostomus; S. Gregorius in l.1. reg. c.12. *Vana sunt gaudia hujus sæculi, quasi mentientia blandiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt.* Bina hæc verba, transire & decipere sic explicat S. Paulus 1. Cor. 7. cap. v.31. *Præterit enim figura hujus mundi*; alia lectio habet, *Decipit.* Insinuat Apostolus duo pulcra similia. Instituitur v. g. in aliqua solennitate magnifica Processio; circumferuntur in illa, Vexilla, statuæ, cerei, faces, sceptra, coronæ, tumbæ reliquiarum ornatæ floribus. Comitantur terrestres Angeli, formosi Ephebi, ornati splendide, nihil dicam de Musicorum choris, de tubicinibus &c. De tali Processione propriissimè dicitur transit. Vexilla transeunt; statuæ transeunt &c. Intra unam alteramve horam, post modicum tempus, dicimus, præteriit Processio. Idem verissimum est, de quavis jucundissima Comœdia, distributa in suas scenas. qualis sæpe apparatus? qualis splendor? qualis pompa? sed præterit prima scena; præterit altera &c. post modicum tempus, præteriit tota figura hujus Comœdiæ. Finiit. Similes Processiones, & Comœdias, quotidie ducit & ludit fallax hic mundus. Superbia, Voluptas, Plutus &c. apparent cum suis vexillis: Incurrunt oculos nostros aureæ statuæ Nabuchodonosoris. Progreditur Voluptas in suo splendido curru coronato rosis; Comitantur hanc Pompam Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites (est locus pro p. descriptione)

§. 9. S. Paulus declarat p. simile.

O qua-

O qualis pompa! Sed, *præterit*, ait S. Paulus. Ubi Alexandri M.? prætererunt. Ubi Helenæ? prætererunt. &c. Nihil est stabile in hoc mundo, *Modicum* durant omnia.

§. 10. *Aliud simile desumptum à mari, & navibus Tharsis.*

Proinde prudenter monet Seneca ep. 4. *Noli huic tranquillitati confidere; momento mare vertitur, eodem die ubi luserunt navigia, sorbentur.* In maritimis urbibus, dum cœlum serenum est, & mare pacatum, magno numero è portu solvunt elegantes naviculæ; in aquis, veluti hortis deambulaturæ. Non raro contingit, ut præter spem deprehensæ à tempestuoso vento, in extremas deveniant angustias: quæsita & modica recreatio subito vertitur in timores, & tristitiam. Quod videtur innuere regius Psaltes ps. 47. v. 8. *In Spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Fuit hæc urbs nobilissima & ditissima, ad mare sita: pulcri figura hujus mundi. Prodit ecce navicula, superbè splendida; videtur in illa vehi superba Juno, cum suis asseclis: navigant per tempestuosum mare hujus sæculi, in eadem navi, superbi filii Vanitatis hujus mundi &c. O Navicula cave ne post modicum spiret vehemens ventus repentinæ mortis, & eadem conterat tuam naviculam. Quot naves superbiæ perierunt &c. (hoc modo describi potest, Navicula Voluptatis &c.) ego, dum illas curiosius intueor, reperio, in vexillis, & aureis scutis &c. scriptam hanc voculam, *Modicum*: & submerguntur.

CON-



CONCIO XXIV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

Joann.16. cap. v.6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. suos electos, in hoc exilio, partim affligit, partim consolatur.

§. 1. *Exordium ex verbis Evangelii.*

NUcleus hodierni Eu. ad literam hic est, quod Christus D. ex una parte Apostolos & discipulos suos valde contristavit; ex altera, variis modis eosdem fuit consolatus; ait enim illis Joan.16. v.2. *absque Synagogis facient vos; & ego vado ad Patrem.* q.d. amantissimi filii, cogor vos relinquere in hoc mundo. Et quia hæc loquor vobis, *tristitia implevit cor vestrum.* Puto discipulos ideo adhuc magis fuisse contristatos, præcipuè S. Petrum & Joannem; puto illos amarè flevisse; ut commotus, ad commiserationem Christus D. dixerit, ibid. v.7. *Sed expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* v.20. ejusdem cap.16. apud S. Joannem ait: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.* Sed iterum subdit, *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Et vos nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Denique ultimam concionem, qua discipulis supremum dixit Vale, his verbis conclusit v.33. ejusdem capitis. *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum; & iterum videbo vos,* nimirum in mansionibus patris mei, in cœlesti gloria, ubi æternum gaudebitis. Hoc modo Christus D. egit cum suis discipulis; cum, eundem videatur observare adhuc hodie cum suis electis, ut subinde illos contristet, ut mox consoletur; non injucundum vobis fore spero, idipsum hac concione à me clarius intelligere.

§. 2. *Quod Christus D. in hoc exilio, suos electos partim affligat, partim soletur, ostenditur ex variis versibus Apocalypsis.*

Hoc agit Christus D. suos electos, quibus in mansionibus patris cœlestis paravit locum gloriæ, ut ipse loquitur, in hac vita, mox contristare, mox solari consuevit. Sunt bona mixta malis. Id quod illi, qui Divinum Officium, quotidie recitant, his diebus, in lectionibus ex libro Apocalypsis desumptis, advertere potuerunt. Cap.1. vidit S. Joannes filium hominis in mirabili forma. Caput & capillos, candidos sicut lanam albam; oculos igneos; pectus & ubera, procincta Zona aurea; pedes inflammatos instar aurichalci; in dextera septem stellas, in ore gladium acutum. Ex cingulo pependerunt claves mortis & infer-

inferni & vitæ. Cap. 5. vocatur nunc leo, nunc Agnus. In circuitu throni steterunt angeli, aliqui cum phialis aureis, plenis odoramentorum sanctorum; alii, cum phialis iræ & indignationis, plenis iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Cap. 15. luserunt alii citharis; alii inflarunt tubas. In alia visione, idem filius hominis una manu gestavit arcum; in altera floridam virgam; in capite diadema; indutus, candida veste gloriæ, quæ simul respersa fuit sanguine. Ex his omnibus colligite veritatem meæ propositionis; quod Christus D. suos affligat & soletur. Videtur subinde suos aspicere igneis oculis; mox iisdem ostendit aureum suum caput. Ignis urit, aurum recreat. Videtur suos conculcare ferreis pedibus; quibus mox præbet ubera turgida lacte cœlestium consolationum: pedes premunt, ubera delectant! Videtur ferire gladio, sed simul pro solatio, afflictis ostendit lucidissimas stellas: gladius terret, stellæ spem faciunt cœlestis gloriæ. Videtur aperire abyssos mortis & inferni; mox introducit in paradisum: infernum timemus, ad paradisum anhelamus! Videtur esse leo, ita rugit, ita terret; simul est agnus; tam suavis & mitis est; regit suos in virga ferrea, mox florida, ostendit arcum, non sine diademate gloriæ; in circuitu throni, audiuntur tubæ & citharæ; ut proinde non sit, cur in tribulatione, vel dum mundus ridet, nos vero flemus & tristamur, animos despondeamus; sed potius causas habemus, ob quas mox secuturam consolationem, à Christo D. promissam, sperare possumus. Justi & electi, tantæ curæ sunt Deo Optimo Maximo, amantissimo patri nostro, & benignissimo Salvatori, ut mundus nullum modum illos vexandi excogitare possit, quia Deus habeat media eosdem consolandi, ut tristitia vertatur in gaudium. Ex historiis S. Scripturæ, rem clarè intelligetis.

Non dubito, piissimum Noë, inclusum in arca, toto tempore diluvii fuisse plenum timore, & tristitia, cum audivit miserabiles pereuntium voces, cum cœlum immugiit, cum murmurarunt nubes, cum fulminavit aër, cum pluviæ instar decidentium torrentium ex alto cecidere &c. ingens tamen illi fuit conso- § 3.
Et exemplo Noe latentis in arca tempore diluvii.

consolatio, natare tutũ in arca &c. & quamdiu duravit afflictio quadraginta tantum diebus, cessante diluvio, redux columba, illi attulit ramum Olivæ, in signum pacis, & vitæ, cum ingenti piorum gaudio. tristitia conversa fuit in lætitiam, fletus in risum, luctus & planctus in gaudium. Talis est vita nostra in hoc mundo anima hominis inclusa est corpori, veluti arcæ, vel cymbæ, quæ continuo fluctuat & agitatur in procelloso mari, inter ventos & fluctus tribulationum; ut frequenter videamur nobis habere causas clamandi cum S. Petro, Matth. 8. v. 25. *Domine salva nos, perimus*! exurge Domine in adjutorium! navicula nostra submergitur: cum minimè putamus, adest cœlestis columba, Spiritus S. Paracletus, cum pulcherrimis ramis cœlestium consolationum. Piissimus Redemptor noster, non permittit suos perire, vel submergi.

§ 4. *Et populi Israelitici, in transitu maris rubri, atque in deserto.*

Facile cogitare possumus, quanta fuerit consternatio populi Israelitici, vel Judæorum; cum fugitivi ex Ægypto, inclusi utrimque inter altissimos montes, pervenerunt ad mare rubrum, sine omni navigio, premente vestigia hostili exercitu, & potenti manu irati Pharaonis, sine omni spe evadendi. Sed! O suavem Dei Providentiam! quæ in gravissima tristitia, & suprema necessitate suos scit consolari; momento, mare, ad contactum virgæ Moysis, sese aperuit, & latissimam viã transeunti populo præbuit; ad majus solatium, *campus germinavit, de profundo nimio* (Sap. 19. 7.) *per quem omnis natio transivit*: in mari tribulationum, etiam crescunt rosæ! Longo tempore, quo Deus ductu columnæ illos circumduxit per desertum non defuere causæ tristitiæ, propter famem, propter sitim, propter metum circumiacentium hostium; neque solatia defuerunt: dedit illis ducem &c. pavit illos manna; petræ dederunt aquas; protecti scuto D. Providentiæ hostes non timuerunt; Neque vita hominis aliud est, quàm navigatio, vel peregrinatio, per mare & desertum hujus mundi; sed in mari tribulationum, electi reperiunt gemmas & rosas cœlestium consolationum; in hoc deserto pascimur dulcissimo pane angelorum; ex petra quæ Christus est, sugimus, non aquas tantum, sed mel & lac, vinum & oleum.

Danie-

Danielis 3.v.50. tres adolescentes, in fornace Babylonica videbantur submersi inter flammas, sed ecce, suscitavit Dominus lenem & suavem ventum, qui juvenes inter ignes refrigeravit, ut deambulantes per fornacem veluti hortum, benedixerint Dominum. Idem fecit Daniel cap. 14. v. 42. in lacu leonum. Et quid hic mundus est aliud, quam quædam accensa fornax, & lacus leonum. Experiuntur pauperes, oppressi, viduæ &c. in quos incidant leones! in quos scorpios & serpentes! scio hæc! sed etiam non ignoro, mittere Deum suos angelos, qui tales consolentur. Spiritus S. quem Christus D. nobis promisit, ventus est, qui inter ignes tribulationum, nos refrigerat; ut licet tristemur nos, licet mundus gaudeat, tamen Deum laudemus.

§. 5. In ipsa accensa fornace, inter flammas tres pueri, à suavi vento refrigerantur. Daniel fuit lacus inter leones.

Pulcerrimam historiam, refert l. 3. reg. c. 19. Irata Jezabel, Eliæ minata fuit mortem. Præ timore Propheta fugit in quandam speluncam, ubi dum Dei opem implorat, audivit vocem, quæ illi dixit, v. 11. *Quid hic agis Elia? egredere & sta in monte coram Domino*: surrexit & abiit Propheta, in montem ubi mira contigere. 1. *flare incepit spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras* v. 9. ut Elias attonitus procubuerit super faciem suam, adorans Dominum. 2. Hunc ventum subsecutus fuit ingens terræ motus, adeò ut saxa trepidarint. *Et post Spiritum commotio.* 3. *Aperto cælo, descendit ignis, totum montem suis flammis involvens.* v. 12. *& post commotionem ignis.* Post hæc omnia tandem serenatum fuit cœlum, siluere venti, quieverunt saxa, disparuerunt flammæ; tum flare & spirare cœpit sibilus auræ tenuis, & suavissimus ventus, quem dum sensit Elias, v. 13. *Operuit vultum suum pallio*; & suavissimè sine metu, sine timore, oblitus minarum Jezabelis, quievit. Talis est vita nostra auditores; non desunt Jezabeles, non furiæ, quæ justos frequenter cogunt, ut abscondant se in aliqua solitudine, ubi flent, ubi plorant, ubi tristes, cum gemitu & planctu suas miserias & angustias Numini exponunt. Quid agitis electi filii Dei? quid estis tristes, eia egredimini in montem Calvariæ, & state coram Domino: irruet fortassis in vos spiritus grandis &

§ 6. Quid contigerit Eliæ in monte l. 3. reg. c. 19.

fortis, subvertens montes, ab Aquilone? *non turbetur cor vestrum; mundus gaudebit, vos contristabimini*; hoc fieri oportet. Sed simul in capita vestra conjurant venti & ignes tribulationum! non turbentur corda vestra; hoc agite, inter has furias involvite vos pallio Divinæ Providentiæ; sub umbra sacrosanctæ crucis, sedete in pulcritudine pacis; ex cavernis maceriæ, ex Vulneribus Christi Salvatoris mox aspirabit aura tenuis, & leves Zephyri cœlestium consolationum, mox aderit Spiritus S. paracletus &c. Venti, ignes, commotiones, timores, angustiæ, adversitates; Zephyri, gaudia, solatia, in hac vita separari non possunt, mixta inter se sunt, fel cum melle, lac cum absynthio. Christus D. suos affligit, & consolatur.

§. 7. *Cur labia sponsæ distillent myrrham, & simul lac & mel.*

Videtur hoc nobis voluisse insinuare sponsa, dum in descriptione pulcritudinis, sponsi sui, de labiis ait cap. 5. 13. *labia illius lilia; distillantia myrrham primam.* & de lingua ait, *Mel & lac sub lingua illius.* Sed! cum labia & lingua in corpore humano membra sint adeo contigua, ut dum loquimur, lingua necessario contingat labia, & labia linguam; quomodo myrrha non destruxit dulcedinem mellis? an forte dicendum est, lingua & labia sponsi distillasse nunc mel, nunc myrrham. Hoc voluit sponsa innuere, suum dilectum illius esse naturæ, ut suis subinde propinet fel, mox mel; duplicem offert calicem; alterum passionis, alterum gloriæ; vinum, & absynthium; affligit & solatur. Sive mel, sive myrrham porrigat dicere oportet, *Dilectus meus mihi, & ego illi, Fasciculus myrrhæ est,* nihilominus inter ubera commorabitur.

§. 8. *Cur in horto sponsi inter mala punica, creverint nuces?*

Miror quoque sponsam in cap. 6. v. 10. dixisse, *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Itane? in regio horto, inter mala punica, inter rosas & lilia, inter arbores tam amœnas, etiam stetit Nux? arbor, tam horrida? cujus vel umbra nociva est? Omnino! ut symbolum esset viri justi: truncus illius arboris est horridus; folia tamen sunt pulcra & amœna; cortex in quo latet fructus, durus est; sed nucleus tam dulcis est, ut antiqui illum vocaverint, *cibum Deorum.* Nux fuit lignum sacrosan-

crosanctæ crucis; tempore passionis distillavit myrrham; in Resurrectione protulit fructus honoris & gloriæ. Talis quoque est vita justorum in hoc mundo; ridet illos mundus, ut S. Paulus dicat 1.Cor.4.v.13. *tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Nihilominus intus in anima tanta perfruuntur dulcedine, tot abundant cœlestibus solatiis, tam suavibus fructibus illos pascit Christus D. ut glorientur cum eodem S.Paulo 2.Cor.7.v.4. *Repleti sumus consolatione, superabundamus gaudio in omni tribulatione nostra.* Rupertus Abbas hic; *quia enim tribulationibus externis, internæ consolationes copulantur, ideo repletur consolatione, & superabundat gaudio Apostolus.* In horto cœlestis sponsi, inter spinas crescunt rosæ, inter lilia, myrrha; inter poma aurea, duræ nuces: & contra.

Hisce notissimam addo historiam ex cap.28. v.12. Genesis, sed quæ discursum meum eleganter explanat. Jacob, ut evadat manus irati fratris Esau, fugitivus abit ad exteras regiones; Ob varias causas, difficillimum hoc fuit iter. Vespere quodam obrutus à nocte, totus lassus, in campis sub arbore aliquot colligit lapides, quibus, veluti cervicali incumbens suavissimè indormivit. Licet in duro jacuerit lectulo, suavissimo tamen somnio fuit recreatus: vidit enim apertum cœlum, in illo, Dominum innixum scalæ, per quam Angeli de cœlis descendebant in terram; alii, per easdem scalas è terris ascenderunt in cœlum, cum magna dormientis Jacobi voluptate. Mi Jacob in lectulo tam duro, tam suaviter dormis? Non advertitis mysterium? Talis est vita piorum in hoc exilio: non desunt impii Esau, qui illos persequantur; ideo ad aliam anhelant patriam, ad cœlestem gloriam; sed quàm multa interim sunt perferenda, exemplo cœlestis sponsi; ipse est, qui nos ducit ad montem Calvariæ, ad arborem S.Crucis; dum quiescere volumus, pro cervicali nobis offert spinas & lapides &c. Non turbentur propterea corda nostra; sub umbra sacrosanctæ crucis iterum vos involvite pallio divinæ providentiæ; permittite vos totos divinæ voluntati; in hac quiete videbitis cœlum; aderit vobis Christus D. aderunt angeli, ut vos consolentur. S.Augustinus

§.9. Jacob, jacens humi super saxa, in suavi somno recreatur lætissima visione.

ſtinus in pſ.93. *Multi quidem dolores; ſed multæ conſolationes; amara vulnera, ſed ſuavia medicamenta!* Theodoretus de ſe ait, *Reſpondentem doloribus conſolationem, à tua bonitate accipio.*

§ 10. *Cur in aurea arca cum tabulis lapideis aſſervatum fuerit manna, cum virga Aaronis, quæ floruerat.*

Lib.3. reg.cap.8.v.9. dicitur; *In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ &c.* S.Paulus tamen addit, ad hebr.9.v.4. *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua, urna aurea, habens manna: & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Quæ iterum connexio inter lapides & flores & manna? quia iterum arca fuit & eſt figura Chriſti Domini, cujus natura eſt, ſubinde dureſcere inſtar lapidis; ſæpius tamen fluit lacte & melle; quo ſpectat illud pſ. 113. *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Quæ verba ſic elucidat D.Guerricus Abbas ſer.1. de S.Benedicto. Erat quidem petra Chriſtus, ſed virtute, non duritie. *Erat petra, ſed quæ converti poſſet, imo & converſa eſt in ſtagna, vel fontes aquarum; ubi mollia & humilia, quibus influeret corda invenit corda fidelium.* Petra eſt Chriſtus Dominus evomens ſubinde ignes, ſæpius fons, ſtillans torrentes cœleſtium voluptatum.

§.11. *Cur inter glorioſas circumſtantias transfigurationis, fiat mentio nivis.*

De Chriſto D. cum in monte Thabor Matth.17.v.2. *facies ejus reſplenduit ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix, vel ut alii legunt, ſicut lux.* Dixit D.Ephrem; dicamus nos eadem de Chriſto D. glorioſe reſurgente à mortuis. *Ex toto corpore ejus, gloria divinitatis ſuæ ſcaturiebat, & ex omnibus membris ſuis, lux ejus refulgebat.* Ex iiſdem, ſcaturit infinita quædam dulcedo & ſuavitas, præſertim paſchali tempore; hujus nos vult eſſe participes, ſed meminerimus ſimul nivis, nive, frigore, aqua tribulationum ſubinde affligit, ſæpius luce nos ſolatur. ad Eph. 1.v.22. ait S.Paulus, *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* q.d. Tota congregatio fidelium, eſt unum corpus cum Jeſu, cui quaſi membra adhærent, unum integrum corpus conſtituentia. Et quomodo quis adhærere poteſt Jeſu, quaſi membrum corporis ejus? eo ipſo quod Jeſu doloribus & preſſuris aſſimiletur; ex quo monet D.Chryſoſt.hom.3. ibi. *Revereamur obſecro germanam hanc atque cognatam affinitatem noſtræ carnis, cum Chriſto capite contra-*

contractam &c. de illo etiam dignum meminisse est, quod crucifixum, quod confossum clavis, quod immolatum est Patri. Si corpus Christi es, fer crucem, ille enim tulit: fer purulentas ac saniosas execrationes, fer alapas, fer denique claves; Tale erat Domini corpus in passione: sed scitis, quale fuerit in Resurrectione, quàm gloriosum, quàm formosum, quam lucidum. Pati prius oportuit, deinde glorificatus est. Hoc habemus solatium, hanc spem atque fiduciam, nos fore gloriosos &c. non cessabit interim bonus Jesus nos affligere; ut utroq; modo, in passione & in gloria simus membra Christi.

Ex dictis hac concione hanc infero maximam; quisquis §.12.
est in statu gratiæ, licet variis prematur adversitatibus, si ferat patienter, si Deo fidat; ab eodem non deseritur; imo in ipsa tribulatione constitutus, quiescet suaviter. Id quod à somno & quiete desumpta metaphora nobis ob oculos ponit S. Scriptura. Act. 12. Jacet Petrus in carcere, oneratus catena, inter vigiles, clausus porta ferrea; non nescius, latam in se esse ab Herode sententiam mortis; nihilominus tam suaviter dormivit, ut dum venit Angelus, ipsum educturus ex carcere, ab eodem è somno excitandus fuerit. S. Augustinus ser. de Petro; *Admiror Petre, quietem tuam, in medio catenarum velut inter flores requiescis.* Talis est vita justorum in carcere hujus mundi (fiat pulcra applicatio) S. Hilarius in S. Matth. *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quam dum laboribus fatigantur.* De S. Laurentio ait S. Petrus Chrysol. ser. 35. *B. Laurentius, craticulam supplicii, lectum quietis putavit.*

Ideo electi inter tribulationes suaviter quiescunt. Vt Petrus in carcere.

Psalmo 3. v. 6. gloriatur regius psaltes: *Ego dormivi, & soporatus sum.* Titulus psalmi ostendit, quando hæc cecinerit; sic enim habet, *Psalmus David cum fugeret à facie Absalon:* vult dicere, in summis adversitatibus, cum desertus à suis &c. fugere debuit; nihilominus non fuit tristatus; certus de divino auxilio. §.13.

David in persecutione Absalonis.

De Jacobo morituro, in cap. 47. ait glossa; *postquam valedixisset Ioseph, osculatus est virgam ejus, & convertit se ad lectuli caput, cum quiete mortem operiens.* (Ex hoc loco fieri poterit §.14.

Iacobus in ip[illegible]rte.

affectuosus epilogus', v. g. inter angustias mortis solatur suos Christus D. &c.)



CONCIO XXV.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis.

Joann. 16. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUpposita necessitate, & unitate Orationis, pro omni statu hominum, tria proponit monita. Primum est: ut petamus utilia ad salutem. Secundum: Idque serio, ferventer, & frequenter. Tertium: In nomine Christi.

Feria

FEria secunda Rogationum ser. 2. ait S. Augustinus; *Suavis Dominus & mitis, fratres carissimi, habet januam pietatis, nec inde repellit pulsantes; sed culpat potius negligentes; neque aliquid petitur, quod non habeat: dives est, & pius: affluens & benignus, dat & non improperat; imo tunc* (adverte emphatica verba) *thesauri domus ejus tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum.* (NB. Si dicas in loco, v. g. Spiræ, ubi hodierna Dominica celebratur primarium festum congregationis Christi in cruce Agonizantis, poterunt hæc verba affectuosissimè applicari sanctissimis ejus Vulneribus) Pergit S. Augustinus: *Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis: propterea ipse Dominus, videns januam suam à petitorum voce, à pulsantium clamore silere, invitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem.* Nulla enim est pompa in janua ejus. Regum, Principumque palatia, & aulas obsidet copia famulorum, atque satellitum, nec facilis ad illos est accessus. Janua verò, & aula summi Regis, patet semper, dies, noctesque. Pulcrioribus ego verbis, hodiernum Evangelium; quantum ad infinitam Christi D. liberalitatem, & dandi promptitudinem, ego explicare non possum, proinde si non obtineamus, quod petimus, certum est, defectum non esse in Christo Domino, sed in nobis, qui vel non petimus, quæ petere deberemus; vel petimus tepidè, vel non eo modo quo orare deberemus. Cum itaque ars bene orandi, homini Christiano sit utilissima, in illa hodie instruam meos Auditores triplici monito. Primum est, debemus petere nobis utilia. Secundum, seriò & frequenter. Tertium; in nomine Christi, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum.

§. 1. Gaudet Deus, si debito modo, multa ab illo petamus.

Suppono, omni hominum statui, orationem esse utilem, & necessariam. Cum R. Patri Bernardino Pallio, Generali RR. PP. Capucinorum hæc quæstio esset proposita; *Quisnam esset bonus?* respondet, *Qui orat.* Cum urgeretur, *Quis esset melior?* dixit, *Qui melius orat.* Cum instarent, *Quis mortalium omnium esset optimus*; reposuit, *Qui optime orat.* Placet mihi judicium, & discursus, sapientissimi juxta, atque sanctissimi viri:

§. 2. Sapiens dictum R. P. Bernardini Pallii Generalis capuc. de utilitate Orationis.

proinde, si quis ex me quærat, Quis sit bonus Princeps, bonus Prælatus, bonus Pastor, bonus Consiliarius &c. respondeo; qui orat. adeo ut fortuna hominis, sive secundus rerum successus, imò sanctitas & perfectio illius, pendeat à perfectione & usu Orationis.

§. 3. *Probatur eadem dictis, & exemplis Gravissimorum Virorum.*

Quod alii prudentissimi viri, in magnis dignitatibus constituti agnoverunt, Pius V. Summus Pontifex, qui precibus obtinuit celeberrimam illam victoriam Joannis Austriaci contra Turcas; fassus est, sine orandi studio, neque Pontificatus, neque interiores animæ suæ rationes succedere, vel subsistere. Carolus V. quantus & qualis Imperator? sed tria in ejus vita observatu sunt dignissima. 1. Quotidie inter gravissimas occupationes unam horam impendit orationi. 2. Proceres sæpius audiverunt illum dicentem, Regnorum rationes constare non posse, nisi uni Deo, regnorum arbitro, quotidie in oratione redderentur. 3. Cum oranti nuntiaretur Legati, magni Regis, ad tractandum magni momenti negotium, urgereque audientiam; respondit, nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cum Deo ago. Propter hæc ego non miror, Carolum V. fuisse felicissimum Imperatorem. S. Carolus Borromæus qualis, quantus, quàm sanctus Archiepiscopus, & S. R. E. Cardinalis? sed bene monet scriptor ejus vitæ; Omnia dona cœlitus in illum collata, à limpidissimo divinæ consuetudinis fonte, profluxisse. Quales concionatores non vidit Italia, Hispania, Germania? Verum suasit illis Avila, vir celeberrimus, studium Orandi, dicens: Orationem esse optimam dicendi Magistram. Non desunt mihi pulcra specula pro fœminis; de Catharina Austriaca conjuge Henrici 8. impiissimi Regis in Anglia, ait vita: *Orationibus ita se adversus iniquissimi Regis communicbat injuriis, ut ab hac orandi palæstra, in amplissimum patientiæ theatrum prodiens, post egregias pugnatas pugnas, cœlique plausum, rudem acciperet beatitatis.* In gravissimis tribulationibus, afflicta Regina mansit in fide, religione erga Deum, fidelitate erga conjugem, in patientia constantissima, ob orationem cui assiduo vacabat.

Præter

Præter exempla, testimonia SS. Patrum non desunt. S. Augustinus ait ser. 14. de diversis. *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* Et l. de Eccl. dign. cap. 56. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari, nullum, nisi orantem, auxilium promereri.* Breviter S. Ruffinus in psalmum 60. *Nihil utilius potest facere, servus Dei, in hoc sæculo, quam orare Deum.* Verum nolo modo inhærere, similibus SS. PP. testimoniis. §. 4. *Testimonia SS. Patrum.*

Ut verò Oratio nostra talis sit, qualis esse debet; ut sit efficax; moneo, I. Oraturum debere scire, quid petat. In quo auream regulam nobis præscribit Isidorus Pelusiota, lib. 2. ep. 182. de oratione, quam Christus D. Apostolos & discipulos suos docuit; *Oratio ea, nihil terrenum habet, sed, omnia cælestia, & ad animæ salutem tendentia; non enim imperium, non opes, non robur, non pulcritudinem, non aliud quidpiam ex iis, quæ cito flaccescunt, postulare docet.* Sed multi in suis precibus à Deo flagitant opes & divitias; alii dignitates &c. non improbo, sed moneo, ut id faciant, cum conditione, si quod petunt cedat ad Dei gloriam, & prosit ad animæ salutem. Quod aliis verbis ita nos monet S. Bernardus; *sit ergo oratio. quæ pro temporalibus est, restricta, circa solum beneplacitum Dei: si animæ expediat.* §. 5. *Sed petenda sunt utilia ad salutem.*

Vita B. Patris Borgiæ narrat, illum ferventissimis precibus à Deo petiisse sanitatem, dilectissimæ suæ conjugis, quæ in periculosum inciderat morbum & ad mortem decumbebat. Oratio illius fuit tam fervens & tam ardens, ut vox cœlitus allapsa illi dixerit, *fiat quod vis, sed tibi non expedit.* Reposuit statim vir piissimus; *Tua voluntas fiat mi Deus, non mea.* Et paulo post uxor ejus expiravit. Idem nobis evenire solet; petimus sæpe sanitatem, sed Deus scit id nobis non expedire ad salutem æternam, petimus prosperum rei alicujus successum; sed Deo constant damna, quæ inde consequentur, via itaque tuta procedimus, si cum B. P. Borgia, orationi nostræ hanc clausulam semper annectamus, Mi Deus! mi Jesu, non nostra, sed tua sanctissima fiat voluntas. Si Deus nobis omnia, quæ petimus concederet, eveniret fortassis, quod evenisse ligimus Mydæ, petiit §. 6. *Et cum resignatione. Exemplo B. P. Borgiæ.*

à diis, omnia quæ contingeret, converti in aurum, fuit exauditus; ſed fames illum occidit. Attendamus oportet ad ea; quæ petimus.

§.7. Quare Oratio vocetur Comœdia. S. Gregorius Nyſſenus in exhort. ad orat. illam vocat *jucundiſſimam comœdiam.* Spectavit illam S. Joannes in Apoc. 4. cap. v. 4. Theatrum fuit thronus gloriæ Dei. Perſonæ; viginti quatuor ſeniores, animalia, Seraphini, Angeli &c. non defuit ſuaviſſima Muſica, non ornatus loci, non ſpectantium multitudo. Et placet mihi ratio, ob quam oratio vocatur Comœdia: quemadmodum enim unus Actor, ſæpe multis & diverſis fungitur perſonis, Regis, Militis, Ruſtici, pari ratione id facit Orans. Talis Orans & Actor fuit in ſuis Pſalmis Rex David, jam enim agit perſonam timidi pſ. 118. v. 120. *A judiciis tuis timui.* Jam Curſoris pſ. 87. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Jam mendici. pſ. 24. v. 16. *Pauper ſum ego.* Jam cæci, ſaucii, infirmi, nudi, triſtis, afflicti; *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.* pſ 6. verſ. 4. jam ſitibundi Cervi. pſ. 41. verſ. 2. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad Deum vivum.* Percurrite pſalmos, & reperietis diverſiſſimas perſonas, quas in theatro orationis egit Rex David, præclariſſimus Actor. Verum & Chriſtus D. procedit, & aſcendit hoc theatrum, agitque varias perſonas. Conſolatoris, ut triſtes ſoletur; munificentiſſimi, & liberaliſſimi Regis, ut larga manu, regia ſua dona diſtribuat; patris, ut excipiat filium prodigum; Medici, ut ſanet vulnera; fortis militis, ut ſuos defendat, &c. Sed quorſum ego hæc? ut ſciamus, quid petere debeamus, ut & nos in hac comœdia agamus perſonam jam pauperis, ut à Deo petamus opes cœleſtes, jam infirmi, ut ſanemur, jam nudi mendici, ut accipiamus veſtem gratiæ, & gloriæ, jam ſitibundi cervi, ut hauriamus aquas de fontibus Salvatoris &c. talia debemus petere in oratione, talia nobis expediunt, talia tendunt ad Dei gloriam & noſtram ſalutem, talia Deo placent: *petite primum regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* (NB. Tales comœdiæ præcipuè ludi debent, coram SS. Sacramento, & Chriſto crucifixo, &c.)

Moneo

Moneo. 2. ut oraturus se totum, & omnes vires impendat orationi, ut oret serio. Totus homo requiritur ad negotium orationis, bene peragendum. Ideo David ait ps.24.v.1. *Ad te Domine levavi animam meam*. id est, memoriam, intellectum & voluntatem, sive potentias animæ, quæ juvantur à viribus corporis exterioribus, ideo addit v.2.ps.140. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Et ps.25. v.12. *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine*. ps.34.v.10. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi*. ps.118.v.131. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. ps.26.v.8. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea*. ps.102.v.1. conjungit simul, interiora animæ, & totum corpus. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt* (& omnia quæ extra me sunt) *nomini Sancto ejus*. Ex quibus omnibus facile advertere possumus, quinam ferventer, & serio orent. (habes locum pro acri invectiva in illos, qui orant tepidè, irreverenter, & perfunctorie.) §. 8. *Orandum est serio, & ferventer cum Davide.*

Insinuat præterea Regius Psaltes, se tali modo, id est, tam serio, tam ferventer, tanta collectione, & attentione, cum tanta piæ voluntatis devotione, orasse, non semel de die, sed frequentissime; & diversis temporibus. Qui deditus est orationi, debet posse dicere cum Davide ex ps.21.v.3. *Deus meus clamabo per diem*. Ex ps.118. v.55. *Memor fui nocte nominis tui Domine*. Ex ps.140.v.2, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Ex ps.54.v.18. *Meridie narrabo & annuntiabo*. Ex ps.118. v.62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ex ps.118.v.146. *Septies in die laudem dixi tibi*. Ex ps.144.v.2. *Per singulos dies benedicam tibi*. Ex ps.6.v.7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum*; scilicet illis lacrymis, quas piissimus Rex in oratione sua fundere fuit solitus. Ex ps.34, v.28. *Lingua mea meditabitur justitiam, tota die laudem tuam*. Ex ps.70.v.8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam*. Ex ps.103.v.23. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quam diu sum*. Ex ps.33. v.2. *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Denique ex ps.144. v.1. *Benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi*. De- §. 9. *Et frequenter, exemplo ejusdem Regis Davidis.*

claranț

clarant nobis hi versus, quod S. David & frequenter, diversisque temporibus, de die, de nocte, in meridie, vespere, in templo, in aula regia, in campis, in hortis, in exercitu inter aulicos, inter regias occupationes; nihilominus oraverit, non tantum obiter, sed cum tota corporis animique contentione, surgendo, ascendendo, narrando, nuntiando; confitendo, laudando, benedicendo, levando animam, elevando manus, aperiendo os, attrahendo spiritum, gemendo, lacrymando, meditando, cantando, psallendo; quæ omnia verba significant illum conatum, quem David adhibuit, ut omnes vires suas, animi & corporis impenderit orationi; totusque perageret tanti momenti negotium, quale est Oratio.

§. 10. *Et in nomine Christi. Quid hæc verba significent.*

Moneo. 3. Quæ frequenter & serio petimus, petere debemus in nomine Christi. quod ipse Christus D. nobis suasit Jo. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sunt hæc verba, affectibus & mysteriis plena. *Amen, amen*, id est, in veritate, verissimè, certissimè; *Dico*, id est, promitto (secundum S. Augustinum) Juro, supple, *Ego*, Magister vester, pater vester, pastor vester, *Vobis*, meis discipulis, meis filiis, meis oviculis; *Si quid*, quod vobis sit utile *petteritis*, in græco est, αἰτήσητε, poposceritis contenderitis postulaveritis, mendicaveritis; &, ideo humiliter, reverenter, fiducialiter, ferventer, perseveranter; *Patrem*; qui vos amat, sicut ego, *dabit vobis.* Sed unum adhuc necesse est, ut *petatis in nomine meo.* Sed quid hoc est, petere in nomine Christi? S. Gregorius M. hom. 27. sic explicat. *Nomen filii, nomen Iesus est; Iesus autem, Salvator, vel etiam salutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet; Videtur* consentire S. Augustinus cum ait: *Non petitur, in nomine Salvatoris, quidquid petitur, contra rationem salutis.* Sed de hoc egi, in primo monito hujus concionis.

§. 11. *Alius horum verborum sensus.*


Alii itaque sic explicant. In nomine Christi aliquid petere, est illud postulare, per & propter magna & infinita merita Christi; quo tendit communis illa clausula omnium fere orationum, quibus utitur Ecclesia; *Per Iesum Christum Dominum nostrum,*

nostrum, Amen. Eo tendant illæ obsecrationes in Litaniis, *per Nativitatem tuam, per mortem tuam* &c. *& ignita illa orantium suspiria, mi Jesu! per Vulnera tua, per sanguinem tuum &c.* Quæ omnia Theologico huic innituntur fundamento; Omnes gratiæ, & dona, quæ nobis communicantur, nobis non debentur aliquo titulo Justitiæ, qui in nobis fundetur, sed sunt gratiæ; Christo Domino verò, qui sua morte, & sanguine suo illas promeruit, debentur ex rigore Justitiæ; & proinde nos, illas à patre, necessario petere debemus per Filium. S. Augustinus lib. med. cap. 5. *Sic enim solent rei carceribus eripi, sic commancipati vinculis liberari, sic tristem accipientes sententiam capitis, non solum absolvi, sed insuper nancisci insolitam gratiam; dummodo iratis principibus, dilectæ prolis intimaverint caritatem; sic delinquentes servuli, evadunt supplicia Dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum.* Ob eandem prorsus causam pius Jesus in cœlis apud patrem Advocatus noster est; ubi ejus dulcedo, bonitas, clementia, misericordia, amor, pro nobis intercedunt.

Figuram habemus cap. 37. Genesis. Jacob à patre primam extorsit & obtinuit benedictionem, quia jubente & consulente matre Rebecca, preciosas, & odoratas induit vestes: pari ratione; si nos patrem cœlestem inflectere velimus ad dandam benedictionem; in conspectu ejus comparere debemus, induti vestimentis dilectissimi ejus Filii, Domini nostri Jesu Christi. § 12. *Idem explicatur per figurã.*

Addo piissimam explicationem, pro instructione & solatio sodalium congregationis Christi in cruce Agonizantis. In devotissimo libello, qui inscribitur, Blanditiæ sanctæ, his diebus legi; Petere aliquid in nomine Christi, esse, id petere, in nomine crucifixi; id est, ea quæ instanter petimus, petere debemus per infinita merita Jesu, trihorio pendentis in cruce, & in illa exspirantis. Titulus aliquis illius libelli, sic habet. Amanter Christum crucifixum alloqui; explicare & desideria, & per illum, illa cœlesti patri proponere, ut obtineamus, id quod petimus. Suspirium affectuosissimum est, Jesu! *ne permittas me damnari*; addamus, *per tuam agoniam, per mortem tuam, per Vulnera & sanguinem.* Verum, amanter, cum tenerrimo affectu, si fieri potest cum lacrymis, ita alloquere Christum crucifixum. § 13. *Digressio ad crucifixum & sodales, præsertim si in hodiernam Dom. incidat congregatio.*

Absconde te, in sanctissima illius Vulnera, & ibi in sancta solitudine illi propone tua desideria, de sancta morte; ibi geme, ibi clama, esto columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ; ibi sonet vox tua in auribus ejus: dicito, tenerè, amanter, piè, cum illo Religioso ex Ordine Cisterciensi; *Iesu mi amantissime* (ta'ia dixit, quoties imaginem crucifixi, aspexit) *in hora mortis meæ, miserere animæ meæ; per agoniam tuam* &c. (Ex his affectuosum poteris addere Epilogum.)



CONCIO XXVI.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre.

Joann. 15. cap. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VNio, Concordia, dilectio, reliquæque virtutes caritati proximi, connexæ, sunt fructus & effectus Spiritus Sancti; & simul dispositiones ad tanti Hospitis dignam susceptionem.

§. 1. *In plerisque Evangeliis, intra Pascha, & Pentecosten, fit mentio Spiritus Sancti.*

§. 2. *Encomia mutuæ dilectionis & Vnionis.*

§. 3. *Quam Christus D. tam ardenter à Patre suo petivit.*

§. 4. *Quam Spiritus S. in nobis operatur, sicuti anima in humano corpore.*

§. 5. *Prosecutio.*

§. 6. *In quavis communitate.*

§. 7. *Varii effectus Spiritus S. ex Tertulliano; præsertim caritas.*

§. 8. *Pulcritudo interior animæ, & sanctitas profluit à Spir. S.*

§. 9. *Quid in* vers. 14. ps. 44. *intelligatur per fimbrias aureas.*

§. 10. *Vt Spiritus S. nos vivificet, debemus esse uniti. Probatio ex Ezechiele, ex S. Augustino & S. Bernardo.*

§. 11. *Ex S. Basilio, Hugone, D. Hilario, & Tertulliano.*

§. 1. *In omnibus Evangeliis, intra Pascha &*



OBservatu sane dignum est, in omnibus fere Evangeliis, quæ intra Pascha & Pentecosten, diebus Dominicis leguntur, Christum D. facere mentionem Spi-

ritus

ritus Sancti. Postquam Dominica prima post pascha, discipulis suis ostendisset manus & pedes, sive cicatrices sanctissimorum Vulnerum, ait ad illos Joannis 20. v.23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Postquam in Evangelio Dominicæ secundæ se comparavit bono pastori, promittit suum ovile fore unum, sive unam Ecclesiam; quæ unitas vel unio, effectus est Spiritus Sancti. Dominica tertia ait ad Apostolos Joannis 16.cap. v.20. *Tristitia vestra convertetur in gaudium..gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hoc gaudium est fructus Spiritus Sancti. In Evangelio Dominicæ quartæ discipulis suis hanc aperit causam sui discessus, Joann.16.v.8. *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, & cum venerit, arguet mundum de peccato* &c. Dominica quinta, hortatur Christus Dominus discipulos suos ad ferventem & frequentem orationem dum ait, *petite & accipietis* Joan.16.v.24. ob hanc causam, ut gaudium cordis sit plenum; quæ plenitudo gaudii, cum spiritu & dono orationis, prout SS. Patres loquuntur, spiritui sancto est ascribenda. Denique in hodierno Evangelio Dominicæ sextæ post pascha, claris verbis promittit Apostolis, missurum se de cœlis spiritum sanctum. *Cum venerit paracletus* &c. Arbitror ego hoc contigisse, ad excitandum ingens desiderium in Apostolis, ad recipiendum tantum hospitem, & ad seriam præparationem, quæ spiritus sancti adventum in corda nostra, debet præcedere; de qua ait cap.2. act. Ap. v.1. *Erant omnes pariter in eodem loco, perseverantes unanimiter in oratione, cum Maria Matre Iesu, sedentes in communicatione fractionis panis, collaudantes Deum.* Hic versus, pulcras & diversas continet dispositiones ad recipiendum spiritum sanctum; de oratione egi ante octiduum, & alias; particula unanimiter, innuit animorum inter Apostolos unionem, dilectionem, pacem & concordiam; quæ virtutes nobis quoque plane sunt necessariæ, si ad recipiendum spiritum sanctum sordida corda, animosq; nostros velimus disponere; quod hac concione, favente gratia spiritus sancti, fusius ostendam.

Pentecosten fit in Evangelii mentio Spiritus S.

§. 2. *Varia encomia mutua dilectionis, & unionis.*

Oratione 16. eleganter ut solet, ait S. Gregorius Nazianzen. *Pulchra res est fraternus amor, ejusq; rei Iesum testem habemus, qui non modo frater noster vocari, sed etiam, salutis nostræ causa, supplicio affici sustinuit. Pulcra res est benevolentia erga homines; ac testis est idem Iesus, qui nostra causa homo factus est.* S. Ambr. lib. 3. Offic. c. ult. *Servate igitur filii, initam cum fratribus amicitiam: qua in rebus humanis nihil est pulcrius.* Testis inquam, horum est idem Christus Dominus, dum toties gravissimis verbis, hanc amicitiam, hanc benevolentiam, hanc mutuam inter suos dilectionem, hunc fraternum amorem, gravissimis verbis toties & tam severè commendat, & inculcat. Joan. 13. v. 35. *In hoc cognoscunt omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ubi S. Chrysost. ait hom. 71. *Dilectionis ejus signo* (vel charactere, nota, symbolo, signaculo) *notat. Quid tandem? quoniam vel hæc maxime sanctorum hominum est indicium.* Testis est Jesus, cum ait Joan. 17. v. 22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Iterum S. Chrysost. hom. 72. in ep. ad Rom. *Non ex hoc potissima Deo gloria accedit, quod in unum complicamur & conjungimur.* Per claritatem, cujus Christus D. fecit mentionem P. Maldonatus intelligit *mortem* ejus, ut sensus illorum verborum sit, mortis meæ, quam ex tua voluntate, pro humano genere, sive pro illis quos diligo, sustinui, faciam illos participes, non tantum ut redimantur a peccatis, sed ut ipsi quoq; unum sint, & se invicem diligant. Videtur hic sensus placuisse S. Chrysost. hom. 33. in ep. 1. ad Corinth. *Sic Dominus noster mortuus est, ut nos essemus conjunctiores.* & S. Greg. Naz. orat. 42. postquam enarrasset varia prodigia crucis, ait, *nullum tamen cum salutis meæ miraculo, conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ, orbē universum instaurarunt, atq; idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes & constringentes.* Quid pulcrius dici potest?

§. 3. *Quam Christus D. tam ardenter petivit à Patre suo.*

Cum testis iterum sit Christus D. Salvator noster, in ferventissima illa oratione ad patrem Joa. 17. v. 8. *Non pro eis tantum rogo, sed pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* Magni sine dubio momenti

menti res est, quam Salvator noster, tam ardenter petit à patre suo, & ob quã se ait missum in mundũ; ut nos mutuo diligamus.

Testimonium deniq; præcipuum est, quod promiserit se Spiritum S. ut nos faciat unum; quæ unitas, unio, dilectio & benevolentia, fructus & effectus sunt efficacissimi Spir. S. imò dispositiones ad illius receptionem plane necessariæ. Juxta mentem Apostoli, ad Philipp. 2. v. 1. *Si qua societas spiritus est*, quasi diceret; si invicem estis socii, fratres, amici, concordes, unanimes; spiritus quoq; sanctus inter vos, & in vobis est: causans & efficiens illam unionem, & per eandem trahitur ad nos, sive, in corda nostra, Epist. 1. ad Cor. 12. v. 12. id explicat, hoc simili; *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt*; ita, (in Ecclesia quæ constituit corpus Christi, mysticum) *in uno spiritu, omnes nos in unum corpus baptizati sumus; sive Iudæi, sive gentiles, sive servi, sine liberi; & omnes in uno spiritu potati sumus*. Ut unus ex primariis effectib9 Spir. S. ut, quod anima præstat corpori materiali, id ipse operetur in corpore mystico, omnia membra uniendo, & colligando. §. 4. *Quam Spiritus S. in nobis operatur, sicut anima in corpore humano.*

Ad Ephes. 4. v. 3. ait S. Paulus. *Solliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis*, & statim subdit, *unum corpus, & unus spiritus*. quasi diceret si unum corpus estis, si vos invicem diligitis, &c. Spir. S. id operatur. S. August. ser. 2. fer. 2. Pentec. *Quod est anima corpori hominis, hoc est, Spir. S. corpori Christi, quod est Ecclesia. Hoc agit Spir. S. in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris vivi corporis*: quemadmodum una anima corpori vitam inspirat, illud animat, vivificat, & omnia membra inter se unit, & nectit; ita & Spir. S. membra Ecclesiæ, licet diversissima sint, per vitam gratiæ, & calorem sancti & casti amoris, in vinculo pacis inter se connectit. S. Cyrill. Hierosl. Catech. 17. *Respice cujuslibet nationis Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, monachos, Virgines, & reliquos laicos, & respice magnum hunc Præsulem, & gratiarum Parochum, seu exhibitorem, quomodo in universo mundo, aliis castitatem, aliis virginitatem, aliis studium paupertatis &c. omnibus, amorem, & pacẽ tribuat.* ex quo fructu vel effectu Spir. S. simul veluti signo colligere possumus, quænam sit vera Ecclesia Christi in terris, si nimirũ inter membra sit unio, si unus spiritus, &c. (potest fieri digressio contra hæreses.) §. 5. *Prosecutio.*

§.6. *In quavis communitate.* Quod in communi de tota Christi Ecclesia dicitur, idem de quavis communitate, de domo patrisfamilias, de domo aliqua religiosa, verissimum est; si v.gr. inter maritum & uxorem, inter fratres & sorores, inter servos & famulas, dominantur rixæ, discordiæ, dissensiones; hanc faciamus consequentiam; abest spiritus sanctus neque in tales ædes descendet, nisi inter omnes Christiana sit unio, & dilectio.

§.7. *Varii effectus Spiritus Sancti, ex Tertull. præcipue caritas.* Tertull. l. de Trin. *Hic est* (scilicet Spir. S.) *qui inexplebiles cupiditates coercet, immoderatas libidines frangit, illicitos ardores extinguit, flagrantes impet⁹ vincit, ebrietates rejicit; avaritias repellit, luxuriosas commessationes fugat; denique, caritates nectit, affectiones constringit, sectas repellit.* Deum bonum! quot Tertullianus conglobat causas, ut imploremus, & desideremus adventum Spiritus S. in quam multis æstuat inexplebilis cupiditas opum, honorum? *Veni S. Spiritus*, ut coerceas hos appetitus. Multorum! quam est immoderata libido? quàm illicitus ardor? inter Deo sacratas personas, inter conjugatos, in juventute, inter senes? *Veni S. Spiritus*, ut extinguas hæc incendia! *Veni*, & alios suppone ignes, amoris casti & sancti. Qualia non cernimus odia, quæ gliscunt rixæ, & dissensiones? *Veni S. spiritus*, ut nectas caritatem, ut affectiones constringas, ut sectas repellas.

§.8. *Pulcritudo interior animæ, & sanctitas profluit à Spiritu S.* Ostendo alibi, quam eleganter regius psaltes ps. 44. describat pulcritudinem Christi & cujusvis animæ sanctæ in persona filiæ Regis; modo, cupio vos memores esse vers. 14. in quo ait; *Omnis gloria ejus, filiæ regis, ab intus, in fimbriis aureis:* Duo commendat David 1. quod eximia exterior sponsi vel sponsæ pulcritudo promanarit ab intus: id est, ab anima, sive vita, quæ in corpore humano est fons pulcritudinis; illa enim recedente, cedit venustas, & omnis gratia, succedit pallor, putredo, fœtor: Pari ratione, interior, & supernaturalis pulcritudo animæ, quæ priorem in immensum excedit, consistit in vita interiori, quæ est gratia sive caritas Dei; hæc verò fluit à gratiarum & caritatis fonte, qui est Spir. S. ut clare loquitur S. Paulus ad Rom. c. 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus vestris; per Spir. S. qui datus est nobis.* S. Paschasius super citata verba illud hoc simili declarat. *In qua Deus est* (& quod sequitur, spiritus sanctus) *sicut origo est*

go est virtutum, & fons bonitatis; ita omnis gloria exinde; & claritas fructificat & crescit foris, unde dicitur Cant. 6. c. v. 6. *Sicut cortex mali punici, ita gena tuæ; absq; eo, quod intrinsecus latet: quia in genis quod exterius rubet, ab intus nascitur, ut rubeat ex eo, quod interius vivit, & viget.* (fac digressionem ad flores, quod hoc tempore ita floreant, quia vivunt, decor illorum ab intus nascitur) pari ratione, nisi intus in nobis sit spiritus sanctus non erit viror & elegantia virtutum; præsertim mutuæ dilectionis.

In cujus laudem & commendationem addit David cit. versu, quod sponsi vel sponsæ, Regis vel Reginæ pulcritudinem multum auxerint, & ornarint, *fimbriæ aureæ*. græcus textus sic habet; *fibulæ & laqueoli aurei*. quibus variæ vestes solent colligari & constringi; unde alii sic legunt, *constrictoria aurea*, sive, *vittæ & funiculi*, ex auro, & serico contexti, quibus v.g. flores, vel gemmæ alliguntur pectori; *Ex quibus*, fimbriis, fibulis, laqueolis, constrictoriis, vittis, funiculis, ait Agellius, *fidelium inter se astrictam caritatem, per quam in vinculo pacis conjuncti sunt, congruenter accipimus*. Itaque, quemadmodum ante solennia festa, solliciti sumus, ut pulcris vestibus, ornemus corpora; pari ratione satagamus, ut animas nostras vestiamus veste nuptiali divinæ gratiæ, ornemusque aureis fimbriis mutuæ dilectionis: his funiculis de cœlo ad nos detrahere poterimus Spiritum S.

§. 9. *Quid in v. 14. ps. 44 intelligatur per fimbrias aureas.*

Repeto thema meæ concionis; unio, dilectio, vita amabilis, sunt fructus & effectus illi efficacissimi Spir. S. & simul necessariæ ad illum recipiendum dispositiones. Figuram habemus Ezech. cap. 37. v. 17. Fuit propheta in spiritu Domini eductus in campum, qui erat plenus ossibus, multis valde, siccisque vehementer, videns hæc propheta ait; *Ossa arida, audite Verbum Domini, intromittam in vos spiritum, & vivetis &c. factus est sonitus, & ecce commotio; & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, & ingressus est in ea spiritus; & vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus nimis grandis valde.* Alias utor hoc loco ad declarandas alias operationes spiritus sancti, modo afferam tantum aurea dicta quorundam sanctorum patrum, quæ locus hic illis suggessit. S. Augustinus ser. 2. ad fratres ait, ***Spiritus enim humanus, sicut nunquam vivificabit membra, nisi fuerint***

§. 10. *Ut Spiritus S. nos vivificet, debemus esse uniti. Probatur ex c. 37. Ezech. ex S. Aug. & S. Bern.*

fuerint unita, sic spiritus sanctus nunquam nos vivificabit, nisi pace uniti fuerimus. Eadem ferme reperio apud S. Bernardum ser. 1. de S. Mich. *Videre est animam hominis, quemadmodum universa corporis membra vivificet; sed cohærentia sibi. Separa ergo quodvis à junctura cæterorum, & vide an de cetero vivificet illud. Sic est omnis, qui dicit anathema Jesu,* (quod facit, qui scindit unionem, qui per odia, rixas, discordias inter se separat membra mystici corporis Christi) *quod nemo dicit in spiritu Dei; quia anathema, separatio est; sic inquam omnis, qui ab unitate dividitur, non dubites, quin ab eo recesserit spiritus vitæ.* Audite hæc, ossa arida, & sicca, quæ inter cineres vestros alitis & fovetis odia; ossa mortua, anathema dicitis Jesu; spiritus vitæ, spiritus unionis, spiritus amoris, spiritus sanctus recessit à vobis; si desideratis ut spiritus ille super vos veniat, ut vos vivificet & sanctificet; redite prius ad juncturam, ad unionem & concordiam; & bonus Jesus, qui ante paucos dies gloriosus ascendit ad cœlos, intromittet in vos spiritum sanctum, & vivetis. *Veni & sancte spiritus?* (habes locum pro pio affectu adhortatorio ad unionem.)

§ 11. Ex S. Basilio, Hugone, Hilario, & Tertulliano.

Confirmat hæc S. Basilius epist. 79. *Hinc certè probatur, quàm non ducantur spiritu sancto, qui falsas intra se suspiciones alunt;* dico ego; qui fovent odia &c. [poteris hic facere acrem & severam in similes invectivam, v. g. sunt inter vos, qui illis quos oderunt, venenatis linguis detrahunt; non ducuntur tales spiritu sancto; talis lingua non est disposita ut post octiduum accendatur à flamma illius spiritus &c.] de his omnibus ait Judas Apostolus in sua canonica, v. 19. *qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes,* & Hugo l. de arca Noe. *Vt anima sit capax cœlestis gratiæ* (consequenter Spiritus S.) *præparet se in pace & tranquillitate.* nam quod de Christo Salvatore nostro mortuo in cruce, ait ps. 75. v. 3. & de eodem, prout per gratiam habitat in cordibus nostris, idem dici potest. *In pace factus est locus ejus.* idem verissimum est de Spiritu S. non habitant nisi in cordibus quæ habent pacem & quæ diligunt proximum suum. D. Hilarius in S. Matthæum canon. 18. *Ipse enim qui pax atq; caritas est, sedem in bonæ ac pacificis voluntatibus collocavit.* Eleganter deniq; Tertull. l. de spectac. c. 15. *Deus præcipit nos Spir. S. pro naturæ suæ bono, tenerum & delicatum* (Deum amoris & dilectionis) *cum tranquillitate, & lenitate & quiete, & cum pace tractare. non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare.* Hæc ego hodierna Dominica illis præsertim dicta volo, qui fortassis ob inveterata & tempore radicata, multorumque annorum spatio, conservata in cordibus odia præceptis Ecclesiæ de paschali confessione, & communione, necdũ satisfecerunt, nec satisfacere cupiunt, nisi de suis inimicis sumant vindictam, si vulnera, mors, cruor & sanguis Christi ad veram dilectionẽ permovere non potuerunt, opto hodie, ut id faciat Spiritus S. *propter quod,* ut finiam verbis cum verbis S. Petri ep. 2 cap. 3. v. 14. *carissimi, hæc exspectantes* (tandem donum, illam promissionem Christi, spiritum sanctum) *satagite immaculati, & inviolati ei inveniri, in pace.* Amen.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Alvei Tertii

SIVE

CONCIONUM,

In omnes Dominicas à Pentecoſte
uſque ad Adventum

PARS II.



CONCIO XXVII.

FESTO PENTECOSTES.

Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo.

Joann. 14. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit binas potissimum causas, ob quas Spiritus S. supra Apostolos descendit in forma ignis.

§. 1. *Quid sit Spiritus S.*
§. 2. *Alias Spiritus S. descendit ut ventus & columba.*
§. 3. *Alias in forma Nubis.*
§. 4. *Die Pentecostes in forma ignis.*
§. 5. *Ignis de cælo in Veteri Testamento devorans holocaust[a].*
§. 6. *Fuit figura spiritus sancti.*
§. 7. *Qui Apostolorum corda in holocaustum accendit.*
§. 8. *Paratus, nos quoque simili modo accendere.*
§. 9. *Confirmatur ex S. Chrysostomo.*
§. 10. *Ut Deus in Veteri Test. Prophetas, sic in Novo Christus D. suos Apostolos, contra hostes armavit ignibus.*
§. 11. *Quod ex profana eruditione confirmatur.*
§. 12. *Et nos, nos similibus flammis armare debemus.*
§. 13. *Epilogus. Ut ardeamus ignibus spiritus sancti.*

§. 1. *Quid sit spiritus sanctus.*

CUm S. Paulus (ut referunt Acta Apostolorum) circa festum Pentecostes, venisset Ephesum, inter alia suis auditoribus, quibus prædicabat Evangelium, hanc proposuit quæstionem, *An accepissent spiritum sanctum?* respon-

respondcrunt autem Ephesini; se non tantum, non accepisse spiritum sanctum, sed ignorare se, quis vel qualis sit ille spiritus. Aliter ego sentio, de meis præsentibus auditoribus, saltem quoad alteram partem datæ responsionis. Arbitror vos scire, & credere firmiter, hunc articulum fidei Catholicæ quid spiritus sanctus sit; nimirum tertia persona sanctissimæ Trinitatis; in natura, in divinis attributis & perfectionibus, per omnia æqualem Patri & Filio, æternum, immensum, omnipotentem, bonum, sanctum, verbo Deum. Et hæc scientia, omnibus sufficit ad salutem. Magis illuminati & illustrati à lumine fidei, spiritum sanctum nil aliud esse, quàm infinitum illum amorem, quo pater ab æterno complectitur filium, & filius patrem, non ignorant. Qui amor cum ociosus non sit, neque tamen quoad intra alium amorem operari possit, effundit se ad extra, scilicet ad creaturas, & præsertim hominem tanquam nobiliorem creaturam lumine rationis præditum, cui, quia tantæ gratiæ & beneficia ex infinito amore & liberalitate Dei collata sunt, (cōprehendit omnia titulus sanctificationis) illa merito adscribimus spiritui S. qui amor est. Personalis hic amor in sacrosancta Trinitate, est veluti fœcunda radix & arbor, de qua omnes surculi, rami & fructus gratiarum proveniunt. Est veluti fons, vel immensum mare, ex quo fluunt rivuli tot beneficiorum. Quandoquidem hæc scimus & credimus de spiritu S. cum Seraphinis non solum lætis vocibus conclamamus *Sanctus Pater, Sanctus Filius*, sed addimus, *Sanctus Spiritus S.* Isaiæ 6.v.3. Apocal.4.v.8. Non patri tantum & filio, sed sancto quoque spiritui, gloriam, honorem & benedictionem apprecamur. Cum S. Athanasio nos dicere oportet, *æternus Pater, æternus Filius, æternus spiritus S. Non tamen tres æterni, sed unus æternus Deus &c.* Itaque cum supponam vos hæc scire & credere: non inhærebo hac concione huic quæstioni, quid sit spiritus sanctus, sed alteri, à S. Paulo propositæ, an acceperimus spiritum sanctum, cum aliquot causas vobis proposuero, ob quas in terras hodierna die descenderit in forma ignis, facile respondere poterimus. O sancte spiritus! cum sine tuo lumine, sine tuo numine, sine tuis ra-

diis, sine tua gratia, quod intendo præstare non possim, veni, O lux beatissima, & meum, auditorumque meorum corda, amoris tui igne accende.

§. 2. *Alias Spiritus S. descendit, ut ventus & columba.* Spiritus S. variis modis, diversis temporibus de cœlis in hunc mundum descendit. In veteri testamento, lib. 3. Reg. c. 9. v. 12. afflavit Eliam, in sibilo auræ tenuis & suaviter murmuranrantis venti. Non sine mysteriis; Divinus enim hic spiritus, ventus est, ab æterno productus *de thesauris divinitatis*. ps. 134. v. 7. Est *ventus egrediens à Domino*, Numeror. 11. v. 31. Est *ventus urens*, ob ardores flammarum æternarum, Job. 27. 21. *Ventus calidus*, Jonæ 4. v. 8. *Ventus vehemens*, qui Exod. 14. 21. aperuit & clausit mare rubrum. Est *ventus amoris*, Jeremiæ 2. 24. Est *ventus roris*, ob quem Dan. 3. 50. tres pueri in fornace Babylonica ardores flammarum non senserunt. Idem ventus ab Evangelistis vocatur *aspiratio*, ad denotandam spiritualem vitam gratiæ, qua nos vivificat. In novo testamento, super divinissimum caput Salvatoris, cum baptizaretur in Jordane, apparuit in forma columbæ, ad significandam innocentiam, puritatem, candorem, sanctimoniam & fœcunditatem bonorum operum, ad quæ animas fidelium impellit. Columba! una, ut una fuit sponsa sponsi. Unus Spiritus S. Columba! formosa immaculata ut formosus est, spiritus sanctus. Columba convallium, Ezech. 7. 16. requiescens super humiles corde; columba! gemens, Nahum. 2. v. 7. quia pios gemere facit.

§. 3. *Alias in forma nubis.* In transfiguratione Domini, Regem gloriæ obumbravit tanquam aurea & lucida nubes, cujus umbra cujus pluviis electi proteguntur, & irrigantur. Exod. 16. cap. v. 4. gloria Domini apparuit in nube; in simili nube hodie mundo apparuit spiritus sanctus. Spiritus sanctus: *nubes plena aquæ*. 4. Esdræ c. 4. 4 Nubes! *spargens lumen*, Job. 37. 11. *Nubes matutina, stillans rore.* Oseæ. 13. 3. *Nubes obumbrans*, Marc. 9. v. 6.

§. 4. *Die Pentecostes in forma ignis* Hodierna verò solennitate, in Pentecoste, super beatissimam Dei Matrem, & Apostolos, Discipulos, sanctasque mulieres, decimo die post gloriosam Christi D. ascensionem de cœlis descendit in forma ignis, in varias scintillas, veluti linguas,

guas, divisus, seditque supra singulos illorum. Actor.2.v.32. Ignem elegit; nam-ipse est ignis amoris, ab æternitate ardens in sinu patris. *Est ignis Dei*, Job.cap.1.v.17. *Ignis comburens*. ps. 104.v.32. *Est flamma ignis devorantis*. Isaiæ 30.v.30. Idem asserente S.Paulo ad Hebr.12. 29. *Deus noster, ignis consumens est*. Alias multas rationes, ob quas spiritus sanctus in forma ignis descenderit, reperio in S. literis & apud S.Patres, inter quas, modo hæ mihi præcipuè placent.

Ex sacro codice scimus, in veteri testamento frequenter decidisse de cœlo ignem, in altaria, super victimas, à quo accensæ & combustæ fuerunt. Genesis.4. v.4. *Abel obtulit Domino de primogenitis gregis sui, & respexit Dominus ad munera ejus*; id est ut nobiles interpretes affirmant, misit flammam de cœlo, quæ impositum arcæ agnum, accendit, & in suave Domino holocaustum combussit. Judicum 13.c.v.20. similis ignis absumsit panet Gedeonis. Lib.3.reg.18. v.38. Elias ædificavit altare Domino, composuit ligna, divisumque bovem super illa imposuit, *ignis* verò, orante propheta, *cecidit de cœlo, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, & aquam; quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*! Lev.9.v.24. Aaron præsente fratre Moyse, altaribus imposuit victimas & holocausta; dum è tabernaculo exeunt ut benedicant populo, ingens accidit prodigium. *Et ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altare*. Non dubito omnem populum, cum ingenti admiratione, & reverentia exclamasse, Dominus est Deus noster!

§.5. Ignis de cœlo.in V. T. devorans holocausta.

Inter varias Interpretum sententias de cœlesti hoc igne, placent mihi verba Rudolphi Flavii l.7. in Lev.c.1.ubi ait; *Ignis enim egressus à Domino, spiritus sanctus est, qui à patre filioque procedit, de quo ipse Dominus, ignem veni mittere in terram, hic ergo ignis in terram missus, id est, hominibus datus, holocausta vorat; quia perfectorum corda in suum amorem rapiens, & ab affectibus mundanis secernens, omnem eorum virtutem, & studia ad divinam transfert militiam &c.* Ex quibus pulcherrimis verbis, doctissimi In-

§.6. Fuit figura spiritus sancti.

mi Interpretis hanc colligo causam, quare spiritus sanctus in forma ignis supra Apostolos descenderit.

§. 7. *Qui Apostolorum corda, in holocaustum accendit.*

Pulcritudo & magnificentia Christi D. ascendentis in cœlos, lætissimus aspectus tam gloriosi spectaculi, quale fuit admirabilis illa Ascensio; ultimus intuitus sui Magistri in suo decore, Oscula, ultimum impressa cicatricibus gloriosorum Vulnerum; dulcissima illa idea & imago, in mentibus omnium relicta, species aureæ nubis, quæ Dominum abstulerat ab oculis eorum; & amor præsertim, qui inde exarsit, ea in illorum cordibus excitavit desideria; accensa, inflammata desideria! ut per decem integros dies, unanimiter perseverantes in oratione, nil aliud desiderarint, quàm se totos, animas, corpora, linguas, affectus, offerre Domino, in holocaustum; Hodierna die, mane, ascendente sole, dum Virgo Mater suspirat, O fili dulcissime! sit cor meum victima, quæ tuo honori comburatur! dum Apostoli orant, O Magister! adimple promissa, mitte paracletum, qui suis ignibus nos accendat; ecce corda nostra! ecce holocausta! utinam ardeant! Ecce, aperiuntur nubes, panditur cœlum! ecce de pulcerrimis tabernaculis, cœlestis Jerosolymæ, egressus est ignis; Spiritus S. qui Mariæ, omniumque præsentium corda, veluti holocausta devoravit; & momento, in sui amorem adeo rapuit, à terrenis desideriis adeo secrevit cœlestibus verò adeo accendit, ut omnes arserint, grata Deo victima, & holocaustum, in odorem suavitatis. O flammas in Virgineo corde! Spiritus S. accendit. O ardores in corde S. Petri! Spiritus S. immisit. O prunas in omnium pectoribus! O desideria! O suspiria! O amores! his amoribus, his suspiriis, his desideriis, his ardoribus, his flammis, igneus hic spiritus, talia holocausta devorare solet. Rapit hominum corda in Dei amorem.

§. 8. *Paratus, nos quoque simili modo accendere.*

Video! ni fallor, adhuc hodie patent pulcerrima cœli tabernacula! patet thronus, in quo ad dexteram patris sedet Rex gloriæ Christus Salvator noster, advocatus noster, ut & nobis à patre suo mittat spiritum sanctum. Video, formosissimam illam columbam explicare pennas, librare alas, ut devolet in terras. Video lucidissimam illam nubem inclinantem se versus

hanc

hanc vallem lacrymarum. Video cœlestem flammam, inclusam quidem in pectore patris, paratam ut egrediatur. hæc video in cœlis! sed ubi altaria in terris? ubi victimæ? ubi holocausta? ubi corda vestra auditores? ubi vestra desideria? ubi animæ? ubi aquæ contritionis, ut laventur prius victimæ? Ah! utinam multorum corda non jam aliis arderent ignibus, quos suscitavit Asmodæus! quos accendit ira! quos inflammavit invidia! Utinam multorum corda non essent victimæ Veneris, proinde Satanæ, ut infernalibus deinde flammis æternum ardeant. De vobis auditores, aliud spero; Ecce altare, & aram, in qua in Venerabili sacramento nobis præsens est Christus Jesus Salvator noster; hic ponite corda vestra; præsertim si pura sint, & in sacramento confessionis lota, in precioso sanguine immaculati Agni, pro nobis in cruce immolati, nec dubitate, Ignis Domini non deerit, ex aperto latere Christi, evolabit ardens illa columba, descendet super nos Spir. S. ut suavissimis & castissimis flammis in suave holocaustum nos accendat, & consumat.

Placuit hæc causa S. Gregorio M. hom. 30. in Evang. *Nam* § 9.
dum repentino sonitu super discipulos venit, mentes carnalium in sui amorem permutavit; & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia, qui dum Deum in ignis visione susceperunt, intus suaviter per amorem arserunt. Hæc considerate atque perpendite auditores; & si quæstio vobis proponatur, an acceperitis spiritum sanctum? facile poteritis respondere. Coguntur aliqui fateri, si veritatem loqui velint, se esse carnales, & animales, se nimium diligere mundum, rarò se cogitare de cœlestibus, de amando Deo. Tales necdum acceperunt spiritum sanctum. Alii, mortificant membra sua, ne Deus offendatur; ad hunc finem, bellum indicunt sensualitati: eundem Deum plus amant, quam creaturas; magis solliciti sunt de cœlestibus, quam de terrestribus; igne divini amoris ardent suaviter. Hi sunt, qui acceperunt spiritum sanctum.

Confirmatur ex S. Chrysostomo.

Alteram quoque causam, ob quam Spir. S. descendit su- § 10.
per Apostolos in specie ignis colligo ex Vet. Test. ex quo scimus, Deum, Prophetas præcipuos, cum illos misit ad prædicandum

Vt Deum in V. T. prophetas, sic in N. Chri-

stus D. suos Apostolos, contra hostes armavit ignibus.

candum impiis pœnitentiam, armasse quasi igne, vel fuisse igneos. Antequam Moyses mittitur ad impium Pharaonem, apparuit illi Deus in rubo ignis ardentis, deditque illi potestatem concitandi fulgura & fulmina &c. Cornua quæ deinde ex monte Sina secum detulit ad populum, fuerunt quædam flammæ vel radii, vel ardentes quasi comæ in illum erectæ Exod. 30. v. 1. 2. Ad prædicandam pœnitentiam impio populo missus fuit Isaias, verum c. 7. v. 11. igneus seraph prius labia ignito carbone adussit, ut igneo ore & lingua ardente deinde prædicaret. Jeremias de se ipso ait Thren. 1. v. 13. *de excelso misit ignem in ossibus meis. & erudivit me*, & c. 23. v. 29. prophetiæ; *Nunquid non verba mea quasi ignis*. c. 20. v. 9. *factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususq; in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*. de Elia dicitur Eccl. 48. v. 1. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*. Ezechieli ante prædicationem ostensus fuit currus gloriæ divinæ Majestatis, sed totus igneus, rotæ erant igneæ, sedes ignea, animalia ipsum trahentia ignea, igneus leo, igneus taurus, ignea aquila, igneus homo; Ita habet textus. Et similitudo *animalium, & aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum; - - ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*; præterea Ezech. 1. v. 13. Undique *Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens &c.* Redeo ad meum thema. Hodierna dies ab æterno statuta fuit, ut Apostoli inciperent prædicare Evangelium, & magnalia Christi crucifixi; ut facerent ferventer, ut essent Eliæ, Isaiæ, Jeremiæ; Spiritus S. in forma linguarum ignearum super illos descendit, adeoque accendit, ut in momento cõversi fuerint, in leones, sed igneos, in tauros, sed igneos, in igneas aquilas, verbo, facti sunt ignei homines. A morte Christi latuerunt timidi, in solitudine, in silentio; momento verò quo hodie Jerosolyma, horrisono de cœlo tonitru excitata fuit, & repentino terræ motu, terra concussa, prodierunt in publicum igneis linguis loquentes magnalia Dei, libera voce dicentes, Act. 5. cap. v. 30. *Deus Patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno, & nos* (ego Petrus, qui illum negavi &c.) *sumus testes, esse*

Filium

Filium Dei; esse Messiam &c. Dixerunt hæc tanta vi, voce tam ignea, ut die illa tria millia receperint sermonem Domini, crediderint, & baptizati sint. De S.Petro præcipuè ait S.Chrysost.hom.4. in acta. *Vt cognoscerent, Spiritus S. esse gratiam, cum qui vilis puellæ non tulerat percunctationem, nunc in medio populi tanta cum fiducia dissereret.* Illos ignes, illos ardores, illum fervorem in Apostolorum animis, in oculis, in ore, in lingua, accendit Spiritus S.

Profana eruditio causam hanc confirmat. Cum olim belli duces hosti bellum vellent indicere, in hostilem terram injiciebant ignem. Persæ jam conflicturi, ardentem faculam vel hastam in aciem adversariorum contorquebant. Valerius Maximus, & Livius referunt, ex Lucii Marii strenui ducis, cum militem ad pugnam animaret, capite erupisse flammas, quibus visis milites adeo fuerunt animati & accensi, ut licet essent paucissimi, tamen 37. millia trucidarint. Cum aliquando Alexander M. (teste Plutarcho) in hostem rueret, visus fuit circumdatus flammis, quibus territi hostes protinus fugerunt. Servii Tullii infantis caput, radiavit flammis in cunis, ex quibus augures prædixerunt, fore strenuum belli Imperatorem, & felicem triumphatorem, quod & contigit. Redeo ad ignes Spiritus S. Imperator cœli & terræ Christus Jesus ante dies 10. ut scitis, gloriosus ascendit ad cœlos inde à regno suo, hostili terræ, huic mundo, suisque hostibus, Satanæ, idololatriæ, peccato bellum indicit per Apostolos, sed per ignes in quorum specie Spiritus S. in hunc mundum descendit. In belli duces electi sunt Apostoli; cum omnium capita & vertices fulgidissimis radient ignibus & flammeis linguis, sive igne spiritus sancti, augurari possumus fore felicissimos expugnatores & triumphatores hostium Christi. Aggrediuntur hodie nequitiæ arcem Synagogam, sed circumdati flammis, quas Christi hostes ferre non potuerunt. puto hic locum habere verba Cyrilli Alexandrini in homilia Ephesi habita; *descendit universorum Deus in monte Sinai, in specie ignis: & cur quæso in specie ignis? sane quando illis promulgaturus erat legem, tunc salubriter admodum in ignis specie descendisse*

§. II. Quod ex profana eruditione confirmatur.

visus est, nempe quo hinc transgressores illius intelligerent, rem sibi cum igne fore. Cum itaque hodie quoque Spiritus S. descendat in forma ignis, legisque novæ prædicatores armet flammis, causam timendi habet Synagoga. Res illi est cum igneis viris (sic de idololatria & Satana &c.)


§. 12. *Et nos, nos similibus flammis armare debemus.*

Nos vero causam habemus, ut similes flammas ardentibus precibus à cœlo & Christo D. efflagitemus, ut illis armati & circumdati, imò accensi strenuè pugnemus contra nostros hostes. Gratulor illis, quorum labia & linguas Spiritus S. ignito carbone divinæ caritatis accendit; tales acceperunt Spiritum S. Gratulor illis quorum capita & corda, radiant igneis cornibus Christianæ fortitudinis, quibus infernalibus hostibus sunt terribiles: tales acceperunt spiritum sanctum. Gratulor illis qui cum Jeremia hodie dicere possunt; de excelso misit ignem in ossibus nostris; vel, factus est spiritus Domini in cordibus nostris, quasi ignis exæstuans; tales acceperunt spiritum sanctum. Gratulor illis, qui cum ob fortitudinem sint quasi leones & tauri, ob cœlestia desideria quasi igneæ aquilæ, ob mansuetudinem quasi homines cum mysteriosis illis bestiis, visis ab Isaia, trahunt currum divinæ gloriæ; moventur ipsi ab igneo spiritu, acceperunt spiritum sanctum. Gratulor, inquam, omnibus, qui hodie facti sunt viri ignei.

§. 13. *Epilogus. Vt ardeamus ignibus Spiritus S.*

Igneus vir fuit B. Felix ex S. Ordine Capucinorum, qui cum his feriis, hominibus obviabat, dicere fuit solitus, *ut ardeatis*; igne scilicet caritatis quam spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris. Ignea virgo fuit B. Sibyllina ex ordine S. Dominici, spiritui sancto devotissima. Nam festo Pentecostes sensit à suavi vento aperiri valvam sui cubiculi, audivitque vocem de cœlo, *Sibyllina! ut ardeas illo igne, qui hodierna die, delapsus de cœlo fuit super Apostolos.* Alias cœlestis genius illi apparuit, & flammas conjecit in faciem? hinc tota ardere cœpit flammis divini amoris. (ex his accensum & affectuosum adde Epilogum.)

CON-



CONCIO.

PRO FESTO SS. TRINITATIS.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Sex puncta proponit. 1. Fundamentum sive auream basin veri cultus & devotionis erga SS. Trinitatem, esse eximias tres Virtutes Theologicas, fidem, spem charitatem. 2. Has tres virtutes excitare in nobis ardens desiderium laudandi SS. Trinitatem, præsertim notissimo versiculo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* 3. Exponitur Versiculi hujus dignitas & excellentia. 4. Antiquitas, & ortus. 5. Usus. 6. Tempus, sive quando potissimum dici debeat.

§. 1. *Exordium desumitur à versiculo*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

§. 2. *Cultus SS. Trinitatis exigit eximiam fidem, spem, & charitatem.*

§. 3. *Aureum thuribulum, aureæ campanulæ, &c. in veste summi sacerdotis, fuerunt symbola harum virtutum.*

§. 4. *Tres præcipue partes Templi Salomonis, Atrium, Sanctuarium, sancta Sanctorum, illuminata fuerunt triplici lumine. Quænam hic mysteria*

§. 5. *Fides, Spes, Charitas, nos excitant ad laudandam SS. Trinitatem; præsertim notissimo hoc versiculo*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

§. 6. *Quanta sit dignitas & excellentia hujus versiculi.*

§. 7. *Prosecutio.*

§. 8. *Oratiuncula hujus antiquitas in Ecclesiâ, à tempore S. Ignatij Martyris.*

§. 9. *Ecclesia usum hujus versiculi opposuit primis hæreticis circa mysterium SS. Trinitatis.*

Hæc concio spectat ad festum SS. Trinitatis Alvei III. pag. 283.

Diese Predig gehöret zu dem Fest der hochheiligen Dreyfaltigkeit.

§. 1. *Exordium desumitur à versiculo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.*

EX vultuum vestrorum amœnitate, oculorumq; hilaritate conijcere mihi licet, venisse vos ut hodiernâ solennitate SS. Trinitatis, ut de hoc ineffabili, incomprehensibili, jucundissimo tamen mysterio aliquid à me audiatis. Me quod attinet, fateor mihi quoque volupe esse de eodem perorare; itaque prius, simul & unanimiter, ex corde dicamus: *gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* Referunt S. Damascenus & Nicephorus, in civitate Constantinopoli, inspectante toto populo, in præsentiâ Theodosij Imp. & Procli Patriarchæ, subvectum in aëra puerum, raptumque fuisse in cœlum; reducem deinde in terras retulisse; audivisse se sanctos Angelos & Cœlestes Spiritus suavissimâ melodiâ cantantes hunc versiculum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* Ego quidem hodierno die corporaliter in cœlis non fui; piis tamen cogitationibus Angelorum; Archangelorum, imo Cœlestium omnium Spirituum choros pertransivi; transivi Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum turmas; transivi cuneos Martyrum, transivi Virginum & Confessorum pulcherrimas cohortes, donec ad ipsum thronum SS. Trinitatis perveni; ibi vidi Seraphinos & Cherubinos, vidi mystica illa animalia, vidi 24. Seniores, &c. vidi omnia, quæ in Apocalypsi refert se vidisse S. Joannes, audivi quoque omnium voces, laudis, gratiarum actionis, benedictionis; sed præcipuè hunc versiculum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* Itaque, illius originem, antiquitatem, excellentiam, & modum, quo pronuntiari debet hâc concione vobis proponam, in honorem, laudem, & gloriam sanctissimæ Trinitatis, ut laus, gratiarum actio, benedictio sit Patri, & Filio, & Spiritui S. Amen.

De

De S. Sophia, nobili matronâ narrat Metaphrastes, quod tres habuerit filias, nobiles formæ elegentiâ, nobiliores pulcherrimarum virtutum ornamento. Prima annorum duodecim appellata fuit Fides, altera decennis, Spes; tertia annorum novem, Charitas. Omnium fides & constantia, à tyranno primùm tentata fuit ardentibus prunis & accensis facibus, sed frustra; eò ardentius unam professæ fuerunt fidem. Conjectæ deinde fuere inter ardentem caminum; inter flammas illarum fides effloruit magis. Tentavit eas tyrannus aliis tormentis; in vanum! donec tandem jussæ omnes plecti capite; cum Mater amputata capita videret volutari in sanguine, læta exclamavit, *O me beatam! quæ tribus filiabus SS. Trinitatem honorare merui! O summum DEI beneficium, qui eas hodie martyrij gloriâ coronatas in suum transferre dignatus est regnum. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu; laudemus & superexaltemus in sæcula.* Legioni in Hispania, alij tres pueri, cum propter fidem de SS. Trinitate, gravissimis excruciarentur tormentis; aliud non dixerunt, quàm, *Benedicamus Patrem*, &c. Scio quàm eximiis encomiis à SS. Patribus extollantur, Cultores & Amatores SS. Trinitatis. Scio illos appellari Seraphinos, Cherubinos, Thronos, aulæ cœlestis proceres, &c. Quis vetabit quominus ego cultorem SS. Triados appellem Fidem, vel Spem, vel Charitatem; cum hæ præcipuæ illæ sint virtutes, quarum exercitio & actibus potissimum adoratur, colitur & amatur SS. Trinitas. Fidem debemus Patri; Spem Filio, Charitatem & amorem Spiritui S.

§. 2. *Cultus SS. Trinitatis exigit eximium Fidem, Spem, & Caritatem.*

Cum summus Pontifex in Vet. Testamento intraret sancta sanctorum, certis cæremoniis id fiebat; nam, in manu dexterâ portabat thuribulum, plenum fumigante thymiamate, ut esset quasi circumdatus fumo. Deinde, ex primariâ & longâ togâ sacerdotis pendebant aureæ campanulæ sive cymbala, quæ inter ambulandum motæ & agitatæ suavem causabant sonum, & dulcem harmoniam. Campanulas pulchro ordine distinxerunt malo-

§. 3. *Aureum thuribulũ, aurea campanula, aurea malogranata in veste summi sacerdotis, fuerunt symbola fi-*

dei, spei & caritatis, quibus præcipue colimus SS. Trinitatem.

malogranata ex optimo auro. Ad literam, fuerunt hæc ornamenta summi sacerdotis; sub cortice sensus mystici latet nucleus pulcherrimorum mysteriorum. Huc, ad sacratissimum hoc templum SS. Trinitatis vestra vos deduxit devotio (NB: Concio hæc habita fuit in Gosvvinstein, loco SS. Trinitati sacro, in diœcesi Bambergensi) Ut ostendatis vos Cultores & Amatores SS. hujus mysterij; Agite ergo aurea apprehendite thuribula, ardentes sufflate carbones, thura & thymiama injicite; in fumo vos oportet accedere. Odoratus fumus significat veram fidem de SS. Triade; obscura illa quidem est, sed suaviter olet coram arâ SS. Trinitatis. Orationum, laudum, benedictionum vestrarum cymbala oportet esse ex auro. Aurea basis, est vera fiducia & spes, cujus aurea fundamenta sunt omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia, & suavissima DEI providentia. Omnipotens, sapiens, bonus, misericors est Pater. Tam amanti Patri, quis non fidat? Omnipotens, &c. (Sic de Filio & Spiritu sancto) Caritatis & amoris, ex toto corde, &c. quem præcipuè debemus Spiritui sancto; Symbolum sunt, aurea malogranata. Hæc! sive vestrum amorem, affectum, inclinationem, cogitationes, desideria, vota; hodie in hoc templo, offerte sanctissimæ Trinitati. Omnis cultus erga SS. Tr. basis est fides.

§. 4.
Tres præcipuæ partes templi Salomonici, atrium, sanctuarium, sancta sanctorum, illuminatæ fuerunt triplici lumine. quænam hic mysteria?

Templum Salomonis in tres partes fuit divisum. Prima pars fuit atrium; quod Judæi & omnes populi, etiam gentiles poterant ingredi. Cagitate hodie, hoc templum esse atrium palatij SS. Trinitatis. Altera pars templi Salomonici appelata fuit locus sanctus sive sancta. Ad hæc non patuit aditus nisi sacerdotibus & ministris sacrificiorum. Iterum cogitate, hoc templum esse talem locum. Sacerdotes & ministri tremendi sacrificij sunt, quicunque in hoc templo in honorem SS. Trinitatis intersunt sacrificio; quicunque huc venerunt, ut immolent DEO victimas labiorum. Tertius locus, dictus fuit, sancta sanctorum; quem locum solus sacerdos summus poterat ingredi. Advertite præterea, quemvis locum ex his

his tribus diverſo lumine fuiſſe illuſtratum. Atrium lumine ſolis, per pulcherrimas feneſtras. Locum ſanctum à lumine ſeptem lampadum, quæ ibi jugiter ardebant; In aureo candelabro. In ſanctis ſanctorum, nulla fuit lux, niſi ſubobſcura, vel per aliquas rimas à luce iſtarum lampadum, vel à gemmis, quæ radiabant in rationali ſummi ſacerdotis, cum ſanctiſſimum illum locum ingrederetur. In Cultoribus SS. Trinitatis in ſenſu myſtico requiro triplex hoc lumen. Lumen ſolis, ſive lucem illam noſtri intellectus, quâ cognoſcere poſſumus eſſe unum DEum, principium rerum omnium. Requiro inſuper lucem clariſſimæ lampadis, quæ eſt ſacra ſcriptura, cujus figuræ, umbræ, teſtimonia cum infallibili certitudine nos deducunt in SS. Trinitatis cognitionem. Verùm ſuper omnia, opus eſt lumine lucidiſſimæ & pulcherrimæ gemmæ, quæ vocatur Fides. Sine hâc ambulamus in tenebris. Advertitis, puto Auditores, quid ego hodierno feſto, in hoc celeberrimo loco, præcipuè deſiderem ad venerationem SS. Trinitatis. Fidem! fidem! Publicam ab omnibus hujus fidei cuperem audire Profeſſionem. Vellem omnes dicere mecum & cum S. Auguſtino. *O Trinitas ſuperenarrabilis! ſuperinſcrutabilis! ſuperinacceſſibilis! ſuperincomprehenſibilis! ſuperintelligibilis! exſuperans omnem ſenſum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam.* Fatemini vos non poſſe capere tantum myſterium, tamen quivis dicat *Credo! Credo!* Patrē, &c.

Fides, Spes, Charitas erga SS. Trinitatem; neceſſariò nos impellunt, ut ex toto corde, deſideremus, dies & noctes repetere illos hymnos & rythmos, quibus ſancti in cœlis, & Viatores in terris laudant & benedicunt SS. Trinitatem. Omnium laudum & benedictionum, & gratiarum nucleum in ſe continet, notiſſimus Eccleſiæ verſiculus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* S. Chryſoſtomus hæc verba appellat, *Hymnum Angelicum.* S. Baſilius. *Lætum & triumphalem*; Alij. *Doxologiam*, ſive, *Canticum gloriæ*, *Cæleſte carmen.* Alij, *Triſagion.* Alij, *Jubilum cordis*, id eſt, Verba hæc in jubilantium cordibus ingens cauſant gaudium & jubilum. Conc. Vaſenſe ſub Leone I. *Tam dulcis & deſiderabilis*

§. 5. Fides, Spes, Caritas nos excitant ad laudandam SS. Trinitatem: Præſertim notiſſimo illo verſiculo: Gloria Patri.

 eſt

est hæc vox, ut etiamsi die noctuq; dicatur, fastidium non possit generare. Addo verbis Magni Concionatoris in laudem brevis hujus or. *O gloriosissimum hymnum, O dulcissimam cantionem! quæ brevissimo verborũ circuitu supremam Trinitatẽ adorat, & immẽsæ æternitatis recordatur.* (p. duo ineffabilia, Trinitas, æternitas utrumq; tamẽ includit brevis oratio) *propter illam enim dicit Gloria, &c. propter hanc subjungit, sicut erat, &c. hinc gloriosè inclinat Patri, F.S.S. illinc suavis principij sæculorum & sempiternitatis meminit. Hinc de fonte unitatis essentiæ signato distinctione Trinitatis Personarum diserit, illinc magnum æternitatis flumen derivat, quod in multa sæcula tanquam diversa capita distinguit. Trinitati laudem annuntiat, laudatione æternitatem pronuntiat.* (O felicem æternitatem! p.) *De DEO unitatem gloria prædicat, homini multitudinem felicium sæculorum prædicit, & brevis fidei unicæ Trinitatis copulat spem unitæ æternitatis,* &c. Verbo, est Laudum compendium. Ex Isaia dicere possumus hæc verba, *Gloria, patri,* &c. esse voces Seraphicas cùm idem sint, quod *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Placet aliis, si hunc versiculum appellem, *Hymnum Eucharisticum,* sive, Canticum actionis gratiarum. v.g. gloria, sive gratiarum actio sit Patri, quod nos creaverit; gloria, sive gratiarum actio Filio, quod nos redemerit. Spiritui S. quod nos sanctificaverit. Placebit aliis si dicam, hunc versiculum esse materiam illius harmoniæ, sive Musicæ, quâ novem cœlestium Spirituum ordines, Seraphini, Cherubini, &c. quâ Omnium SS. chori in cœlis, sine quiete cantant gloriam Patri, & Filio, & Spiritui S. Amplius ait S. Joannes in Apoc. cap. 5. v. 13. *Omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terrâ, & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes; Sedenti in throno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

§. 6. *Quanta sit dignitas & excellentia hujus versiculi, declaratur ex*

Dignitatem & excellentiam hujus oratiunculæ demonstrat ipsa hæc vocula, Gloria; de quâ S. Thomas ait, esse generosum partum & dignam prolem vel filiam, nobilissimi patris, qui dicitur Laus, & pulcherrimæ Matris, quæ appellatur honor. Ex laude enim & honore nascitur, ut quis vocetur gloriosus. Vel dicamus

camus hæc tria, Laudem, Honorem, Gloriam esse tres sorores, inter quas excellentissima est unio & connexio. Laus enim, est testimonium, sive publica demonstratio, quâ honorificis verbis, aliquem v.g. Regem, esse dignissimũ qui honoretur. Esse sapientem, pium, benignum, &c. quatenus tale testimonium sistit in verbis, vocatur Laus, si verbis accedat reverentia exterior, quæ v.g. declaratur in flexione genuum; inclinatione corporis, oblatione munerum, &c. Laus insuper est honor; ex quibus laudatoriis verbis, sive encomiis & actibus honoris, dum Regis alicujus fama undique diffunditur, & dilatatur, vocatur gloriosus. Et hoc significat vocula Gloria; aliquem scilicet esse dignum, qui laudetur & honoretur. Sive est, Vox publica, de alicujus excellentia & præstantia. Unde colligimus, tria concurrere ad veram gloriam. Primum est virtus, valor, quævis excellentia, vel illud, quod meretur laudem. Ex his sequitur alterum, ut honorificis vocibus, titulis, clamoribus; illa prædicemus. Cassiodorus: *Gloria est laus, facta celebratione multorum.* Quam plerumque tertio sequuntur actus reverentiæ & honoris exterioris: ex quibus omnibus veluti surculis crescit Oliva, de quâ Oseas ait cap. 14. v. 7. *Et erit quasi Oliva gloria ejus.*

vocula, Gloria.

§. 7. *Prosecutio.*

Ex his puto vos advertere versiculum hunc: Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto nihil aliud esse, quam triumphalem, lætum, Angelicum, Seraphicum canticum, quo *inprimis* ore & linguâ profitemur, esse in DEO & in sanctissima Trinitate excellentissimas & infinitas perfectiones, ob quas verbis & ore à nobis debet laudari, prædicari & benedici. Talis causa v.g. est omnipotentia, talis titulus, sapientia, bonitas, misericordia, &c. Profitemur, sanctissimam Trinitatem esse dignissimam omni laude. 2. Seraphini cum timore stantes ante thronum; viginti quatuor Seniores, in terram projicientes suas coronas; Cherubini, alis velantes pedes & faciem nos docent, ut cum tremore & ingenti demis-

 sione

ſione coram hâc arâ ſanctiſſimæ Trinitatis procumbamus in genua, ut poſſibili reverentiâ illam adoremus; in his conſiſtit honor. Dum ſanctiſſimam Trinitatem ita verbis laudamus, dum actibus externis honoramus; ex corde, cum omni creaturâ dicere poſſumus: Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto. Hæc gloria eſt finis omnium operum, quæ ad extra fecit Dominus, v. g. in ſtatu naturæ; quod DEUS creaverit cœlum & terram; quod luceat ſol, quod ſplendeat luna, quod rutilent ſtellæ, quod moveantur cœli, quod calefaciat ignis, quod refrigeret aër, quod iriget aqua, quod floreat terra, quod vireant arbores, &c. (eſt locus pro pulcherrima deſcriptione) omnium finis eſt gloria ſanctiſſimæ Trinitatis. In ſtatu gratiæ; Quod Verbum Patris ſit factum caro; quod Chriſtus paſſus, mortuus, quod ſanguinem fuderit, ut nos redimeret, &c. Omnium finis eſt gloria ſanctiſſimæ Trinitatis. In ſtatu gloriæ; quod æternum felices, futuri ſint Seraphini (diſcurre per omnium Sanctorum Ordines; præſertim de DEI matre) omnium finis eſt, ut in omnem æternitatem, Gloria ſit Patri & Filio, & Spiritui ſancto. Et quænam excellentior oratiuncula excogitari poteſt; quam ipſe CHRISTUS Dominus in prima Dominicæ orationis petitione nos docuit, dum jubet, ut dicamus; Sanctificetur nomen tuum. Hæc breviter de verſiculi hujus excellentiâ.

§. 8. *Oratiuncula hujus antiquitas in Eccleſiâ, à tempore S. Ignatii Martyris.*

Uſus excellentiſſimæ hujus oratiunculæ in Eccleſiâ eſt antiquiſſimus. Matth. cap. 19. verſ. 3. advocans JEſus parvulum ſtatuit eum in medio Apoſtolorum, & ait: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Piè aliqui meditantur, Chriſtum Dominum hunc parvulum impoſuiſſe brachio ſuo, cum ſuaviſſimo amplexu. Hic puer fuit deinde celeberrimus ille S. Ignatius, diſcipulus ſancti Joannis Apoſtoli, condiſcipulus ſancti Polycarpi; ab Apoſtolis ordinatus, tertius poſt ſanctum Petrum;

Petrum Antiochiæ Episcopus; gloriosissimus Martyr, inter tormenta ausus dicere; Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. Felix ille Martyr, cujus pectus cum immani vulnere dilacerassent leones, in corde repertum fuit aureis literis descriptum, dulcissimum nomen JESUS. De hoc sancto Ignatio referunt historiæ, eum raptum in cœlum, in pulcherrimâ visione in amœnissimo monte vidisse immensam Angelorum multitudinem, laudantium sanctissimam Trinitatem alternis choris; ob quam causam deinde instituit, ut Psalmi cantarentur per choros, & quivis Psalmus in fine offeretur DEO hoc versiculo: Gloria Patri, &c. Quod audiverat facere Angelos in cœlis.

Cùm deinde exsurgerent inimici crucis Christi, & jurati hostes tremendi mysterii de SS. Trinitate; Cùm Ariani, Macedoniani & alii scelestissimas contra illud spargerent hæreses; SS. Trinitatis cultores, & veræ fidei zelatores usum hujus versiculi commendarunt populo, cecinerunt in templis; ut non tantum esset laus sanctissimæ Triados, sed brevis, publica & fervens professio veræ Catholicæ-Romanæ fidei, circa hoc mysterium. Sic sanctus Chrysostomus, ad illudendum Arianis suo tempore solennissimam instituit processionem, in quâ argenteæ prælatæ fuerunt cruces, & accensæ faces; omnis verò populi multitudo in alternos divisa choros lætissimis vocibus itenditem hunc versiculum cantarunt: Gloria Patri, &c. Vos ego compello Auditores, qui hodie ad hunc locum convenistis. Miror planè DEUM inter hos montes, in viciniâ tot adversariorum Romanæ fidei, elegisse sibi hunc locum, ut hic tantâ devotione, tanti populi accursu colatur sanctissima Trinitas. Nimirum, ut Ariani, ut Macedoniani, ut omnes hæretici, qui mysterium hoc oppugnant, confundantur; Locus hic sanctus est; est porta cœli; ut hodie ipsam

§. 9. Ecclesia usum hujus versiculi opposuit primis hæreticis circa mysterium sanctissimæ Trinitatis. v. g. Arianis, Macedoniis, &c.

cœlestem Jerosolymam ingrediamur. At quid! ob quam causam? Laudes: hymnos! cantica! quibus ibi audietis laudari sanctissimam Trinitatem; illis vos hodie, hoc loco, eandem exaltate, superexaltate; præsertim hoc versiculo: Gloria Patri,&c.

§.10. *Seraphini nos docent, quomodo dicere vel canere debeamus hunc versiculum.*

Modum, quo hic versiculus à nobis corde & ore ad summam laudem sanctissimæ Trinitatis pronuntiandus est, docuerunt nos Angelicæ Capellæ sive Musicæ in cœlis Magistri: Cœlestium spirituum supremi & perfectissimi Seraphini: cum Isaias cap. 6. vers. 1. *vidit Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: - Seraphim* (vers. 2.) *stabant super illud; sex alæ uni, sex alæ alteri; duabus velabant faciem, duabus pedes, duabus volabant.* Et (vers. 3.) *clamabant alter ad alterum.* Sanctus Jeronimus legit; *Iste ad istum.* Vel, *Unus ad unum, & dicebant, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Cap. 4. vers. 8. Apoc. insinuat, non habere Seraphinos requiem, die ac nocte, in concinendis DEI laudibus. Ecclesia in præfationibus ait, Omnes in cœlis, sine fine, incessabili voce proclamare: *Sanctus! vel Gloria Patri, &c.*

Quæ verba Ecclesia in certis præfationibus exponit per sociam exultationem.

§.11. *Nimirum, cum socia exultatione; ferventer, semper, continuò, &c.*

Nunc ex me quærite Auditores, quomodo laudare debeatis sanctissimam Trinitatem. ℞. 1. Magno numero estis hic congregati, coram hâc arâ, in hoc sacratissimo Templo sanctissimæ Trinitatis; itaque requiro sociam exultationem; ab omnibus cupio laudari sanctissimam Trinitatem; Unus ad unum; alter ad alterum, iste ad istum; simul omnes dicite: Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto. 2. Exigo à vobis clamorem: quæ vocula duo nobis inculcat; 1. ut oremus ardenter ex toto corde; quantum possumus. Causam dat Ecclesiasticus cap. 43. vers. 32. *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis; supervalebit enim adhuc, est admirabilis*


rabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum; quantum potestis; major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis, non enim comprehendetis. Deinde vocula clamor innuit constantiam; quam sibi proposuit David Ps. 33. cum vers. 1. dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Et quidem cum magnâ humilitate & reverentia cordis & corporis. Sed ingredior materiam nimis latam, proinde constringo; & pro Epilogo hujus concionis meis Auditoribus insinuo, quando præsertim cupiam ab illis laudari sanctissimam Trinitatem.

Dico 1. Hodie, hoc loco, qui ob tot miracula, ob tantum populi accursum & devotionem est celeberrimus. Agite Auditores, &c. 2. Versiculum hunc vobis reddite familiarem, cum estis constituti, in aliquâ necessitate. Nihil tum est utilius, quàm invocare sanctissimam Trinitatem. Cùm virgo quædam patriam deserens alio pergeret ad quoddam monasterium, ut in illo DEO serviret, in via, ipsi & comiti, tam turpe & immane monstrum se illis objecit, ut præ timore corruerint in deliquium. Anna, (hoc erat nomen virginis) hoc unum ingeminabat, sanctissima Trinitas opitulare nobis. Evanescente monstro, sibi redditæ, prosecutæ sunt iter; inter avia, devia, donec viri tres in candidissimo habitu illas ad vicinum pagum deduxerunt. Dum inter se quærunt, quales isti sint viri, momento disparuêre, & utraque, Anna, & ancilla, sibi persuaserunt, fuisse tres Angelos, submissos à SS. Trinitate. Idem facite; nec dubitate, &c. est locus pro pulchro affectu.

§. 12. Quando, potissimum uti debeamus hoc versiculo.

Denique suadeo, ut frequenter, & ferventer dicatis hunc versiculum, hâc intentione, ut tandem in agone vobis adsit sanctissima Trinitas. Ipsa DEI mater quondam ita sanctam Mechtildem instituit; hæc enim curiosè semper modos inquirebat, sanctam mortem obeundi, cui DEI parens

§. 13. Prosecutio cum affectuoso Epilogo.



CONCIO XXIIX.

DOMINICA I. POST SS. TRINIT.

Epulabatur quotidie splendide.

Luc.16.cap.v.9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VOcatur Euchariſtia epulum ſive Sacramentum gratiarum, quia Chriſtus D. pro infinita ſua liberalitate, in illo nobis offert ſimul collectum theſaurum omnium meritorum, & ſe totum, veluti fontem gratiarum.

§.1. *In epulo Euchariſtico 16. nobis proponuntur fercula.*

§.2. *Chriſtus D. in Euchariſtia nobis offert totum ſuum theſaurum ſimul collectum.*

§.3. *Ieſus in Euchariſtia fons collectus.*

§.4. *Fons novus.*

§.5. *Quare ſponſa dicat, ſe à ſponſo ductam fuiſſe in ipſam cellam.*

§.6. *A Chriſto D. in Euchariſtia nobis offertur quinta eſſentia omnium meritorum.*

§.7. *Gratiam in Euchariſtia comitantur virtutes; quas Chriſtus D. nobis reddit dulces.*

§.8. *Chriſtus Dominus in Euchariſtia abundantiſſime offert gratias*

§.9. *Benè diſpoſitis.*

SÇio, quam pulchram & copioſam, atque uberem materiam concionatoribus præbeat, Evangelicus epulo, ſepultus in inferno. Scio, quàm hic miſer homo vivè depictus inter flammas gehennæ, terreat corda impiorum. Sed fateor, hodierna Dominica infra Octavam jucundiſſimi feſti corporis Chriſti, ad ſe me rapit dulciſſimus Jeſus meus in SS.Eu-

§.1. In epulo Euchariſtico 16. nobis proponuntur fercula.

SS. Euchariſtia quid mihi lætiſſimis his feriis, cum inferno, cum flammis gehennæ, vel cum menſa & conviviis epulonis? epulentur ſplendidè in menſis mundi, bibant, ut putant, blande vinum & venenum ex aureo ſcypho meretricis babylonicæ, qui volent, ut aliquando ſepeliantur in inferno. Ad alias epulas nos invitat Chriſtus D. in ſacroſancta Euchariſtia, in qua epulamur ſplendidè & bibimus, ut dixi, delicatè. Verbum hoc epulari, ex hodierno Evangelio, in memoriam mihi revocat, titulum libri R. P. Claudii à Jeſu ex Ord. S. Thereſiæ, qui talis eſt. Epulum Euchariſticum, in quo 16. proponit fercula. 1. gratiæ. 2. Fidei. 3. Spei. 4. Amoris. 5. Vitæ. 6. Transformans. 7. Gloriæ. 8. Puritatis. 9. Suavitatis. 10. Paſſionis. 11. Fortitudinis. 12. Judicii. 13. Sapientiæ. 14. Immortalitatis. 15. Perſeverantiæ. 16. Morientium. Fercula hæc nil aliud ſunt, quam pulcherrima Elogia ſacroſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, quæ ego in variis ſeptem annorum concionibus de diviniſſimo hoc myſterio, explicare ſoleo. Hæc concio primum ferculum vobis proponet, & oſtendet ſacroſanctiſſimam Euchariſtiam eſſe compendium omnium gratiarum, virtutum, & meritorum Chriſti. Iterum ſit laus ſacroſanctiſſimo ſacramenmento.

§. 1. Chriſtus D in Euchariſtia nobis offert totum ſuum theſaurum ſimul collectum.

Epulas ferculum, cibum, potum gratiæ, vocant B. Patres Euchariſtiam, quia Jeſus Salvator noſter in illa nobis eſt fons ac ſcaturigo omnium gratiarum & virtutum, vaſtus quoque Oceanus omnium meritorum, ex quo fonte, ex quo mari vividas cœleſtium chariſmatum aquas omnibus haurire licet, & abundanter ſecundum cujuſvis diſpoſitionem. Inter miracula Euchariſtiæ hoc præcipuè miror; in minima hoſtiæ conſecratæ particula remanere totum Chriſtum, ſic de gutta ſanguinis! O Chriſti D. inf. liberalitatem; In parva hoſtia, in guttula vini offert theſaurum ſuorum meritorum, ſimul collectorum. Ex pulcro ſimili intelligere poteritis, quid fecerit Chriſtus Salvator noſter dum Euchariſticas has epulas inſtituit. In amœniſſimo aliquo horto, cryſtallinus ſcaturiens fons in varios ſcinditur rivulos; quorum aquas hortulanus optaret videre in uno

alveo,

alveo, in uno fonte. quid ille? aditus rivulorum præcludit, ſcaturigines pulcris includit lapidibus, ut omnium rivulorum aqua in uno maneat fonte. Advertitis, ni fallor, duplicis generis fontes. Fons diviſus in rivulos fuit Chriſtus Salvator noſter pendens in cruce; ſanguineos rivulos fecerunt Vulnera manuum, alios Vulnera SS. pedum; rivulus præcipuus fluxit ex benedicto latere & corde, quod cum Longinus aperuit, *exivit ſanguis & aqua.* Joannis. 19. v. 34. Cum his aquis cum hoc ſanguine ex Vulnerato Chriſti corpore ſimul fluxit aqua ſacri baptiſmatis, & oleum fortitudinis quæ confertur in confirmatione, & ſalutare balſamum, quo curantur Vulnera animarum in ſacramento pœnitentiæ propter gratias ſacramentales ex illis ſcaturiginibus defluunt aquæ aliarum gratiarum, virtutum & infinitorũ meritorum Chriſti. Sed fluxerunt q. per diverſos rivulos; quid egit cœleſtis hortulanus? hoc, Inſtituit ſacramentum Euchariſticum & in illo veluti uno fonte concluſit omnes alios rivulos fecit omniũ, gratiarum, virtutes, merita, dona ſpiritus ſancti ſtare in ſuo fonte; concluſit omnia in una ſua divina perſona corpus ſanguinẽ, Vulnera, virtutes, merita; ſe & omnia hæc concluſit in parvum circulum, conſecratæ hoſtiæ, ſub accidentibus panis & vini; ut in unico bolo corporis Chriſti, cum hauſtu uno ſanguinis, integrum gratiarum ac meritorum fluvium, imo mare ſorbeamus.

Duplicem hunc fontem ſive Chriſtum in cruce & in Euchariſtia præ oculis videtur habuiſſe Euſebius Emiſſenus hom. 55. de bapt. catechum; cum ait; *Vt coleretur jugiter* (ſcilicet ideo inſtituit Euchariſtiam) *per myſterium, quod ſemel offerebatur,* (in cruce) *& quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio* (quia quotidie nobis prodeſt ſanguis in cruce effuſus, dum in illo abluimur, mundamur, & ſanamur, in remiſſionem peccatorum) *perpetua etiam eſſet redemptionis oblatio* (in ſacrificio miſſæ) *& perennis illa victima viveret in memoria; præſens quoque nobis ſemper eſſet in gratia.* Ecce duplicem fontem, ex quo quotidie nobis haurire licet aquas ſalutis. Eſt fons ſanguinis Chriſti fluens ex divinis pedibus per ferventia divinæ

§. 3. Ieſus in Euchariſtia fons collectus.

puritatis, contritionis &c. Si simul omnia bibere vel comedere velimus, in uno q.bolo, vel unico haustu, manducate corpus, & bibite sanguinem Christi in sancta Eucharistia, in hac Jesus fons est quasi collectus & cõclusus in ipsa scaturigine. Eucharistia fons est omnium gratiarum· Merito B. Patres illam vocant, epulas vel ferculum gratiarum.

§. 4. *Fons novus.* Nescio, an non S. Paulus duplicem hunc fontem habuerit præ oculis, cum dixit Heb. 9. v. 28. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* q.d. Christum filium Dei pendentem in cruce expansis brachiis fecisse, quod agit, qui puteum vult exhaurire; quod dum facit, efficit ut novus quasi fluat fons, purioribus aquis, sudavit ita & laboravit horrendum Christus D. in cruce, & sic ex fœtidisissimo puteo peccatorum totius generis humani exhausit aquas, & effudit in puteum sui sanguinis & meritorum, in quo perierunt & deleta sunt; *Oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*; Verum ut simul alium fontem nobis relinqueret, ex quo haurire possemus aquas gratiæ, vitæ & salutis; Sacramentum altaris instituit, in quod tanquam in exundantem puteum omnia sua merita effudit & gratias, ut qui dignè hoc sacramentum accipiunt, unico haustu, integrum puteum donorum cœlestium absorbeant. in quo Nyss. in Cant. cap. 4. v. 15. super illa verba *puteus aquarum viventium*, pulcrum advertit discrimen. *hoc est omnium maxime admirabile, nam cum omnes putei aquam simul habeant consistentem, sola sponsa in se habet aquam permeantem, adeo ut putei profundum, habeat fluvii perennem motionem.* hoc est discrimen inter puteum Eucharisticum, à puteis hujus mundi, & cisternis Ægypti; scatent hi quidem aquis, sed fœtentibus, sed mortuis, sed verminosis. Puteus Eucharisticus, puteus gratiarum, scatent aquas vivas, quia in illum vividus gratiarum ac meritorum Christi fons effusus est; nec periculum est ut aquæ illæ deficiant, sed abundabit semper & superabundabit, ut fideles Eucharisticum epulum sumentes omnem cœlestium donorum sumant in eo abundantiam. Duo præstitit Christus in fine vitæ

vitæ. In cruce exhausit puteum nostrorum peccatorum, in Institutione Eucharistiæ aperuit fontem gratiam.

§. 5. *Quare sponsa dicat, se à sponso fuisse inductam in cellam.*

Hæc cumulo, abundantia & superabundantia gratiarum in sacrosancta Eucharistia dixit sponsa Cant. 1. v. 3. *Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus & lætabimur in te.* hilaris videtur fuisse sponsa hæc dicens, quod à regio sponso in cellam præstantissimi vini fuerit deducta, magnis recreata deliciis, ne dicam inebriata. S. Ambrosius quærit, quænam sit hæc cella, & ait esse sacrosanctum sacramentum Eucharistiæ, in quo omnium gratiarum vina, & donorum spiritus S. cibi continentur. *Introduxit me rex in promptuarium suum, & in cellarium suum, ubi bona libamina, ubi boni odores, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulæ variæ, ubi plurimis epulis tuum prandium condiatur.* hæc S. Ambros. Sed unum miror. Si sponsus sponsæ instruere voluit epulum, cur id non fecit in regia aula? cur non in aureo triclinio? cur non in amœnissimo horto? cur non inter flores? hæc fuit causa; ad tales mensas haustus ex cellis promitur cum mensura, in vasculis, in calicibus. Sponsus voluit ostendere regiam liberalitatem, & unica vice, in uno haustu illi propinare omnes suas divitias, omnes delicias, omnes suavitates, omnia merita, bona libamina, bonos odores, mella suavia, & quidquid sanctum est, in unum calicem effundere, ut sponsa gratiam non bibat guttatim & repetitis vicibus, sed unica vice deglutiens ipsum cellarium, & quidquid in eo gratiarum est. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* p. Philo Carpath. hic. *Promptuarium Christi, est corpus illud, in quo domicilium sibi fabricavit.* O verè dignum divini amoris inventum! ut sponsam semel efficeret sanctam, corpus & sanguinem cum omnibus meritis ac charismatibus suis in Eucharistia, tanquam in cellario conclusit, ut quisquis illud sumat, ea etiam omnia quæ in ipso comprehendantur, absorbeat. Gratulor vobis animæ piæ, dum per pia desideria sugitis SS. sanguinem, vel ex sacrosanctis pedibus, vel benedictis manibus. Gaudeo, lætor & exulto vobiscum cum pendetis ab uberibus sanguinei cordis. Ex his fontibus q. guttatim bibitis; hoc subinde agite, intrate in ipsa cellaria,,

laria comedite corpus, bibite ſanguinem dominicũ in devota communione, ut uno dulciſſimo bolo, uno ſuaviſſimo hauſtu totum Chriſtum, totum theſaurum gratiarum comedatis ac bibatis. Jeſus in Euchariſtia eſt fons gratiarum. Corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia ſunt duæ ſcaturigines totius ſanctimoniæ.

§. 6. *In Euchariſtia à Chriſto D. nobis offertur, quinta eſſentia omnium ejus meritorum.*

Ex alio ſimili colligere poſſumus, quid Chriſtus D. egerit, dum inſtituit Euchariſtiam, & quam liberalem ac ſuavem amorem nobis oſtenderit. Chymiſta aliquis in vitreo vaſe, cinnamomum, flores, bonos odores, herbas odoriferas, uſque ad quintam eſſentiam ita diſtillat, ut omnia illa vi ignis ita attenuentur, ut modicus remaneat hauſtus, ſed præſtans & ſalutaris. Idem fecit Chriſtus in inſtitutione ſacroſanctæ Euchariſtiæ in qua adeo ſapienter, ardentiſſimo amoris ſui igne, aurum caritatis, flores gratiarum, balſamum Spiritus S. herbas virtutum & limpidiſſimas ſapientiæ aquas adeo diſtillavit, ut hæc omnia in Euchariſtia reddiderit comeſtibilia & potabilia, ut digne communicans ſimul ſumat omnium gratiarum quintam eſſentiam. S. Ambroſius propterea, ſuper verba illa Cant. *Comedi favum meum, cum melle* meo, dixit, Euchariſtiam idem eſſe, *quod mel, diverſarum virtutum concretum floribus.* dum flores nomino, menti meæ occurrit Jeſus Nazarenus pendens in cruce, vel floridus lectulus ſacroſanctæ crucis; ſed ubi roſæ, ubi violæ, ubi lilia &c. flos campi, viola, Narciſſus eſt ipſe Jeſus in cruce; roſæ ſunt roſea ejus Vulnera. gratulor animabus quæ paſcuntur inter hos flores. Gratulor magis illis qui in Euchariſtia manducant corpus, & bibunt ſanguinem Chriſti. In hoc cibo, in hoc melle, in hoc ſanguine, in hoc potu, omnes illi flores ita diſtillati ſunt in quintam eſſentiam, ut in illo ſimul ſint omnia, Vulnera, ſanguis, merita, virtutes, deliciæ, divitiæ & gratiæ, Chriſti Domini.

§. 7. *Gratiam in Euchariſtia comitantur*

Gratiam comitantur virtutes. Ubi eſt gratia, ibi eſt humilitas, ibi eſt obedientia, ibi eſt patientia, ibi eſt mortificatio, &c. ſed quia amaræ q. ſunt, ut dulces illas nobis faceret, Chriſtus D. inſtituit Euchariſtiam. Iterum ex ſimili intelligite, quid

quid Christus D. fecerit dum instituit Eucharistiam. Astutus fuit ille Magister filii regis, qui cum ne literas quidem vellet aspicere, jussit ille omnes alphabeti characteres confici ex dulcissimo saccaro, tunc conversus ad Principem, capiat, ait, hunc characterem, vocatur, O, hæc litera perfectè sphærica, ac meminerit nominis, sic porrexit v.g. M. N. &c. & sic animus cum magna suavitate didicit legere. Hoc Christus D. fecit in exercitio virtutum; quia scivit abhorrere nos ab humilitate, à mortificatione &c. dixit, hoc faciam: Volo hominem unica vice cum gratia omnes virtutes sibi comparare; quod ut obtineam, illas bolo Eucharistico omnes concludam, & q. suavissimo saccaro liniam, ut cum in eo comederit, Jesum humillimum, Jesum obedientissimum &c. suavissimè simul ac facillime illas acquirat. Hoc diu ante petiit David ps. 118. v. 66. *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*, hebræus legit: *bonum gustum disciplinæ doce me*. S. Aug. *Suavitatem, & eruditionem, & scientiam doce me*. q.d. domine Deus quis mihi tribuat ut intuear optatissimum tempus gratiæ, quo virtutes omnes in saccaro Eucharistico præbebis homini comedendas, id est, carnem & sanguinē Christi, qui illos, à quibus manducabitur, faciet humiles, patientes, & hoc cum magna suavitate: fac ut ego cum jucunditate fiā Sanctus &c. S. Aug. in ps. 118. *quomodo dicit, suavitatem doce me? nisi ut ei gratia Dei magis magisque abundet, vel innotescat dulcedine bonitatis*, hoc est, rogat David sibi gratias & virtutes conferri, sed cum suavitate. Id cum saccaro, quod fit in altari, ubi Deus quasi in bolo mellito, virtutum & gratiarum omnium charismata conclusit, ut qui eo dignè reficiuntur suaviter & unica vice fiant sancti.

virtutes, quas Christus D. novis reddit dulces.


§. 8. *Christus D. in Eucharistia abundantissime offert gratias.*

Quo alludere videntur illa verba Christi, Joannis c. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant*. Theodoretus ait, vitam à Christo nobis datam esse in Incarnatione, in aliis mysteriis, sed præcipuè cum in cruce vitam suam pro nobis posuit. sua morte, nobis obtinuit vitam gratiæ. Abundantius verò illam nobis dat in sacramento Eucharistiæ, modo expli-

cato, ut omnes ſcilicet agnoſcant Euchariſtiam eſſe ferculum gratiæ, quod omni cœleſtium chariſmatum copia, cum vitæ abundantia, cum donis ſpiritus ſancti, cum virtutibus, cum amore divino, uno momento ditat animum & impinguat.

§. 9. *Bene diſpoſitis.* Illos tamen, qui ad ſuſceptionem tanti ſacramenti debita diſpoſitione ſe parant. Notat Abulenſis, antequam manna mane plueret, Deum ſemper præmiſiſſe tenuem & ſuavem ventum, qui terram exſiccaret & mundaret, ut melius terreum elementum diſponeretur, ad excipiendum panem Angelorum. Quorſum hoc? ut inſtruamur, quod ad dignam ferculi gratiæ & cœleſtis manna manducationem, & ſuſceptionem diligens præmitti debeat præparatio; ſed eſt hæc materia pro aliis concionibus. O Jeſu, fons & ſcaturigo omnium gratiarum in Euchariſtia! O mare infinitorum meritorum! O cellarium ſanctis ſpiritus muſto exuberans! O fons mellee! ſaccaree! fac quæſo ut eadem, qua ſponſa diſpoſitione, illa puritate &c. hanc cellam ingrediamur, ut pari devotione hoc pelago abſorbeamur, ac denique in hoc fonte vividas cœleſtium chariſmatum aquas hauriamus, quæ omnem terrenum ſenſum extinguant, & ad ſola æterna nos faciant aſpirare.

CON-



CONCIO XXIX.

DOMINICA II. POST SS. TRINIT.

Homo quidam fecit cænam magnam.

Luc.14.cap.v.16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAcrosancta Eucharistia, in epulo Eucharistico à SS.PP. vocatur ferculum spei, quod, supposita fide de tremendo mysterio, alteram virtutem Theologicam, spem scilicet & fiduciam in nobis nutriat, alat, & confortet.

§.1. *Favor eximius Christi D. erga S. Ludgarden, qui idem nobis exhibetur in sacrosancta Eucharistia.*

§.2. *Eucharistia in nobis nutrit spem futuræ gloriæ.*

§.3. *Qui vescuntur cibo Eucharistico, comparantur lilio, quod est symbolum spei.*

§.4. *Quales aves à S. Ioanne in Apocalypsi evocentur ad cœnam magnam Agni.* 1. *Columbæ.*

§.5. 2. *Aquilæ.*

§.6. *Eucharistia, quomodo sit pignus futuræ gloriæ.*

§.7. *Causa piissima, ob quam Christus D. instituit SS. Eucharistiam.*

§.8. 3. *Phœnix: cum digressione ad sodales Christi in cruce Agonizantis.*

§.9. *Cur Eucharistia vocetur testamentum.*

PRæterita die Jovis, in octava festi corporis Christi, memoriam simul egimus S. Ludgardis V. de qua vita ait, ob formæ decus, aliaque dona, multos habuit procos; sed corrivalis Christus, ut sibi eam desponderet, in pectore cor

§. I. *Favor eximius Christi D. erga S. Ludgarden, qui*

idem nobis exhibetur in SS. Eucharistia.

re cor suum saucium ei ostendit, & ejus Vulneris nectare potavit. ex quo omnia ei humana vilescere, & nulli præter crucifixi amores ei placere. Moritura, Jesum & Mariam habuit obvios, à quibus ad epulas æternæ gloriæ deducta fuit; quis non exclamet, O rarum! O eximium! O magnum favorem Christi Salvatoris erga hanc Virginem! Et cum in hodierno Evangelio ab eodem Christo D. vocemur ad cœnam, in qua saucium cor suum, & amabile pectus non tantum ostendit, neque aliquot guttis tantum divini sanguinis nos potet, sed totum sanguinem, & cum ipso corde totum suum corpus & carnem, nobis offerat in cibum, & potum; ut inde nobis vilescat mundus, ut manducantes panem illum in hac cœna, vivamus æternum, an non merito exclamamus, cum stupore & admiratione O magnam, O admirabilem cœnam! O Divinum epulum! O cœnam gratiarum! O mysterium fidei! hæc elogia hactenus exposui. Fidem, inter Theologicas virtutes, sequitur spes; quomodo hanc nutriat, alat & confortet sacrosancta Eucharistia, hac concione exponam, & patebit optimo jure eandem vocari, cœnam magnam.

§. 2. Eucharistia in nobis nutrit spem æternæ gloriæ.

Hic est nobilissimus effectus cibi Eucharistici, ut cor hominis ab affectibus terrenis evacuet, ut cupiditates inordinatas extinguat; sic evacuatum in altum erigat, impleatque magna, & moraliter certissima spe obtinendi aliquando cœlestem gloriam, juxta Christi promissionem, Joann. 17. v. 59. *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Ovum evacuatum, & rore cœlesti plenum, si radiis solis exponatur, ad perticam, sursum elevatur. Ita anima plena rore Eucharistico, ad arborem sacrosanctæ crucis irradiata cœlestibus radiis solis Eucharistici, non potest non ferri ad superna. Surgit tale cor in altum, spe plenum, ascendendi in ipsum cœlum, ideo Christus D. ait per Oseam c. 14. v. 6. *Ero quasi ros,* ut animos fidelium cœlesti rore perfundam & quid fiet? *Israel germinabit sicut lilium, ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus & odor ejus ut libani.* Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico & germinabit quasi vinea, ut semper crescant in virtutibus, in gratia, in amore Dei;

re Dei; & quemadmodum crescens & germinans lilium, semper altius erigitur, ita suscepto rore Eucharistico animi, cum candorem lilii induerint, calcatis terrenis ad superna ferentur.

Paucula adhuc verba clarius explicant mentem Oseæ, addit enim prioribus, *Israel germinabit sicut lilium; erumpet radix ejus ut libani, vivent tritico.* Cyrillus & Turrianus intelligunt hæc verba de cibo Eucharistico, tanquam ferculo spei, & ajunt prophetam hoc voluisse prædicere. Cum Christus filius Dei instituit sacramentũ Eucharistiæ cum fideles pascentur cœlesti hoc pane & cibo, cum bibent hunc rorem cum sanguine Christi, cum vivent tritico Angelorum, fiet quoque ut fideles illi crescant sicut lilium, quod semper extitit symbolum spei, & quidem publicæ, vel magnæ spei, juxta nummum Rom. in quo lilii lemma fuerunt hæ voculæ: Spes publica, Rom. scilicet. Mysterium symboli hoc est, lilium etiam abscissum à trunco nõ statim sui viroris deponit amœnitatem, aut foliorum candorem exuit, sed diutissimè viret. Ita fidelis, qui ob cibum Euch. lilium est, licet subinde vexetur, licet tribulationes instent, tamen confortatus cœlesti rore in Euch. pergit germinare, hoc est, non deponit amœnitatem spei, sed in Deo illam figit; dicens cum Jobo c.13.v.15. *Etiamsi me occiderit in ipso sperabo.* Talia loquuntur, sic germinant, &c. qui vivunt tritico. Ab hoc loco Oseæ, à pulcerrimo hoc lilio discedere non possum, antequam vobis communicem verba Ruperti l.6. in Oseam. *Tunc veraciter germinavit Israel sicut lilium, quando veri Israelitæ, scilicet Apostoli, non in carne, sed in spiritu fructificarunt, nova conversatione imitantes lilium, id est, magistrum & præceptorem suum Christum, Virgineæ pulcritudinis filium.* de hoc sponsa dixit, Cant. 6. v. 2. quod amet lilia, quod pascatur inter lilia, quod faciat lilia illos, qui manducant carnem & bibunt sang. pulcerrimi Jesu. Ab hoc cibo, ab hoc potu perimuntur affectus terreni; ab hoc rore implentur corda, à radiis hujus solis in Eucharistia irradiantur, ut semper surgant sursum, ut sperent, se fore aliquando lilia in paradiso gloriæ.

§. 3. *Qui vescuntur pane Eucharistico, comparantur lilio, quod est symbolum spei.*

§. 4. *Quales aves à S. Joanne in Apoc. evocentur ad cœnam magnam agni. 1. Columba.*

Pulcerrimum myſterium continet viſio S. Joannis cap. 19. Apoc. in qua vidit illam cœnam gloriæ, quam Deus ſuis electis præparavit. Sed de electis, ſive vocatis ad hanc cœnam ſive hoſpitibus loquitur modo mirabili dum ait, v. 17. *Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus quæ volabant per medium cœli, venite & congregamini ad cœnam magnam, ut manducetis carnes regum, carnes fortium & magnorum.* Angelus in ſole, eſt Chriſtus D. in ſole Euchariſtico; clamavit cum dixit Matt. 11. v. 28. *Venite ad me omnes &c.* Sed qui comparere volunt, ſciant ſe debere eſſe aves, debere ſe relinquere terrena, evolare ad cœleſtia ut ibi ſit noſtra converſatio &c. Quæri hic poteſt quænam præcipuè ſint aves, quæ invitentur ad epulas Euchar. vel ſi placet, quales aves nos faciat cibus Euchariſticus. S. Ambroſio placuit columba, de qua ait in Hexaem. *Columba non mergit caput*, ſcilicet, dum bibit, ſed roſtri tantum acumine potat. Iſtæ ſunt columbæ, quæ vocantur ad cœnam Euchariſticam, iſti fideles, qui de terra, de caducis, de pane & cibis materialibus, de divitiis, ſola neceſſaria capiunt, ſed nullo modo ſe illis immergunt; ideo in hac lacrymarum valle gemunt ut turtures deſideriis & alis ſpei evolantes in cœlum. ideo notavit S. Baſilius in primitiva Eccleſia, hierothecas pro aſſervatione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, fuiſſe formatas ut columbas, ut qui ad cœnam agni vult comparere, ſciat ſibi eſſe induendam indolem columbæ, in multis. ſed præcipuè in hoc, ut affectus non immergat terrenis, ſed ad perennia bona continuo gemitu aſpiret, & alis ſpei evolet ad cœlum. Pulcriores depingit alas Theodoretus in Iſ. *fidelibus Deus ingenerabit alas, & ſimiles efficiet cœleſtibus poteſtatibus Angelis & Archangelis, quibus alas dat S. Scriptura.* hic nimirum eſt effectus cibi Euchariſtici, ut quos paſcit faciat Angelos, licet corpore hærere cogantur in terris ſpe tamen & cogitationibus ſunt in cœlo. Quis me impediet, quo minus collo talis columbæ affigam auream tabellam, cum aureo hoc elogio ſacroſancta Euchariſtia eſt ferculum ſpei.

S. Chry-

S.Chryſoſtomo placuit Aquila, huic enim avi ſimiles eſſe debent, invitati ad epulas Euchariſticas. Vel dicamus Euchariſtia facit aquilas, quos paſcit, dum illis præbet alas magnæ ſpei, quibus evolant. Sic loquitur cit. Sanctus hom.24. in ep. 1. ad Cor. *Ad hoc nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile quod jubet nobis, ut aquilæ in hac vita facti ad ipſum cælum evolemus, vel potius ſupra cælum, ibi enim cadaver, inquit, illic aquilæ. Aquilas autem appellat, ut oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neque ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in ſolem juſtitiæ intueri.* Satis conſtat, cadavera appeti ab aquilis, ſive carnes, quibus ubi paſti ſunt, celeri volatu ſe erigunt in æthera, & tam altè volant, ut oculis noſtris ereptæ, per ipſas nubes cœlum penetrare videantur. Itaque (vult dicere S.Chryſoſt.) quotquot ad Euchariſticum epulum accedunt, aquilæ ſint neceſſe eſt; in hoc: ubi deliciis carnis & ſanguinis Chriſti paſtæ & nutritæ ſunt, deſideriis debent evolare in altum: nam cœleſtis hic cibus non patitur nos adhærere terrenis, ſed per vivam ſpem caput noſtrum, & deſideria noſtra, etiam in hoc mundo, cœleſtibus ingerere debemus, ut impleatur prophetia Iſ.c.40.v.31. *qui ſperant in domino aſſument pennas ut aquilæ; volabunt & non deficient.* Aquilam vobis ſiſto in conſpectu ſacroſanctæ Euchariſtiæ, quia & ipſa eſt ſymbolum regiæ ſpei; quemadmodum enim hæc avis, ipſo ſolis recreatur intuitu, & in illum ſemper intenta, fertur in altum, & vaſtiſſimam aëris ſphæram regio volatu pervadit, oculorum noſtrorum judicio ad ipſum ſolem: ita ſpes, cujus objectum ſecundum Doct. Ang. eſt arduum, obſcurum & futurum, ſuos intuitus & oculos in lucidiſſimum divinitatis ſolem defigit, ejus magnitudinem, immenſitatem, gloriam aſſidua meditatione ſpeculatur, ac ſe ipſam ferventi deſiderio in illum erigit, ſperat, & aſpirat, ſe aliquando illo bono fructuram, quod fidei oculo intuetur in hoc ſole. Et ne fruſtra ſperet, ſed ut ſpes noſtra alatur & confirmetur, advertite adinventiones amoris, attendite cauſam, quare inſtituerit ſacroſanctum ſacramentum Euchariſtiæ ut ſcilicet

§.5. *Secundo. Aquila.*

hæc

hæc eadem nobis ſit pignus futuræ gloriæ, & ſpei noſtræ.

§. 6. *Euchariſtia quomodo ſit pignus futuræ gloriæ.*

Sic intelligite hoc elogium, ſummum bonum, Deum Opt. M. etiam in hac vita poſſidemus per gratiam, per fidem, per caritatem, per actus divini amoris, ſed in umbra & in ænigmate. Olim in cœlis videbimus illum glorioſum, de facie ad faciem. Ne tamen interim in hoc mundo, careremus actuali poſſeſſione tanti boni, inſtituit Euchariſtiam, qua mediante, ſicut Deus & Chriſtus D. eſt veluti cibus beatorum; idem Deus, idem Chriſtus D. eadem gloria in ſacramento ſit noſter cibus & potus. Et ſimul pignus gloriæ deinde ſecuturæ. ut ſic ſpes illius gloriæ, quam per fidem agnoſcimus, & cujus nos participes futuros ſperamus magis acuatur, & cœleſti cibo nutriatur & confortetur, dum ſub ſacramentalibus ſpeciebus habemus, & oculis fidei intuemur, quem ſancti in cœlis vident in lumine gloriæ. Et quis me impediet, quo minus & tali aquilæ auream appendam tabellam, cum eodem aureo elogio, Euchariſtia ferculum eſt ſpei.

§. 7. *Cauſa piiſſima ob quam Chriſtus D inſtituit Euchariſtiam.*

Fermè fuiſſem oblitus inſignis conceptus, qui cauſam inſtitutionis Euchariſtiæ in hoc puncto eleganter declarat. Sic eſt, ea eſt felicitas hominis juſti, ut affectu & deſiderio, quando vult, evolare poſſit in altum ad Deum & de multis dici poteſt illud Job. c. 5. *Pulli vulturis altiſſimè volitant.* S. Aug. *Vultur eſt Dominus Ieſus, quoniam ſine viri commixtione de Virgine natus eſt.* Pulli ſunt qui manducant carnem regiæ aquilæ, & bibunt ejus ſanguinem & volant altiſſimè, jam alis fidei, jam alis amoris ad ipſum thronum ſacroſanctæ Trinitatis. Pulli aquilini ſunt mei ſodales Chriſti in cruce agonizantis, hiant enim alis ignitorum deſideriorum ad ipſum cor Chriſti in gloria ſedentis ad dexteram patris. ibi habitant in altiſſimis. ibi paſcuntur deliciis in conſideratione tantæ gloriæ. Sed hæc noſtra infelicitas; pars altera corpus, caro noſtra cogitur remanere in terra; terrenis affectibus veluti vinculis detinetur humi. Corpus aggravat animam. Quid faceret Aquila divina quid inveniret remedii, ut pars remanens in terra, nihilominus cœleſti paſcatur cibo, qui & corpus agat in ſublime? ad hoc inſtituit ſacroſanctam Eucha-

Euchariſtiam, præparavit epulũ Euchariſt. hoc cibo, imo & potu domin. ſanguinis, in hoc mundo, ipſum corpus, ipſa caro noſtra paſcitur corpore & ſanguine Chriſti. Tertull. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, & Deo ſaginatur.* Si in hoc mundo, tam admirabili modo, in ſacramento ſe nobis communicare voluit; ſi genuini ſimus pulli, ſi illa devotione, qua par eſt, comedamus ejus corpus, & bibamus ejus ſanguinem; quomodo non ille idem liberaliſſimus Deus ſe nobis dabit in gloria. Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu noſtro. Sed nutriri, ſed acui, ſed corfortari debet, illo cibo, qui eſt *ferculum ſpei.* Clemens Alex. l. 1. pædag. c. 6. *Caro Domini, quæ eſt panis cælorum eos qui ex hominibus ſunt cæleſtes, ad incorruptionem enutrit. Et* Proſper. Aquitanus ſent. 339. *qui manducat hunc panem, eſcam ſalutis accipit, & æternitatis poculum bibit.*

Ut hoc clarius intelligatis, Columbæ & Aquilæ in conſpectu Euchariſtiæ addo Phœnicem. Harum enim trium avium mentionem facit ſcript. pſal. 54. verſ. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo.* Iſ. 40. verſ. 31. *qui ſperant in domino aſſument pennas ut aquilæ.* & Job. 29. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* alis legunt: *Sicut phœnix &c.* Oſtendi jam ſacroſanctam Euchariſtiam tribuere pennas col. & aquilæ. De phœnice hoc addo. Phœnix poſt annos quingentos expoſita radiis ſolis conſumitur, & mox in vitam redit vegetior, tum pernici volatu recipit ſe in vaſtas ſolitudines Arabiæ. Quid de illo qui ſumit Euchariſtiam, dicam, niſi quod Phœnix ſit. qui ſub accidentibus panis totum in ſe excipit ſolem Juſtitiæ, cujus ardoribus ita comburitur, ut vetus Adam reſolvatur in cineres, ac novus qui ſecundum Deum & Chriſtum creatus renaſcatur; S. Auguſt. tr. 25. in Jo. *qui manducat hunc panem, inviſibiliter renaſcitur; intus infans eſt.* p. locus ut alas aſſumat ſed phœnicis, ut fugiat mundum, &c. & in ſolitudinem ſe abſcondat, ut ſola cœleſtia contempletur. Non patitur tempus, ut dicam, meos præcipuè ſodales in menſtrua communione eſſe tales phœnices: habitantes in ſolitudine Vulnerum Crucifixi, ut aliquan-

§. 8. 3. Phœnix cum digreſſione ad ſodales Agoniæ.

do in his nidulis moriantur, & deinde in æternitatem multiplicent dies suos. hoc sperare nos facit, Eucharisticus cibus; non displicebit vobis, si & Phœnicis collo appendam auream tabellam, cum aureo hoc elogio *sacrosancta Eucharistia est ferculum & signum spei nostræ.*

§ 9. *Cur Eucharistia vocetur testamentum.* Ob eandem causam Christus Dominus in institutione Eucharistiæ calicem vocavit *testamentum, sanguis novi testamenti,* & S. Petrus ait secundum lectionem S. Augustini; *Exultabitis gaudio honorato, percipientes testamentum fidei, salutem animarum vestrarum!* quid enim sacramentum Eucharistiæ est aliud, nisi clausum testamentum, in quo nos hæredes constituit suæ gratiæ, suorum meritorum, & deinde hæredes æternæ gloriæ. Ratio est: quia qui in manibus habet clausum divitis alicujus testamentum, in quo instituitur hæres, hic jam spe certa & infallibili est in possessione hereditatis: ita qui dignè communicat, jam totam cœlestem hæreditatem possidet tanquam in testamento obserato, aperiet illud mors sancta, & re ipsa erimus beati. Si contingat hanc dominicam esse dominicam congregationis, poterit fieri p. digressio ad sodales, quam sint felices, quod duplici modo habeant obseratum testamentum, arrham & pignus futuræ gloriæ. 1. per peculiarem devotionem gratia Christum Crucifixum. Deinde per piam & frequentem Communionem. Cum repetitione totius Concionis; vos estis Eucharisticæ, Columbæ, Aquilæ, Phœnices &c.

CON-



CONCIO XXX.

DOMINICA III. POST SS. TRINIT.

Hic peccatores recipit.

Luc. 15. cap. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PAstor bonus erga suas oviculas est suavis & dulcis; talis sit Concionator, exemplo Christi, erga peccatores.

§. 1. *Iniquissima murmuratio Pharisæorum erga Christum D.*

§. 2. *Et adversus ipsos peccatores.*

§. 3. *Peccatores monendi sunt suaviter.*

§. 4. *Non sunt percutiendi baculo.*

§. 5. *Agendum potius est verbis.*

§. 6. *Canes, sanant sua vulnera, lingua, lingendo; non dentibus, mordendo.*

§. 7. *Aurifaber vas aureum tractat suaviter.*

§. 8. *Cum Caino quam Deus egerit suaviter.*

§. 9. *Et Christus D. cum muliere Samaritana.*

§. 10. *Quam efficacia sint suavia verba.*

§. 11. *Qua ratione Philippus Rex Macedonum expugnarit Byzantium.*

§. 12. *Bethsabee, quibus verbis corripuerit filium Solomonem.*

§. 13. *Aceto miscendum est oleum.*

§. 14. *Ipsa correptio sit dulcis.*

§. 15. *Epilogus.*

INiquissima fuit hæc murmuratio Pharisæorum, & ratione personæ ipsius Christi, & ratione peccatorum. Ite, invidi æmuli benignissimi Salvatoris; ite, murmurate prius contra solem

§. 1. *Iniquissima murmuratio Pharisæo-*

ſolem quod luceat contra fontem, quod ſcaturiat aquis, contra Medicos, quod inviſant ægrotos, contra Paſtrorem, quod amet & quærat perditas Oviculas. Chriſtus ſol eſt Juſtitiæ; quid murmuratis, quod cœcos cupiat illuminare. Fons eſt, quid murmuratis, quod offerat aquas vitæ; eſt cœleſtis Medicus, quid ægrè fertis, quod inviſat ægrotos; paſtor eſt, an reprehendendus eſt, quod quærat oviculam, propter quam xcix. reliquit in paſcuis æternæ gloriæ. Venit non vocare juſtos, ſed peccatores.

§. 2. Et adverſus ipſos peccatores. Neque hos reprehendere poteſtis, quod ipſi cum Chriſto D. libenter converſentur. Et quis cum ratione murmurat contra ægrotum qui advocat medicum; contra captivum, quod ſollicitus ſit de redemptore; contra illum qui ſitit, quod accedat fontem; de graviter ſaucio quod anhelet ad medicinam; contra oviculam quod redux ſequatur paſtorem; quis unquam murmuravit contra filium prodigum; quod ruerit in amplexus patris? Peccatores ſunt ægroti, ſunt captivi, ſunt ſitibundi, ſunt graviter ſaucii, ſunt errabundæ oviculæ; ſunt fratres filii prodigi; iniquiſſima itaque contra illos eſt Phariſæorum murmuratio, quod confugerint ad Chriſtum Domin. In meis concionibus ſuper hod. Evang. non ſoleo diſcedere à ſuaviſſima parabola de bono paſtore & ovicula perdita pro hujus ſolatio, oſtendam hac concione, exemplo Chriſti animarum paſtoribus & concionatoribus eſſe agendum ſuaviter & dulciter.

§. 3. Peccatores monendi ſunt ſuaviter. Paſtor bonus cum errabundis oviculis agit ſuaviter; ſuaviſſimè Chriſtus D. egit cum peccatoribus, & illius exemplo etiam paſtores animarum, Prælati & concionatores pari benignitate illos tractare debent. Emphaſim habet illa vocula Chriſti Domini Matt. 18. v. 18. *Si peccaverit frater tuus, vade, corripe eum. Corripere* autem, ait S. Bernardinus hom. t. 4. idem eſt, quod cor rapere, id eſt, ovicula errans vel peccator ita eſt corrigendus, ut loquendi ſuavitate cor ipſi rapiatur. Hac voce uſus eſt Chriſtus D. Alii corripiunt quos volunt arguere; ſed differentiam in his

his voculis magnam advertit Albertus Patavinus; Correctio includit rigorem, & severitatem, correptio benevolentiam denotat & amorem. *Illud est auctoritatis, hoc charitatis.* Saules, Pharaones, Nabuchodonosores, peccatores duri & obstinati, corrigi possunt; Oviculæ errantes, v. g. aliquis David, aliqua Magdalena corripi debent, suaviter cum illis est agendum; prout Nathan egit cum Davide; cor suaviter illis rapi debet.

Male videtur fecisse Moyses, & Aaron quod Num. 20. v. 11. 12. bis virga percusserint silicem, qui dare debuit aquas populo in potum, ideo enim dictum illis fuit. *Non introducetis hos populos in terram quam dabo illis.* Osorius advertit causam, Deus illis dixerat: *Loquimini ad petram, & illa dabit vobis aquas.* Virga in rigore, percutiendo peregit Moyses, quod suavibus verbis facere debuit, ideo erravit. Petra sine verberibus dedisset aquam. Sic nimium zelosi cum Moyse sunt aliqui prædicatores. Errat fortassis aliqua ovicula; revocanda est ad veram viam, non propterea semper opus virga & baculo pastorali: fistula & suavi voce revocari potest. Loquere peccatori suaviter; licet cor aliquo modo durum sit, tamen suavitate mota flebit ovicula, fluent lacrymæ doloris. Peccatores planè desperati rebelles, duri; percuti possunt; cum oviculis agendum est suaviter. §. 4. *Non sunt percutiendi baculo.*

Sed, cum Virga illa Moysis fuerit figura sacrosanctæ crucis, nunquid illa terreri & percuti possunt? Nunquid spinis ex spinea corona Christi D. errantes oviculæ compelli possunt, nunquid virgis & flagellis. Non prohibeo. Sic hæc ipsa instrumenta adhiberi possunt suaviter. v.g. loquere prius oviculæ ad cor; roga per crucem Christi, per spinas ut redeat. &c. Non statim necesse est, ut talem oviculam præcipites in barathrum desperationis: Ut statim trudas in infernum. Vel unica ovicula magni constitit Salvatori. Fuissem fere oblitus verborum Osorii celeberrimi concionatoris fer. 3. post Dom. 3. quadrages. *Similes Moysi sunt, qui quod verbis agere possent,* §. 5. *Agendum potius est verbis.*

virga & percussione faciunt, caritate corrigere debemus; bonus pastor non facile utitur baculo.

§.6. *Canes sanant sua Vulnera lingua, lingendo non dentibus, mordendo.* Natura in bestiis videtur voluisse nos hoc docere. Canis ad curationem vulneris non utitur dentibus, sed lingua, leniter lingendo & lambendo. S. Greg. M. *Canum lingua dum vulnus lingit, sanat.* Ita, sunt morbidæ oviculæ; habent aliqua putrida ulcera; prædicatores sunt canes gregis, & debent illa curare. Sed quæso, non fiat hoc mordendo, pungendo &c. lingua suavi, mellea, multa Vulnera citius sanantur, quam dentibus. Magna differentia est inter canes qui vitulos latrando, mordendo cogunt ire ad macellum, & illos, qui oves & gregem custodiunt. Illis permittitur latrare, lacerare; horum est lupos arcere. Tales debent esse pastores animarum & concionatores. Certè si ego viderem pastorem, qui in errabundam oviculam dum illam reperit, irritaret canem, vel baculo egregiè delumbaret, vel lapidibus obrueret, cogitarem; hic lanio est, non pastor. Pastor cum ovibus suaviter agit. Et hoc fecit Christus D. humeris dum oviculam reperit, imposuit. Corripere licet, sed addit S. Vincentius Ferr. ser. 2. f. S. Jac. *Dulciter & suaviter.*

§.7. *Aurifaber vas aureum tractat suaviter.* Non possum omittere aliud p. simile, quod meum propositum pulcerrime declarat. Delabitur ex manibus aurifabri aureum & artificiosum vas in terram, cum aliquo damno decidat, iracundus sit necesse est, si apprehenso aliquo grandiori malleo concussum plane solo allidat & confringat. Prudens artifex potius ligneo malleolo, vasculum illud cum dexteritate & leniter percutiendo reparat, & sensim atque paulatim rursum accommodat. Lenitate non furore vas reparatur. Discit à tali aurifabro pastor animarum, ut placide & benevolè procedat cum oviculis sive animabus, quæ sunt pretiosissimum vas, quod pater cœlestis formavit, & Filius Dei sua morte reparavit. Cum oviculis pastor non debet semper minis & cum severitate procedere. Bonus pastor agit suaviter & dulciter & hoc exemplo pastoris Optimi & benignissimi Christi Jesu. Pallium, viatori Aquilo abripere non potuit, sol suo calore fecit ut omnes vestes abjiceret: eo quod facilius vincuntur & vinciuntur

tur hominum ingenia, clementia & beneficiorum calore, quam nimiæ ſeveritatis violentia.

Cainus an non fuit errabunda ovicula, præcipuè cum eo devenit ut fratrem occiderit, Gen. 4. v. 8. tamen quid Deus bonus paſtor non fecit ut illum ad viam reduceret? Alloqui fuit dignatus & quidem initio ſuaviter; Monuit illum dulciter, ut peccatum peccato non adderet, *peccaſti*, ait, juxta ſeptuaginta *quieſce*. q. d. inquit S. Chryſoſt. in gen. *Peccaſti & graviter peccaſti, ſed non punio propter delictum; miſericors enim ſum & nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, igitur quieſce, ne addas priori peccato gravius aliud, neque conſilium aliquod immedicabile arripias, ne te ipſum magno dæmoni captivum tradas.* An non hæc correptio Caino cor rapere debuiſſet? quid dulcius? imo addidit ſpem de obtinenda venia de priori peccato, de cæde fratris dum quæſivit; *Vbi eſt Abel frater tuus, nam talis vox*, inquit S. Ambr. l. 5. de Cain. & Abel *non judicis ſed patris, ſed paſtoris extitit provocantis ad pœnitentiam. Vult, inquit, te provocare ad pœnitentiam Deus, vult de ſe ſperari indulgentiam.* Et quid egit Cain poſt tantam indulgentiam. periit, quia voluit; non quod Deus aſpere cùm illo egerit; ſed quia manſit obſtinatus. quod S. Chryſoſt. ſic deploravit: *Poſt tantam curam & tanta remedia, nihil commodi inde ſenſit tantum valet mentis perverſitas, & malitia excellentia.* §. 8. Cum Caino, quam Deus egerit ſuaviter.

Felicior fuit alia ovicula perdita, Muliercula Samaritana, ineſcata amoribus, verbo, adultera. Hanc juxta fontem in Sichem Chriſtus D. aggreditur totus ex itinere feſſus & fatigatus, at obſervate obſecro quàm delicate illam tractarit, ut oviculam reduceret. quia ſitiebat ait Joan. 4. v. 7. *Mulier da mihi bibere.* Moroſe fœmina excepit illã petitionem, & inurbane reſpondit ibid. v. 9. *Quomodo tu Iudæus cũ ſis bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* non ideo aſperius locutus fuit Chriſtus D. ſed aliis affectuoſis verbis, & oblatione alterius potus mulierculæ captat benevolentiam. *Si ſcires donum Dei & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitam petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* § 9. Et Chriſtus D. cum muliere Samaritana.

vam. quid non poteſt ſuavitas verborum etiam ad rapiendum cor peccatricis. Muliercula ſtatim alia, honorifico illum compellat titulo, Domine, & humiliter ait, da mihi hanc aquam. Tum propius Chriſtus D. oviculam aggreſſus, ſuaviter & dulciter corripit ejus ſcandaloſam vitam, *quinque viros habuiſti & nunc quem habes non eſt tuus vir.* fatetur ſe ream; *Domine, ut video propheta es tu.* Repente alia. Doctiſſimus Cajetanus hanc converſionem adſcribit ſuavitati Domini, & blando modo quo illam corripuit. *Incipit adorare Ieſum, quando? audita placida reſponſione ejus, quæ ferreum & obduratum cor emollierat.* Hoc modo bonus paſtor Chriſtus D. reperit oviculam perditam: hoc modo paſtores animarum agere debent cum peccatoribus, præcipuè ad fontem Sichem; in ſacramento pœnitentiæ. Non debent confeſſarii iraſci, non calumniari, non dare agnomina tu adultera &c. Meminerint ſe eſſe conſtitutos paſtores, qui agere debet cum oviculis ſuaviter & dulciter.

§. 10. *Quam efficacia ſint ſuavia verba.* Oſeas c. 2. veluti ſuaviſſimus paſtor ſic loquitur. Ecce ego lactabo eam (ſcilicet oviculam) & ducam in ſolitudinem *& loquar ad cor ejus.* q. d. ſic reducam eam. nam (ut ait Salomon Proverb. 18. 24.) *favus mellis compoſita verba* (dulcia; ſuavia) *dulcedo animæ, ſanitas oſſium.* In ore audientis ſunt mel, in anima dulcedo, in oſſibus ſanitas; totum ergo hominem capiunt & reficiunt. Mel, reficit, quia cibus; delectat, quia dulce: ſanat, quia medicina eſt. S. Ambr. *Blanditiæ hujusmodi, intimorum tangunt viſcerum ſenſum.* Talis quoque fuit lingua Chriſti, talis debet boni paſtoris favus mellis.

§. 11. *Qua ratione Phil. Rex Maced. ex pugnarit Byzantium.* Fiſtula boni paſtoris in memoriam mihi revocat hiſtoriam parvam ex vita Philippi Macedonum Imperatoris. Cum ingenti exercitu oppugnaret Byzantium, hodie Conſtantinopolim, occurrit illi Leo philoſophus, & cauſam rogavit tanti apparatus. addit Imperator, ſe captum amore tam pulcræ urbis, velle eſſe illius dominum. Reſpondit Leo; aliter urbs fortiſſima tibi eſt oppugnanda, Rex potentiſſime; Non bellicis, ſed Muſicis inſtrumentis; non tympanis & lituis, ſed citharis; non arietibus & baliſtis, ſed fidibus; non furore, ſed amore: non ira, ſed

ſed benevolentia; ſic vinces; & ſic contigit. Pari planè modo concionator, cum cor alicujus peccatoris vult aggredi & oppugnare; non faciat id furore, ſed amore. Paſtor bonus advocat Oviculam, non tubis & lituis, ſed fiſtula, & cithara; aggrediatur ejus cor ſuaviter & dulciter. Ducat in ſolitudinem & loquatur ad cor.

Neſcio an ullibi pulcriorem hiſtoriam in hac materia reperire poſſim, quam reperiam in c.31. Proverb. v.2. illius cap. ait. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum.* Lyranus putat Bethſabeam Matrem Salomonis his verbis fuiſſe allocutam filium; & ſubjungit hæc verba: *Quæ hæc ignavia fili mi?* refert ille auctor, Bethſabeam habuiſſe cauſam corripiendi filium, eo quod mane ob diuturniorem regis ſomnum cultus D. fuiſſet impeditus, ſed quam fecit hoc prudenter & ſuaviter? acceſſit mater regina conclave & lectum, ſubductis cortinis præ affectuoſiſſimis verbis Salomonem alloqui, mi fili, dilecte, ſuaviſſime fili, deſideratiſſime. *Favus mellis lingua ejus.* tum aliquem figit aculeum dulcis apis. Quæ hæc ignavia fili mi? quomodo tantopere ſomno te tradis, ut ſacrificium & divinum cultum impedias &c. pulcre rem deſcribit Phil. Diaz. ſerm. 3. Dom. quad. *Filium ſuum prudentiſſimè reprehendit, ne illum exaſperet. nam etſi illa mater erat, filius tamen erat Rex, & ut talem mitiſſimis verbis alloquens, vocat filium viſcerum ſuorum &c.* A prudentiſſima Bethſabea diſcant paſtores, quomodo tractare debeant Oviculas, cum corripiendæ ſunt, cum reduci debent in viam.


§. 11. Bethſabee, quibus verbis corripuerit filium Salomonem.

Certum eſt, quod reprehendi imo caſtigari quandoque debeant; cum ſcabioſæ vel vulneratæ ſunt, Vulneribus infundendum eſt vinum ſed cum oleo. Sic monuit Seneca. Objurgationi ſemper blanditiæ aliquid admiſce. Inter emblemata reperiuntur ſtatuæ virorum, qui dextera tenent lanceam, ſiniſtra verò citharam. Et paſtores, ferunt baculum, & fiſtulam, Virgam & peram cum pane. Graviter & ſuaviter agendum eſt, cum iis quos corripere & convertere volumus.

§. 12. Vino miſcendum eſt oleum.

§. 14. *Ipsa correptio sit dulcis.* S. Joannes Evang. antequam in Apoc. jussu Angeli arguit Episcopum Ephesinum, antequam illi scripsit; *Habeo adversum te &c.* vide c. 2. v. 5. Apoc. & *movebo candelabrum &c.* prius laudavit illum &c. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum &c. Rupertus hic. *Ita reprehensionis amaritudinem ne nimis offenderet, atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlivit.*

§. 15. *Epilogus.* Adverto æquum esse, ut quæ hactenus dixi, mihi accommodem. Fateor itaque meam culpam; frequentius terreo meas oviculas, frequenter utor baculo, ut timorem incutiam. Eia meæ oviculæ, dilectæ oviculæ, dilectissimæ viscerum meorum, aliter hodie vobiscum agam. Carissimæ, sequimini me, ducam vos ad solitudinem, ducam ad pascua optima, & fontes limpidissimos. imò si placet in Vulnera & cor Salvatoris. Adeste, lactabo vos, lac porrigunt suavissima ubera clementissimæ Matris, lac, imo latus Salvatoris offert sanguinem; hoc vos lactabo. Audite oviculæ, loquar ad cor, loquar suavia & dulcia bonus pastor nos vocat, eamus &c.



CONCIO XXXI.

DOMINICA IV. POST SS. TRINIT.

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Luc. 6. cap. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr quæ quis peccat, per illa punitur.

§. 1. *In nostra situm est potestate, ut aliquando obtineamus sententiam, quam volumus.*

§. 2. *Per quæ quis peccat, per illa puni-*

THema hoc ex hod. Evangelio nos monet, in nostra esse potestate, quale judicium aliquando in illa die subire velimus. talem enim erga nos justissimum experiemur Judicem, quales nos modo alii homines experiuntur. Non alia utetur Deus mensura: Si amicus, suavis, misericors, fuisti erga proximum; erit etiam Deus suavis, misericors & benignus erga te. Econtra, si fuisti durus, asper, immisericors; eundem erga te senties Deum. *Judicium enim sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. In quo judicio judicaveritis, judicabimini.* Matth.7.v.1. Liberalis es erga egenos? liberalissimum habebis Deum. *quæ quis seminat, ea & metet, qui parce seminat, parce & metet.* 2.Cor.9.v.6. *Ergo mensura &c.* Avertis fortassis à paupere vultum tuum? suum à te Deus æternum avertet. Tob.4.v.7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini:* Obturasne tuas aures, ut non audiant gemitus & voces inopum; esto certus, neque te audiet Deus Prov.21.v.13. *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* Puto advertere materiam hanc esse infinitam & thesim. contraham ad finitam & hypothesin. Peccata suam quoque habent mensuram, id est, prout

§.1. In nostra situm est potestate ut aliquando obtineamus sententiam quam volumus.

peccamus & Deum offendimus, ita etiam puniemur. Utilissimam materiam aggredior, & q. ut modo solis exemplis ex S Scriptura illam declarem ideo postulo, ut benevolas aures mihi præbeatis.

§.2. *Per quæ quis peccat per illa punitur. Quare Nilus conversus in sanguinem.*

Sententiam Christi D. in hod. Evang. de *Mensura &c.* si de malo & pœna peccati loquamur, clarè explicat v.17. c.11. Sap. *Per ea quæ homo peccat, per ea punietur.* Sacræ literæ plenæ sunt exemplis eorum, qui id suo damno sunt experti. In V.T. clarissimum speculum sit obstinatus Pharao. Primum prodigium quo Thaumaturgus Moyses illum terruit, fuit hoc; Exiit ad ripam Nili, vix ejus fluctus sua virga percussit, & illico aquæ in ebullientem sanguinem sunt commutatæ. Exod.7. v.19. *Percussit aquam fluminis, & versa est in sanguinem.* Itaque jam Ægyptiorum plaga fuit flumen. primum tormentum Nilus: scilicet, ex quo fonte scaturiunt scelera, ex eodem prodit pœna: Theodoretus. *Valde gloriabantur Aegyptii de flumine suo, & hoc pro Deo habebant.* Objectum idololatriæ, fuit prima punitio. *Per quæ quis peccat &c.* Sed si per Nilum Deus punire fecit Ægyptios, cur non tumescens inundavit agros, cur non vastavit urbes, cur nō vertit ædificia solo præcipuè aulam nequissimi regis. cur Nilus mutatur in sanguinem? pœna talionis à D. Justitia id exegit; *Præcepit Pharao omni suo populo dicens, quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen projicite.* Exod.1. v.22. Ergo in flumine effudit innocentem sanguinem? ex eodem flumine non aquam, sed sanguinum bibat. S. Aug. hom.9. in Exodum. *Iusto Dei judicio factum est, ut de illo fluvio sanguinem biberet, in quo innocentium Hebræorum sanguinem fuderat.*

§.3. *Quare Pharao fuerit submersus.*

A ripa Nili, uno passu progrediamur ad mare rubrum, dedit illud transitum Israelitis, divisum in duas partes, sicco pede transierunt; Insequitur Pharao cum exercitu, sed momento coeunt rursum fluctus, Pharao cum suis submergitur. *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare* Exodi.15. v.4. Quid hoc? tot prodigiosæ plagæ; ranæ, cyniphes, gladius exterminatoris Angeli regi vitam non ademerunt, & periit in aquis? nunquid D. furor & fulmen in regium caput torquere potuisset?

non;

non, sic mori debuit! memores estote, quod Pharao præceperit populo suo dicens, *quidquid masculini, &c.* Parvulos mersit in mari, peccatum ferox & barbarum! sed mergatur & ille, *per quæ quis peccat &c.*

Pœna ejus gravissima fuit, dum viveret, quod induratum fuerit cor ejus, ideo tot pœnis territus tamen ad pœnitentiam moveri non potuit: ut pœna peccato responderet. Origenes hom.2. in Cant. *Talis erat materia cordis Pharaonis, quæ præsentiam solis Iustitiæ non ea parte qua illuminat, sed ea qua adurit, & indurat, exceperit, propter hoc sinē dubio, quia & ipse affligebat hebræos in operibus duris. Et sicut materiam luti sol iste visibilis stringit, & indurat, ita sol Iustitiæ iis iisdem radiis quibus illuminabat hebræos, Pharaonis cor cui luteæ inerant cogitationes, indurabat. mensura, qua mensus fuit &c.* Mittamus Pharaonem (fiat applicatio ad illos, qui duri sunt erga pauperes.) *§. 4 Quare obduratum fuerit cor ejus.*

In infelicissimo Absalone veluti altero speculo cernite pœnam talionis per quæ peccavit, per illa punitus fuit. 2. Reg. 8. fugit exercitus & ipse solus. Adhæsit caput ejus quercui, & Joab tulit tres lanceas & infixit eas in corde. demum, *concurrerunt decem armigeri, & percutientes interfecerunt eum.* Insinuo tantum notissimam historiam. Mirabile fatum! Absalon moritur passis capillis, involutis ramo & foliis quercus! Suspenditur Regis filius! confoditur tribus lanceis! obtruncatur à 10 armigeris! omnia juste ut per quæ peccavit, puniretur. superbivit capillis, suspendatur inauratis capillis. collegit exercitum; relinquatur ab exercitu. fugavit parentem, fugiat. pulcris verbis amplificat S. Chrysost. in ps.3.v.8. *Ex pilorum coma à coma arboris tenebatur, & coma tenebat comam, tyrannum illum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.* Infelix adolescens pro corona laqueum, pro solio furcam, pro regno ambito mortem, quam meruerat reportavit. *§. 5. Quomodo Absalon punitus fuerit per ea, per quæ peccavit.*

Sed cur cor tribus lanceis configi debuit? ut pœna culpæ responderet. blandis verbis decipit cor patris, ut textus dicat. 2.Reg.1.v.1. *Cor regis versum erat ad Absalon.* Corda consiliorum distraxit in partes, *cum Absalon iverunt ducenti viri simplici* *§. 6. Cur confossus tribus lanceis.*

corde. Corda quoque populi, ut se regem proclamaret, blande circumvenit. *toto corde universus populus sequitur Absalon.* Pereat totidem lanceis. sic ait Rabinus David. *Absalon furatus fuerat primũ cor regis. deinde cor Senatorum, tertio cor totius Israel. Ergo triplici ictu confossum est cor ejus.* Vel dicamus. In eas angustias redigi debuit illud cor, ita vulnerari, ita lancinari, quod cor dulcissimi patris mitissimi David, adeo afflixit.

§. 7. *Cur denique interfectus à decem armigeris.* Needum pondus divinæ lancis peccato Absalonis adæquatum est. Spiritum miser trahit; palpitant membra, anima misera & afflicta luctatur egredi, & ecce decem armigeri decem gladiis eum feriunt & animam exturbant. 2. Reg. 18. v. 15. *cum adhuc palpitaret, occurrerunt decem juvenes armigeri, & percutientes interfecerunt eum.* Irata Nemesis illos misit; nequissimus juvenis decem concubinas regis ausus fuit cognoscere; decem enormibus peccatis decem respondeant juvenes, decem gladii, decem vulnera. ponderi culpæ, respondeat pondus pœnæ. Culpa per pœnam ad justitiam elui debet.

§ 8. *Cur Aman suspensus ex patibulo.* A furca Absalonis conjicite oculos in patibulum, ex quo pendet superbus Aman. & hæc historia est notissima. Josephus Jud. l. 2. antiq. c. 6. summam Dei justitiam & æquitatem his verbis fuit admiratus. Hinc mihi contingет admirari nomen Dei, & sapientiam & justitiam ejus agnoscere, quod non solum malevolentiam Aman punivit, sed quod excogitata contra alium tormenta in eum convertit & cæteros hoc sentire permisit, quoniam qui quædam contra alios molitus fuerit, hæc in se primum parata cognoscat, itaq; Aman honore quem à rege perceperat; supra modum abusus, hujusmodi cruce confixus est; quam paraverat Mardochæo.

§ 9. *Conglobatio plurium qui puniti sunt, per ea, per quæ peccarunt.* Nihil dicam de Adonibezech Jud. 1. v. 7. tyrannus fuit crudelissimus, septuaginta reges jussit manibus & pedibus mutilari, sic debuerunt repere sub mẽsa & micas colligere. Demũ & ipse fuit captus, & eadem pœna affectus; ideo ait, *sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Nihil dicam de Agag. 1. Reg. 15. nihil de Abimelech Jud. 9. nihil de Achab & Jezabele, illo loco quo canes gustarunt sanguinem occisi Naboth, eodem & regis sanguis à cani-

canibus devoratus fuit. Nihil de Saul, nihil de Joab, nihil de ipso Davide; unicam adhuc historiam ex Veteri Testamento omittere non possum. deinde progrediar ad novum.

Genesis 19. v. 24. *Dominus pluit super quinque urbes, sulphur & ignem* de cœlo. Mirabilis modus loquendi, pluit ignes, fulmina &c. de pluvia, de aquis dicere solemus, pluit. præterquam quod ignis, ascendere, non descendere soleat. calidus enim est & siccus, sed contra naturam descendit. inversus fuit ordo naturæ. Mensura &c. Inverterant nequam incolæ usum naturæ in turpissima libidine; S. Chrysostomo debeo conceptum. *Ignis eructans imbrem, imber caminum manans* flamma in flumen solvebatur, & pluvia flammā reaccendebat. Retributionē erroris sui in se ipsis recipiebant. Erat autē justa retributio his, qui naturæ subverterant leges, ut invertatur in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragiū ex igne, quasi ex aqua. discurrite vobiscū, & perpendite, an male dicam, quomodo quis peccat, ita punietur. ex hod. Evang. *Mensura &c.* Hæsi nimis diu in V. T. antequam ad novum procedo, hæc vos moneo auditores. § 10. *Cur pluerit ignis super Sodomam.*

Ægyptii quia amarunt Nilum fluvium per fluvium puniti sunt. Ah filii hujus mundi, quid sedetis super flumina Babylonis nō flentes, sed ludentes cithara; quid sectamini voluptates, quæ instar fluvii currunt. Hæ aquæ aliquando vobis vertentur in tormentum. Pharao innocentes in aquis oppressit pueros; Matrib⁹ viduis expressit lacrymas: Væ vobis qui opprimitis pupillos, qui contristatis viduas harum lacrymæ vestrum erunt tormentum. Pharao submersus est in mari rubro, sanguineo, quia innocentē effudit sanguinem. O impii, quid vos sanguinem filii Dei rursum conculcatis; sanguinem? hic, hic vindictam vobis exiget. Quid affligitis pauperes? quid exercetis illos in operibus duris? hinc obdurantur corda vestra, & nulla spes veniæ affulget &c. Absalones, quid contristatis cor optimi patris, in agone cor vestrū præcipuè affligetur. O quibus lanceis lancinabitur. Lancea est tua luxuria, lanceæ sunt tuæ blasphemię &c. illis vulneras cor Christi; sed magis te vulnerabunt in agone. Instrumenta quibus Deum offendis, convertentur in instrumenta dolorum. § 11. *Apostrophe ad Audit.*

O va-

O vani quid superbitis in comis & vestibus? & hæc erunt instrumenta dolorum &c. per quæ quis peccat, per illa punietur. Hoc divina exigit Justitia.

§. 12. *Dives epulo clamat ex inferno; per quæ peccavi, per ea punior.*

In novo testamento, primo loco & quasi in speculo oculis nostris præponitur Luc. 16. v. 22. dives epulo ardens in inferno. Vestitus in hoc mundo fuit purpura; modo in inferno vestis ejus est ignis. Lingua ejus comedit delicata, bibit vina optima, jam cruciatur in flamma. In ejus picturis ad mensam pinguntur Musici & tubicines, sedet in medio diabolorum, qui aliud non canunt, quam blasphemias, & Væ, Væ, Æternum, æternum. Præcipua sunt hæc: fuit immisericors; & nullam in æternum obtinebit misericordiam. Negavit Lazaro cibum; inter ignes, inter flammas, in siti ardentissima petit guttam aquæ, non obtinebit in æternum. Mensura qua mensus est Lazaro, illa dæmones remetientur in omnem æternitatem. Non permittit tempus ut materiam integræ concionis hic vobis proponam., Miserabiles Judæi, qui hanc veritatem ingenti suo damno experti sunt. Prout tractarunt D. in passione, sic deinde in Jerosolymæ eversione tractati sunt. pro dignitate hoc modo tractare non possum; quia tamen in meis concionibus libentissime memoriam facio mysteriorum passionis; rogo vos, ut jam oculos vestros convertatis non in Absalonem pendentem ex quercu, sed infamem proditorem Iudam pendulum quoq; ex arbore quo modo culpa patratur, illo quoque pœna & vindicta paratur.

§. 13. *Quare Iudas se suspenderit. Prima ratio.*

Cur itaque Judas non cultro se interemit? cur non se submersit in aquis? cur non se præcipitem dedit ex turri? ut quid pendet in arbore, favet meis cogitationibus Vener. Beda. fauces Judæ, protulerunt proditorias illas voces, Matth. 26. v. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Justus est Dominus; claudantur hæ fauces laqueo; guttur lingua fuit prius instrumentum proditionis, sit etiam instrumentum pœnæ. Beda. *Dignam sibi pænam Iudas invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.*

Subti-

Subtilius aliquid excogitavit, recens auctor. ait Judam fuisse staturæ parvæ, Christum D. oblongæ, itaque dum osculum genis dare voluit, debuit erigere pedes, & collum extendere debuit. *O perfide Iuda in altum qui ascendis & collum extendis* ut osculum tradas. *Cras ascendes arborem*, & *guttur quod hodie Christo extendis ad osculum, in crastinum illud, es extensurus ad laqueum.* §.14. *Altera ratio.*

Haberetis fortassis pro fabula quod dicturus sum, nisi esset fundatum in sacris literis; dicunt Judam denarios, dum traditi fuerunt à Judæis, ponderasse lance an boni essent. Christus D. de hoc conqueritur per Zachariam cap.11. v. 13. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* O Juda tu tibi faber es tui exitii, dum Christum moneta trutinata vendis; ut culpæ pœna respondeat, ut quomodo peccasti, puniaris, cras ex arbore appenderis; *malo tuo argentum didicisti librare. mori incipiens & corpus tuum in patibulo ponderabitur.* finio. Sanguinis Nilus, Mare rubrum, quercus Absalonis, lanceæ Joab, ignes Sodomæ, ignes inferni, laqueus Judæ clamant, *per quæ quis peccat &c. Mensura.* §.15. *Tertia ratio.*



CONCIO XXXII.

DOMINICA V. POST SS. TRINIT.

Cum turbæ irruerent in Iesum, ut audirent Verbum Dei.

Luc. 5. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX hac concione intelligent Auditores, quàm bene & utiliter faciant, qui frequenter & libenter audiunt Verbum Dei; econtra, in quam periculoso statu vivant illi, qui nunquam vel raro intersunt concionibus.

§.1. *Breve exordium.*

IN præsenti concione super hod. Evangelium audient & intelligent mei auditores, quàm bene & utiliter faciant illi, qui veniunt ad Ecclesias, ut audiant verbum Dei; econtra verò in quàm periculoso statu, inter quas tentationes vivant illi, qui vel nunquam, vel rarissimè intersunt concionibus. Non præfabor modo pluribus, quia in intensis caloribus hujus anni 1666, non cogito vos detinere ultra tres quadrantes. Neque immemor sum, celebrari quoque hod. Dominica festum S. Jacobi Apost. magni Hispaniarum Patroni; verum quia alibi occasio audiendi ejus laudes non deerit, præsertim in collegiata ejus apud Bambergenses, Ecclesia; ego hoc loco, ab Evangelio hod. Dominicæ non discedam.

§.2. *Difficile est credere sine auditione verbi Dei; quod probatur ex S. Paulo.*

Ut homo credenda sciat, & credat, itaque vivat prout fides exigit & hoc modo salvus fiat, necessarium est, ut audiat verbum Dei. Clarissima sunt verba S. Pauli ad Rom. 10. v. 13. *Omnis quicunq; invocaverit nomen Domini salvus erit; quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo credent ei, quem non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicante. Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, addit Cajet. *secundum communem cursum, credere, præsupponit auditionem corporalem.* v. g. gentilis aliquis, quomodo credet myst. SS. Trinitatis, nisi audiat

diat &c. (sic per alia præcipua mysteria fidei) ideoque Christus D. desiderans omnium hominum salutem dixit Marc. 16. v. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Verissimum q. est, quod idem Ap. ait ad Eph. 2. v. 8. *Dei enim donū est fides quomodo igitur fides ex auditu?* ad Philip. 1. v. 19. *Vobis donatum est pro Christo, ut in eum credatis.* Sed bene advertit Ang. Doctor utrumque esse verissimum; fides enim duo includit. 1. Inclinationem cordis & motum affectus ad credendum; hoc non est ex auditu, sed est gratia. 2. Explicationem credendorum; & hæc est ex auditu. Ut proinde alicui gentili & cuivis, qui vult credere, necessarium sit audire verbum Dei.

§. 5. Cornelius, piissimus centurio, tamen instrui debuit à S. Petro. & ipse S. Paulus ab Anania.

Cap. 10. v. 4. Actuum Ap. commendat Cornelium Centurionem, quod fuerit religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, nihilominus apparuit illi Angelus Domini, dicens; *rationes tuæ & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in cōspectu Dei, & nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem quendam qui cognominatur Petrus; hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Vellem legi hoc caput ab illis, qui dicere solent, se Christianè & Catholicè posse vivere posse, se orare &c. licet nunquam veniant ad concionem. Dubito ego inprimis an de his dici possit, quod timeant Deum, quod dent eleem. proinde majori ratione puto illis necessarium esse aliquem Angelum vel cœlestē inspirationem, ut mentem mutent, sciantque illud, quod super cit. locum ait S. Petrus Thomas, *Necesse habuit* (Centurio) *ut ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret, quid esset credendum.* Etsi haberet affectum credibilitatis per Dei gratiam, etsi Deum timeret, etsi fuerit dignus, ut apparuerit illi angelus; tamen per Petrum debuit instrui. Ita ordinavit Deus, ut in credēdis homo instruatur ab homine. Mirabilem consequentiam ex his elicit S. Aug. *Non tentemus Deum, ut ad Evangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire.* Quid respondent S. Augustino illi, qui verbum Dei & conciones contemnunt, quiqui &c. Sciant se implicitos laqueo gravissimæ tentationis, meminerint se tentari à diabolo. cujus 1.

cura est, abstrahere à concionibus. pergit S. August. *Caveamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas, magisq; cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet divina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.* Sic enim Saulo dixit vox de cœlo. Actor. 9. v. 7. *Surge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Neque hodie gravibus peccatoribus deest, lux cœlestium inspirationum, non desunt subinde stimuli alicujus timoris &c. neque tamen convertuntur, ob hanc unicam causam negligunt verbum Dei. Act. 16. 14. *Prædicante Paulo aperuit Dominus cor mulieris, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* S. Aug. de se confessus fuit, l. 5. Conf. c. 15. *Et dum cor aperirem, ad excipiendum, quam diserte diceret, pariter intrabat, & quam vere diceret.*

§. 4. *Varii fructus auditionis verbi Dei, ex illis verbis Christi D. Beati qui audiunt verbum Dei.*

Palam proinde clamavit Christus D. Luc. 11. v. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Nam (Alb. M.) *illuminat ad veritatem credendorum, & perficit affectum ad veram operandorum perfectionem.* Didacus Stella *Sic beatitudo æterna est in auditione verbi Dei, quia est initium, origo & radix beatitudinis.* quod idem Salvator noster innuit illis verbis Luc. 8. v. 11. *Semen est verbum Dei.* S. Petrus Chrysologus ser. 111. *Nunquid non in semine tota arbor.* Aspicite parvulum granum seminis, v. g. Sinapi; inde crescit radix, inde truncus, inde rami, inde folia, inde flores, inde fructus, inde tota arbor. Idem dicite in præsenti materia. Primum est audire verbum Dei, inde fides, inde lumen intellectus, inde motus voluntatis, inde operatio, inde æternæ gloriæ fructus. Quæ omnia eleganter exposuit in particulari S. Bern. ser. 85. in Cant. Quærit anima verbum (super illum versum Cant. 3. v. 1. *In lectulo meo quæsivi, quem diligit anima mea*) *cui consentiat ad correctionem quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem.* Voculam, *conformetur* eleganti simili explicat S. Basilius, ut quemadmodum cera, sculpturæ typo mandata, figuram eam, quæ sculpturæ inest, diligenter exprimit; ita & nos typo Evangelicæ doctri-

doctrinæ, nos ipsos tradentes, secundum internum hominem figuremus. v.g. homo Christianus debet in se formare imaginem humilitatis secundum exemplar Christi D.&c.Sed audire debet,quomodo id debeat fieri &c.

Videtur hoc simile præ oculis habuisse S.Bernardus, cum ait de S.Paulo. *Prorsus pia mater, S.Paulus, cum diceret ad* Gal. 4,v.19.*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* scilicet per apostolicam prædicationem.ultima verba cit. versus sic explicat S.Th. *donec formetur in vobis Christus* (*recipiatis similitudinem ejus, quam vestro vitio perdidistis.* Eleganter S. Ephrem Syrus inducit Regem Ninivitarum post auditam concionem Jonæ dixisse ad suos subditos,*sermo ipsius*(scilicet Jonæ) *factus est nobis loco speculi,in quo Deum malis nostris actionibus comminantem vidimus.* idem hodie contingit, ut subinde gravis aliquis peccator convertatur causa sæpe est, quod audiverit aliquam cōcionem, quæ per Dei gratiam, facta est illi speculum in quo vidit, quid sit semel infeliciter mori. Aperuit loquenti cor suum &c. (hoc modo fiat p. inductio per 4. novissima) S.Leo ser.11.de quadr. *Splendidissimum nobis speculum Deus dedit* (verbum suum) *in quo homo faciem inspiceret mentis suæ, & quam conformis imagini Dei, vel quam dissimilis esset, agnosceret.*

§ 5. *Verbum Dei est sigillum & speculum.*

Ut peccator miserrimum suum statum agnoscat, ut moveatur ad pœnitentiam, ut vitia deponat, inde pendet, ut audiat verbum Dei. Saul ardebat ira & invidia erga Davidem, omnibus modis quærens illius necem. Accidit, ut David loqui posset Sauli, cum admirabili effectu, ait enim textus l.1.Reg.c. 24.v.7. *Cum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul; Nunquid hæc est vox tua, fili mi David, at levavit Saul vocem suam, & flevit.* licet iratus Rex fuisset q. tigris, factus est ovicula. S.Chrysost. hom.3. de Dav. & Saule; *Saul simul ut accepit verba David animum ingressa,abiecit inimicitiam,recepit affectum. posita ira recepit tranquillitatem; Non jam sustinuit hanc vocem audire, sine lacrymis, sed ploravit amare, animi sanitatem, quam David inseverat, lacrymis declarans.* Aliquot voculæ in hac aurea sententia ponderandæ sunt. 1. Verbum Dei,

§ 6. *Quanta sit efficacia verbi Dei in conversione alicujus peccatoris.*

aliqua concio ut operetur suos effectus debet ingredi animum & cor. Multi audiunt conciones, sine fructu, quia &c. 2. Si verbum Dei cor ingrediatur, v.g. concio aliqua de judicio, impius illam ferre non potest; Palladius refert de abbate Moyse viro sancto, quod prius fuerit latro, beatus fuit, quod venerit ad conc. de jud. universali & pœnis inferni, de æternitate; & ait Palladius. *Compunctus corde cœpit amarissime flere, cum gemitu & ejulatu.* Orig. h.7. in Exodum. *Efficitur ei ipsum verbum vermis, qui ejus conscientiã fodicat, & arcana pectoris ejus rodat.* p. locus, rodat. 3. Verbum Dei inserit omnem virtutem: loliorum loco provenit messis bonorum operum. 4. Eradicantur vitia. 5. per verbum Dei convertuntur multi peccatores. ps.18.v.8. *Lex Domini immaculata convertens animas.* Immaculata.) omnia mala excludens.

§.7. *Apostoli, christo D. subjecerunt orbem per prædicationem.*

De Apostolis, post Pent. per totum orbem dispersis ait S. Chrysostomus ser.3. de pœnit. *Peragrarunt piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenientes, ad sanitatem reduxerunt; & in ruina positum ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes &c. Sed prædicatione Evangelii, & verbi Dei. Verbum Dei sanat, verbum Dei confortat, illuminat &c. diruit regnum peccati.* ad Hebr.11.v.30. *fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.* alludit Ap. ad c.6. v.20. Josuæ, ubi Deus mandavit, ut sacerdotes per 7. dies buccinando circumirent urbem; sic die septimo corruerunt muri. S. Thomas. *per quæ datur intelligi, quod omnia impedimenta mundi cadunt, ad continuam vocem prædicatoris.*

§.8. *Non audientes verbum Dei, ruunt in gravia scelera.*

Unde mirari non debemus, plerumque illos, qui negligunt verbum Dei, præcipitari in gravia scelera. Origenes hom. 9. in Levit. *Tales sunt omnes, qui subtrahunt se, & longè faciunt à verbo Dei, ne audientes sermones divinos accendantur ad fidem, incalescant ad caritatem, igniantur ad misericordiam.* Jerem.7. *Et non audierunt me, sed induraverunt cervicem suam & peius operati sunt.* De omnibus vitiis hoc verissimum est; est aliqua Magd. publica peccatrix, fugit conciones, ne audiat &c. (fiat p. in-

ductio

ductio accommodata ad audit.)' Item Orig. *Tu ergo unde ardebis? Vnde invenientur in te carbones ignis, qui nunquam Domini igniris eloquio? Nunquam verbis Spiritus S. inflammaris?* Joannis 3. v.19. postquam Christus D. egisset de multis non salvandis, subdit causam; *Hoc est autem judicium.* Alcuinus in catena reddit causam, quare non crediderunt & quare justè damnantur, dicens: *hoc est autem judicium. Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, erant enim opera illorum mala. Omnis enim qui male agit, odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Advertitisne causas, quare aliqui nunquam veniant ad conciones? male vivunt.


Superius insinuavi periculose tentari à diabolo illos, qui non audiunt verbum Dei; breviter addo, eodem tendere ejus curam, ut hoc obtineat à suis, ut &c. Ex S. Joanne scimus, Christum D. tria præcipuè peregisse in ultima cœna. 1. lavit pedes. 2. Instituit SS. Sacramentum. 3. affectuosam ad Ap. habuit concionem. De Juda verò dicitur, c.13. 30. *cum accepisset buccellam exivit continuo,* instigante diabolo; *timuit enim* (ait S. Cyr. Alex.) *ut credo, ne morando locus pœnitentiæ daretur, & quasi homo à temulentia recte cogitans, mentem suam reciperet, hac de causa, festinat ac impellit, separavitque plane Iudam à Christo D.* Miseri quibus idem contingit. Judith. 9. Holofernes obsessis incidit & abstulit fontem. Glossa. *Hoc enim maxime diabolus studet, ut doctrina fluenta, & virtutum arma auferat: & sic nequitiam suam in interitum servorum Dei velociter explicat.* Eadem dicenda sunt illis, qui quidem veniunt ad concionem, sed garriunt, rident &c. Tales auditores habuit Jeremias, ad quos dixit c. 32. v. 33. *Et verterunt ad me terga, & non facies; cum docerem eos diluculo, & erudirem &c.* Et nunc propter ista, ecce ego ejeci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi. Tales Aud. habuit Orig. cum dixit serm. x. in gen. Quid de absentibus conqueror? præsentes etiam & in Ecclesia positi non estis attenti, sed communes ex usu fabulas teritis, verbo Dei terga convertitis. Vereor, ne & vobis dicatur à domino, converterunt ad me dorsa &c. Quid igitur ego faciam? possumne sur-

§. 9. *Cur Iudas exiverit ex cænaculo.*

dis &c

dis & aversis auribus, ingerere margaritas verbi Dei? quas mox diabolus auferet à cordibus eorum, ne credentes salvi fiant.

§. 10. *Epilogus ex S. Thoma.* De utrisque dixit Christus D. Joannis 8. v. 47. tales non esse ex Deo. S. Thomas, est contra signum, quod homo sit à Deo, si libenter audit verba Dei; sed qui recusant audire, affectu vel effectu, ex Deo non sunt. Did. Stella super verba Christi; *Beati &c.* Beatitudo est in verbo Dei tanquam in signo: maximum enim signum est, quod quis in beatitudinem sit electus, & prædestinatus, quod audiat lib. verbum Dei. Magnum verò signum reprobationis est, nolle audire. S. Bern. ser. 1. in sept. Inter ea quæ fiduciam & materiam spei præbent, unum illud maximum est, qui ex Deo est, verba Dei audit. In his (qui &c.) ego *signa salutis non video*: magis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum Dei quia non sunt ipsi ex Deo.



CONCIO XXXIII.

DOMINICA VI. POST SS. TRINIT.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

Matt. 5. cap. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUisquis ex ira & odio, de hoste suo vindictam quærit, neque vult ignoscere; certus sit, & sibi paratam esse à Deo terribilem ultionem.

§. 1. *In hodierno Evangelio Christus D. præsertim agit, contra iram vindicativam.*

§. 2. *Homo est imago Dei; idem vindex est, si illi inferatur injuria.*

§. 3. *Vindictam spirans, crudelior est quavis bestia; qualis fuit Hero-*

IN consideratione hod. Evangelii advertere oportet, de quanam ira præcipuè loquatur Christus D. Salvator noster; scilicet illa, quam interpretes ita describunt; Berchorius: *Ira est motus animi, & turbulentus appetitus vindictæ propter aliquod obstaculum* voluntatis. S. Paschasius l. 3. in Matt. *Ira nihil aliud est, quam motus animi, felle amaritudinis, contra quemlibet incitatus*. S. Th. 2. 2. q. 158. art. 7. *Ira est vitium capitale ex quo multa vitia oriuntur: iracundia enim mentem præcipitat ad inordinata quæcunque agenda, ut se de hoste suo vindicet.* Tertull. Iracundi, --*neq; jus, neq; bonum, neq; æquum sciunt; Melius, peius, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod libido vindictæ suggerit*. Propterea S. Greg. Nyss. de beatit. dixit, *Virum-- iracundum vindictæ avidum repente videre licet aprum, aut Pantheram, aut serpentem, ab ira factum esse*. S. Greg. M. l. 5. mor. p. describit, quali iræ in hod. Eu. Christus D. tam terribiles minas intentet, *cum ira stimulis cor palpitat, corpus tremit, lingua se impedit, facies ignescit, exasperantur oculi; cum scilicet quem oderunt, conspiciunt*; P. Cornelius à Lap. putat sermonem esse, de ira quæ q. inflammatur à gehenna, ex qua nasci solent, perpetuæ, immortales, & irreconciliabiles lites atque inimicitiæ & exclamat, *Heu nimis vere*! Contra tales, hac concione hanc maximam proponam: Quisquis ex ira de hoste suo vindictam sumit, neque vult ignoscere, certus sit, & sibi paratam esse à justo Deo terribilem ultionem.

§. 1. *In hod. Eu. Christus D. agit præcipue contra iram vindicativam.*

§ 2. Homo est imago Dei, vindex est Dominus si illi inferatur injuria.

Quisquis vindictam spirat contra suum proximum, eandem expectare debet ab irata manu Dei, neque enim illa emanebit. Gen. 9. v. 6. *Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* S. Joannes Chrysost. hom. 27. in gen. Ingens his verbis terror astructus est. q. diceretur. *Si te non revocat à cæde hominis* (à vindicta) *quod ejusdem tibi naturæ est, si adeo totus animo sceleratus & impius, ut fraternum fœdus violare pro nihilo habeas, omnemque compassionem & sensum humanitatis exueris; cogita tamen quod ille ad imaginem Dei factus est, & quantis eum dignatus sit prærogativis* (quod redemptus sit sanguine Filii Dei.) *Et hac cogitatio à tam immani consilio, & proposito te prohibebit. Si nihilominus vindictam quæres, ne dubites, Divina Nemesis suas manus lavabit in sanguine tuo.*

§ 3. Vindictam spirans crudelior est, qua vis bestia; qualis fuit Herodias. Sed vindicta Dei, non emansit.

S. Thomas, *Si lupus, si leo, & serpens non exercent illam ferocitatem in animalia suæ speciei, quam exercent in alia. Quid dicendum est de homine, qui sævit in alium hominem? Nunquid ferocior est lupo, leone & serpente?* Tales serpentes fuerunt Herodias & ejus filia, quæ non potuerunt satiari, nisi sanguine S. Joannis Baptistæ quem oderant. Saltando ita placuit Regi ut mediam partem regni obtulerit in mercedem; sed instinctu nequissimæ Matris ait filia Matt. 14. v. 8. *da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Videte* ait S. Chrysologus ser. 174. *fœminam mutatam in serpentem; serpens enim latebat in fœmina, quæ reptans gressibus flexuosis letale toto corpore virus effudit: ut discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret: homines verterentur in bestias; nec vino jam tales sed sanguine potarentur, nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis.* Mors innocentissimi concionatoris extinguit iras. Herodes, Herodias, impia mater; & nequissima filia effuderunt ejus sanguinem, quem oderant; sed omnes tres divina vindicta miserabili morte è vita sublati sunt. Sanguinem Herodis ex putrido corpore biberant Vermes. Agite lupi! leones! serpentes; pleni veneno odii contra vestros hostes! ite flexuosis gressibus per cuniculos quærite vindictam! saginate vos sanguine, quem sititis; petite caput inimici; gravior longe vos apprehendet vindicta.

Matt.

Matth. enim 26. v. 52. ait Christus D. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* S. Hilarius hic. *Recte ad necem eorum gladius eximitur, qui eo utitur ad facinus.* Gladio tales peribunt, id est, *Dei sententia* ait Hugo Card. S. Remigius sic explicat verba Christi. *Qui gladio utitur ad occidendum hominem (ad vindictam) ipse sua prius malitia moritur gladio.* Et quæ major vindicta esse potest, quam mors æternæ animæ. Clarius Glossa Interlin. *Omnes qui exercuerint vindictam, ipsa vindicta erit eis causa damnationis.* S. Hieron. in sua glossa quærit; *Quo ergo gladio peribit, quicunque gladium sumpserit? illo nempe qui igneus vertitur ante Paradisum, qui in Dei describitur armatura.* Intelligo ego per igneum hunc gladium, fatalem Judicis sententiam, illud fulmen, quod aliquando vibrabit in illos lupos, illos leones, illos serpentes, qui de illis, quos oderunt, à quibus offensi fuerunt, gravem vindictam sumpserunt: hoc gladio ultionem sumet divina justitia. ps. 36. v. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* ad Rom. c. 13. v. 3. *Vindex in iram ei, qui malum agit.* & præsertim ei, qui irascitur fratri suo.

§. 4. *Qui accipit gladium: gladio perit.*

Alio simili utitur regius psaltes ps. 34. 8. *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueũ cadat in ipsum,* quæ verba videtur considerasse. S. Ambr. L. de Noë & Arca c. 26. dum dixit, *Scientes prærogativam nostræ ultionis apud Deum manere; neque in alios committamus, quod divino judicio vindicandum sit, neq; mortem vel alia damna proximo optemus, cum sciamus, necati, vel offensi hominis innocentis apud Deum non esse contemptum, quin etiam ultionem fore certissimam.* Lucretius quidam jusserat strangulari matronam quandam; cujus umbra post mortem illi apparens dixit. *Audi Lucreti: occidisti;* (q. d. voluisti te vindicare, voluisti in me iræ tuæ satisfacere) itaque datus es in manus inimici. Contremuit ad hæc verba Lucretius, & eodem momento invasit illum diabolus, quo per tres horas miserè tortus denique occisus fuit. Ita iracundi, vindicate injurias illatas, quantum vultis, dicite, Raso, occidite, effundite sanguinem. Sed veniet hora, qua justus Deus tradet vos in manus inimici, & tortoribus, qui, (ut alibi narrat

§. 5. *Aliud simile de laqueo, cum tragica historia.*

Christus D.) ligatis manibus vos projicient in tenebras exteriores. Ultio est certissima. Deuter.32.v.35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.*

§ 6. *Iustissima ultio Domini est, quod non dimittat, nisi dimiserimus.*

Clara sunt verba Christi D. Luc.6. v.37. *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis, pater vester peccata vestra.* Matt. 6. v.12. *Dimitte nobis debita nostra, sicut &c.* Deus hac lege & conditione, nostra gravissima & plura crimina vult remittere, ut & nos exiguas, & parvas offensas proximis condonemus. Si nolimus; cum illo servo qui 100: denarios noluit dimittere, trademur tortoribus, ut solvamus debitum 10000. talentorum quod in totam æternitatem facere non poterimus. S. August. in Matt. Induxit nobiscum Deus pactum, & placitum firmumque chirographum, ut dicamus, *Sicut & nos dimittimus &c.* Qui vult efficaciter dicere; *Dimitte &c.* oportet etiam dicere veraciter, *sicut dimittimus*; & S. Joannes Chrysost. super verba Christi; *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis de cordibus vestris.--A nobis res hac tota sumit exordium, futurumque de nobis in nostra est potestate judicium: Si dimiseris conservis tuis* (ait Christus D. Judex) eundem à me quoque gratiam consequeris. Sin minus, rei eritis judicio & gehenna ignis. Suaviter S. Joannes Chrysost. *Hoc nobis omnibus* (*scilicet inimicorum dilectio*) *in die illa terribili patrocinabitur, imo redemptio maxima erit peccatorum*, contra odium causa damnationis. S. Chrysost. hom.2. de Dav. *Nihil tutius, quam parcere inimico: contra, nihil periculosius, quam velle ulcisci ac vindictam sumere.* S. Aug. *Unusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem ipse dederit proximo suo. contra, talem & longe majorem punitionem quam ipse petivit contra proximum.*

§ 7. *Neque preces nostra exaudientur, nisi ignoscamus.*

Neque necesse est, ut qui inimicum non diligit, orando petat veniam suorum peccatorum. p. simili rem declarat S. Bern. serm.49. ad sor. *Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc in eo est ferrum; ita nihil proficit oratio illius, qui odium habet in corde.* Quid justius non audimus; non audimur &c.

No-

Nolentes ignoſcere, & vindictam ſpirantes, plane declinant ad naturam diaboli; & q. illorum dæmonum, de quibus ait cap.8.v.28.Matt. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, ſævi nimis.* S.Petrus Chryſol. ſer.16. *Attendite quæ ſævitia, qui furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus.* dicam pari ratione de iis, qui fovent odia, qui vindictam ſpirant attendite &c. paſcuntur cadaveribus, putredine ſaginantur, delicantur fœtore, quibus tota voluptas eſt, homines interire; & illorum, de quibus loquor, quodnam majus gaudium quam ſi videant, ſuos hoſtes, interire, vel gravia pati; adderentque majora ſi poſſent: ſubinde tamen eſt rabies, tam ſunt ſævi, ut vellent adverſarium corpore & anima æternum punire. Nec alii tales expectent, ut & ipſi æternum pereant & ardeant, inter tortores diabolos. §. 8. *Vindictam ſpirantes, ſunt ſimiles dæmonibus proinde cum illis punientur.*

Dæmoniaci illi Chriſto D. dixerunt Matt.8.v.31. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Conceſſit hoc illis Filius Dei, & illi exeuntes, abierunt in porcos; & ecce impetu abiit totus grex præceps in mare, & mortui ſunt in aquis. Eodem plane modo cæci in ſcelera & æternam perditionem ruunt, qui ab ira, quæ voluntarius quidam dæmon eſt, aguntur, & rapiuntur in ardentia deſideria vindictæ; vellent ſi poſſent ſuos adverſarios præcipitare in mare & ipſi involventur denique flammis æternis. Super verba Chriſti D. Matt.25. v.41. *diſcedite &c.* p. dixit Soto. *Hominibus autem qui per reſipiſcentiam & erratorum pænitudinem evadere poſſunt illa tormenta, non eſt paratus ille ignis, niſi ad terrorem, ut eum caveamus, niſi noſtra impænitentia dæmonibus ſimiles nos efficeret.* hoc inter alia gravia ſcelera facit Odiũ & deſideriũ vindictæ; diaboli nihil aliud deſiderãt, quàm ut pereant homines in contemptum Dei, quem infernales, ſpiritus oderunt, & in hoc odio perſeverabunt in omnem æternitatem! pari ratione obſtinati mortales in odio & deſiderio ultionis, nil optant aliud, quam ut noceant inimico, licet id fiat cum graviſſimo contemptu Numinis & proprio ſuo damno. §. 9. *Proſecutio.*

Mirabilem tragœdiam refert S.Greg.M. lib.3. dialog.c.5. de Sabino Epiſcopo, ejus Archidiaconus ex ambitione & de- §. 10. *Tragica hiſtoria oſtenditur.*

...umentem vindictam sibi nocere.

siderio Episcopatus per proditorem quendam curavit porrigi venenum, dum vellet bibere arripuit Episcopus letale poculum animo intrepido, signavit signo S. Crucis, & servo suo dixit, *Vade & dic illi, qui tibi scelus hoc persuasit, quod non sit futurus Episcopus.* Hoc dicens ebibit calicem; nec venenum quidquam illi nocuit; Eadem verò hora Archidiaconus ejus defunctus est, acsi per os Episcopi ad Archidiaconi viscera venenum transiisset; cui tamen ad inferendam mortem, venenum quidem corporale defuit, sed hunc in conspectu æterni Judicis, venenum suæ malitiæ occidit. Hunc Archidiaconum infelicissimum, hunc hominem cupio esse speculum, ut in illo agnoscant, qui veneno pleni & accensi hosti venenum parant, id est, quodcunque damnum inferre cogitant. Sæpe illi non nocere, sed sibi; proprium cor tangit malitia Odii. Si aliquando coram conspectu æterni Judicis subsistere velimus, ignoscamus.

§. II. *Diligendo inimicum æternum judicem nobis conciliamus. Vehemens apostrophe Robaldi ad nolentem ignoscere.*

Diligendo inimicos Christum Judicem infallibiliter nobis conciliamus. S. Chrysost. h. 1. de Anna. Quoties opprobriis, milleque malis affecti, convitiantes, excelso ferimus animo, majorem nobis à Deo benevolentiam conciliamus. Æquum est ut amori Christi D. aliquid demus, & ignoscamus. Mediolani ob commissum quoddam homicidium, ingens fuit orta lis inter præcipuas quasdam familias, in quarum gratiam ipsa plebs in diversa frui secta studia: periculum erat ne cives infestis armis concurrerent. Robaldus relig. ex Ord. Præd. vir m. doctrinæ & sanctitatis, magna eloquentia suasit illis pacem; Cum frater occisi resisteret, nec quidem de pace sine vindicta audire vellet, Robaldus plenus igneo quodam zelo illi dixit, coram multitudine populi. *Præcipio tibi in nomine Dei omnipotentis, qui fecit cælum & terram, qui in cruce pro nobis passus est, & suis crucifixoribus pepercit, & pro eis oravit, quod antequam pedes moveas, facias pacem.* Rem miram! pedes loco movere non potuit, antequam hosti suo ignovit. Auditores mei; non volo præcipere; sed per amorem Jesu crucifixi, per ejus vulnera &c. vos rogo, cum S. Paulo ad Coloss. 3. v. 13. *Donate vobismetipsis, si quis adversum aliquem habet querelam, sicut Dominus donavit vobis, ita & vos.*

Non

Non spero restiturum quenquam. Vixit Bregis in Flandria vir quidam exteriori cultu Christianus; sed immortales fovens odia. Sic fuit mortuus. Cum in solennibus exequiis pro illo dicerentur consuetæ preces, grandis imago crucifixi, quæ stabat in altari, dextera de cruce soluta obturavit aures, & clara voce exclamavit, *non pepercit, non parcam!* (fac vehementem motum ad corda auditorum movenda.) *§.12. Brevis alia tragica historia.*



CONCIO XXXIV.

DOMINICA VII. POST SS. TRINIT.

Misereor super turbam.

Marc.8. cap. v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat, divitibus utilem & necessariam esse virtutem Misericordiæ, erga pauperes & egenos. Divitum salus æterna inde pendet.

§.1. *Christus D. sæpius sublevavit oculos ad nostram instructionem.*

§.2. *Misericordia, tum divina, tum humana comparatur fonti.*

§.3. *Declaratur hoc amplius ex cap.24. Genesis.*

§.4. *An dives aliquis sperare possit æternam salutem, an timere debeat damnationem.*

§.5. *Divites immisericordes damnantur.*

§.6. *Per virtutem misericordiæ satisfacere possunt pro peccatis, in quæ labuntur.*

§.7. *Divites à neglectis pauperibus ducuntur in infernum.*

§.8. *Quare angeli eripuerint Loth ex incendio Sodomæ.*

§.9. *Terribilis sententia S.Chrysostomi*

... umentem vindictam sibi nocere. siderio Episcopatus per proditorem quendam curavit porrigi venenum, dum vellet bibere arripuit Episcopus letale poculum animo intrepido, signavit signo S. Crucis, & servo suo dixit, *Vade & dic illi, qui tibi scelus hoc persuasit, quod non sit futurus Episcopus.* Hoc dicens ebibit calicem; nec venenum quidquam illi nocuit; Eadem verò hora Archidiaconus ejus defunctus est, acsi per os Episcopi ad Archidiaconi viscera venenum transiisset; cui tamen ad inferendam mortem, venenum quidem corporale defuit, sed hunc in conspectu æterni Judicis, venenum suæ malitiæ occidit. Hunc Archidiaconum infelicissimum, hunc hominem cupio esse speculum, ut in illo agnoscant, qui veneno pleni & accensi hosti venenum parant, id est, quodcunque damnum inferre cogitant. Sæpe illi non nocere, sed sibi; proprium cor tangit malitia Odii. Si aliquando coram conspectu æterni Judicis subsistere velimus, ignoscamus.

§. II. *Diligendo inimicum æternum Judicem nobis conciliamus. Vehemens apostrophe Robaldi ad nolentem ignoscere.*

Diligendo inimicos Christum Judicem infallibiliter nobis conciliamus. S. Chrysost. h. 1. de Anna. Quoties opprobriis, milleque malis affecti, convitiantes, excelso ferimus animo, majorem nobis à Deo benevolentiam conciliamus. Æquum est ut amori Christi D. aliquid demus, & ignoscamus. Mediolani ob commissum quoddam homicidium, ingens fuit orta lis inter præcipuas quasdam familias, in quarum gratiam ipsa plebs in diversa frui secta studia: periculum erat ne cives infestis armis concurrerent. Robaldus relig. ex Ord. Præd. vir m. doctrinæ & sanctitatis, magna eloquentia suasit illis pacem; Cum frater occisi resisteret, nec quidem de pace sine vindicta audire vellet, Robaldus plenus igneo quodam zelo illi dixit, coram multitudine populi. *Præcipio tibi in nomine Dei omnipotentis, qui fecit cælum & terram, qui in cruce pro nobis passus est, & suis crucifixoribus pepercit, & pro eis oravit, quod antequam pedes moveas, facias pacem.* Rem miram! pedes loco movere non potuit, antequam hosti suo ignovit. Auditores mei; non volo præcipere; sed per amorem Jesu crucifixi, per ejus vulnera &c. vos rogo, cum S. Paulo ad Coloss. 3. v. 13. *Donate vobismetipsis, si quis adversum aliquem habet querelam, sicut Dominus donavit vobis, ita & vos.* Non

Non spero restiturum quenquam. Vixit Bregis in Flandria vir quidam exteriori cultu Christianus; sed immortales fovens odia. Sic fuit mortuus. Cum in solennibus exequiis pro illo dicerentur consuetæ preces, grandis imago crucifixi, quæ stabat in altari, dextera de cruce soluta obturavit aures, & clara voce exclamavit, *non pepercit, non parcam*! (fac vehementem motum ad corda auditorum movenda.) §.12. *Brevis alia tragica historia.*



CONCIO XXXIV.

DOMINICA VII. POST SS. TRINIT.

Misereor super turbam.

Marc. 8. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat, divitibus utilem & necessariam esse virtutem Misericordiæ, erga pauperes & egenos. Divitum salus æterna inde pendet.

§. 1. *Christus D. sæpius sublevavit oculos ad nostram instructionem.*

§. 2. *Misericordia, tum divina, tum humana comparatur fonti.*

§. 3. *Declaratur hoc amplius ex cap. 24. Genesis.*

§. 4. *An dives aliquis sperare possit æternam salutem, an timere debeat damnationem.*

§. 5. *Divites immisericordes damnantur.*

§. 6. *Per virtutem misericordiæ satisfacere possunt pro peccatis, in qua labuntur.*

§. 7. *Divites à neglectis pauperibus ducuntur in infernum.*

§. 8. *Quare angeli eripuerint Loth ex incendio Sodomæ.*

§. 9. *Terribilis sententia S. Chrysostomi*

sostomi contra divites immisericordes.

§.10. *Divites misericordes certam spem habent obtinendi cœli.*

§.11. *Conversio & salus divitum frequenter inde pendet, ut dent eleemosynam, probatur pulcra historia.*

§.12. *Epilogus.*

§. 1. *Christus D. sæpius sublevavit oculos, ad nostram instructionem.*

HIstoria Evangelii hodierni fere similis est illi, quam refert S. Joannes cap. 6. Unius circumstantiæ meminit hic, cujus mentionem non facit S. Marcus; quod ante tam illustre miraculum, Christus D. prius elevarit sanctissimos suos oculos. Toto enim illo tempore, quo Christus D. Salvator noster cum hominibus fuit conversatus in terris; præsertim ultimo vitæ triennio, quo Evangelium prædicavit, ea modestia compressit oculos, ut quoties illos notabiliter elevavit, Evangelistæ illud notarint. S. Lucas cap. 6. v. 20. antequam enumeret octo beatitudines, quas Christus D. prædicavit in monte, ait, *Elevatis oculis in discipulos docebat illos.* S. Marcus observavit cap. 7. 34. quod antequam sanaret surdum & mutum, *suspiciens in cœlum ingemuerit &c.* cap. 19. v. 4. iterum ait S. Lucas. *Suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad illum, Zachæe festinans descende.* Teste S. Joanne cap. 11. v. 41. *elevatis in cœlum oculis ingemuit*, antequam à mortuis suscitavit Lazarum In ultima cœna Joannis. 17. v. 1. cap. sublevatis in cœlum oculis dixit, *pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Idem in eodem loco fecit, antequam SS. instituit Eucharistiam. Figura fuit historia hodierni Evangelii, quod antequam tot millia hominum paucis panibus cibavit, (cujus circumstantiæ expresse meminit S. Joannes cap. 6.) sublevarit Jesus oculos, & viderit multitudinem populi, qui eum sequebatur. Piissima opinio est, Christum D. pendentem in cruce, non semel ad patrem in cœlum elevasse oculos; præsertim ante verba illa, pater! ignosce illis! Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc quidem publice; privatim in maternis ædibus, in abscondito, inter ardentia suspiria, & continuam orationem, puto Christum D. frequentissimè oculos suos sustulisse in cœlum ad patrem. Cum itaque,

itaque, ex mente S.Greg.M. *Omnis Christi actio, nostra fuerit instructio,* videtur nos docere voluisse, quomodo & nos oculos nostros debeamus elevare; ut quivis cum regio psalte dicere possit, *Oculi mei semper ad Dominum.* ps.24.v.1. *Levavi oculos meos in montem.* ps.122.v.2. præsertim in tribulatione & adversitate. *Ecce sicut oculi servorum in manibus Domini* sui &c.ps.140.v.2. Signum aliquod ferventis orationis,& ardentis petitionis,est elevatio oculorum. Ante biduum celebravimus festum S.Magd. cum ejus imago mihi proponitur, qualis sedit in antro pœnitentiæ, moveor ego valde cum intueor, quomodo oculos plenos lacrymis elevet in cœlum. Actio Christi D. subsecuta in hod. Eu.quod ex aspectu famelici populi, fuerit commotus ad misericordiam,ex qua tanto miraculo aliquot millia hominum cibavit paucis panibus, monet præsertim divites, ut benignis oculis intueantur pauperes, iisque,si possunt opere ipso succurrant. Quàm hoc illis sit utile & necessarium, exponet hæc concio.

§ 2. *Misericordia tum divina tum humana, à SS. PP. comparatur fonti.*

Quanta divitibus inde oriatur utilitas, si misereantur pauperum eleganti & obvia similitudine declarat Isaias c.58.v.10. *Cum effuderis esurienti animam tuam, eris sicut fons aquarum, cujus non deficiunt aquæ,* Non miremur misericordiam alicujus hominis appellari fontem, cum SS. Patres misericordiam divinam eadem appellatione fontis extollant. Fontium venæ frequenter sunt investigabiles; magis inscrutabilis est D. misericordia.ps.144.v.9. *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Fontes diu ac noctu incessanter fluunt;& *Deus sive, misericordia ejus,* ut utar phrasi S.Augustini, *in fluxu suo non deficit.* Optimi fontes, saliunt de altissimis montibus;Domini misericordia sedem suam collocavit in altissimis, super cœlos misericordia ejus. Oriuntur alii fontes in profundissimis vallibus; misericordia Domini descendit usque ad inferos. Fontes omnibus patent; multò magis Domini misericordia. Cur verò misericordia divitum præcipuè comparetur fonti ab Isaia, doctè observavit S. Basilius hom.8. in divites avaros. *Qui dando divinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuo exhausti, minime deficiunt,*

sed duplo copiosiores evadunt. Nam, *Putei continuo exhausti, & copiosiore, & pulcriore continuo fluunt aqua: neglecti vero & quieti, facile putrefiunt. Sic & opes conditæ, quiescentesq́; inutiles sunt, sæpe putrefiunt, ob scatentia divitum avarorum vitia; Motæ autem & translatæ, publicum commodum & fructum pariunt.* Eadem ferme verba invenio apud D. Ambrosium, in lib. Regum. *Puteus, si nihil haurias, inerti ocio & degeneri situ, facile corrumpitur. Aqua stativa cito vermes facit. Exercitatus autem fons, nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & acervus divitiarum, speciosus est usu, ocio autem inutilis habetur. Derivato igitur aliquid ex hoc puteo; ignem enim ardentem restinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* An non bene SS. PP. misericordiam alicujus divitis vocarunt *speciosum & utilissimum fontem?* utilem pauperibus, utilem sibimetipsis. Si subinde videatis, aliquos divites esse liberales, si misereantur pauperum, si in illorum ædibus salit fons misericordiæ; si januæ illorum pateant pauperibus, verbo, si libenter egenis largiantur eleemosynas, cogitate illos esse filios Dei, cogitate illos esse electos & prædestinatos ad gloriam.

§. 31 *Declaratur hoc amplius ex cap. 24. Genesis.*

Ut hoc probem elegantissimus mihi occurrit locus ex sacris literis, qui hoc idem simile de fonte ulterius declarat. c. 24. v. 44. Genesεos nobis narrat, quod Abraham, unum ex servis suis fidelissimis miserit in Mesopotamiam, ad quærendã sponsam, pro suo dilecto filio. Valde probabile est, quod dum post dierum aliquot iter appropinquavit urbi Nachor, servus, apud se cogitasset, de signis, ex quibus colligere posset, quænam ex tot virginibus illius civitatis, Isaaco à Deo præparata esset sponsa, & ait servus cum circa vesperum ad urbem accederet, jam tempus est ut veniant puellæ, ut hauriant aquas; (forte vidit jam aliquas ex porta prodeuntes) itaque cui dixero, inclina hydriam ut bibam; & si responderit, bibe, si statim mihi obtulerit potum; *ipsa est, quam Dominus præparavit servo suo Isaac: per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo.* his dictis: considet ad fontem; & ecce, inter primas puellas accurrit speciosissima Rebecca, quæ statim ejus oculis, summopere placuit, ait ergo servus, *puella da mihi bibere; bibe Domine mi* ait ipsa; imo

imo hausta nova aqua, effudit illam in appositos canales, ut & bestiæ peregrinorum possent bibere; ex qua liberalitate collegit servus, illam puellam fore sponsam Isaaci, prout & factum est.

Utilissimum est, ut hæc quæstio frequenter proponatur, an divites habeant aliqua signa salutis & prædestinationis, an verò reprobationis & æt. damnationis. An illorum animæ sint futuræ sponsæ, quæ comparebunt in nuptiis agni; an verò titiones, qui æternum ardebunt; an præparati sint à Domino ad gloriam, an verò futura sint vasa ignominiæ. Eia! ad fontem misericordiæ! si veniat pauper, & dicat, *amice da mihi panem &c.* (poterit hoc modo fieri p. inductio) & dives dicat, *Bibe*, ecce panem &c. Hic est, quem præparavit Dominus. Væ divitibus, si fons misericordiæ sit clausus! parsimonia, tenacitas nimia in dandis eleemosynis est certum signum reprobationis. S. Basilius ad divites avaros. *Non enim excipit illos regnum cœlorum, sed tartarus, ubi cum divite illo, sepulto in inf. æternam famem & sitim patientur.* Divites mei, si salutem vestram amatis, estote solliciti, ut in ædibus vestris saliat fons misericordiæ, qui pateat egenis. Aperite subinde fenestras, prospicite, sublevate oculos, an pauper aliquis stet ante ædes, an aliqua vidua &c. & misereminі, ut vestri misereatur bonus Jesus. *§. 4. An dives aliquis sperare possit salutem vel timere æternam damnationem.*

Cum S. Augustinus ser. 25. de divite & Lazaro multis de hac materia discurrisset, ait tandem; *Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes*; sic intelligo hæc ultima verba; habent aliqui divites oculos, si vellent possent illos sublevare, & videre proximi egestatem, sed nolunt! habent linguam, qua saltem possent dicere, misereor! nolunt! habent cor, quo possent interius saltem compati; nolunt! habent panem, de quo frustillum possent dare famelico &c. nolunt! tales *audiant*, ait S. Aug. cit. *irrogari supplicia eis, qui nolunt erogare subsidia; audiant pauperem refrigeratum, audiant divitem pœnis gravioribus æstuantem. Da igitur petenti, ut ipse possis accipere, tribue pauperi, si non vis flamma excuri.* Ex S. Ambr. superius dixi, derivato aliquid ex hoc pu- *§. 5. Divites immisericordes damnantur.*

teo, ignem enim ardentem extinguit hæc aqua, & eleemosyna resistit peccatis.

§ 6. *Per virtutem misericordiæ satisfacere possunt pro peccatis, in quæ labuntur.*

Non sine causa S. Ambr. meminit peccatorum, ob gravissima pericula, & occasiones, in quibus vivunt divites, ut labantur in gravia scelera. Est hæc materia aliarum concionum: & quia revera frequenter opere ipso in gravia ruunt scelera, in usuras &c. indigent fontibus, in quibus laventur: talis fons est sacramentum pœnitentiæ, talis fons est contritio; talis fons sunt lacrymæ pœnitentis; talis fons est preciosus Christi sanguis. Dico hos fontes scelerato diviti non sufficere; opus est, ut laventur in fonte misericordiæ; probo ex cap. 1. v. 18. Is. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum* (talia solent esse peccata divitum) *quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* In quo fonte hæc fient? Isaias respondet, *subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam &c.* Aqua fontis misericordiæ duplicem extinguit ignem vitiorum & flammam ignis æterni. *Itaque* derivato aliquid &c.

§ 7. *Divites à neglectis pauperibus ducuntur ad infernum.*

Cassiodorus in illum versum ps. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* rogat divites, ut subinde recordentur diei illius malæ, scilicet, extremi judicii; & præcipuè illius circumstantiæ, cujus fit mentio cap. 25. Matth. quod Judex sententiam damnationis in damnatos laturus sit, propterea, quod eleemosynas non dederint, & ait: *Pauperes prætermissi in ignem dirigunt* scilicet divites, *& remunerati ad dexteram collocant.* est mirabile hoc, non ait Cassiod. superbia illos ducet in inf. vel odium &c. sed pauperes prætermissi! intelligitisne talia avari Eucliones; Venit aliquis familicus ad vestras ædes, petit frustum panis, ob amorem Jesu &c. Sed clauditis oculos, aures, & fenestras; prætermittitis, ut loquar cum Cassiodoro; sed hic idem pauper te ducit in infernum (hoc modo poterit fieri acris invectiva, accommodata loco in quo dicis, &c.) Idem super prædictum caput S. Matth. observans Euthymius ait; *Vide quomodo de sola humanitate, sive amore*

erga

erga proximos differat; & ab hac sola justos honore dignos judicet, peccatores supplicio. Non quod cætera, vel bona opera, vel peccata sine discussione relinquenda sint; sed nunc de sola hac virtute disserit; confirmare volens, quod hanc maximè requirat, utpote Christianis maxime necessariam; cujusvis enim Christiani insigne, quo dignosci potest, dilectio est.

Scimus ex cap. 19. v. 16. Genesis, Lothum cum suis eductum fuisse ab Angelis ex urbe Sodoma, antequam cœlestibus ignibus conflagraret. De quo Orig. ait hom. 5. in gen. *Missi sunt Angeli ad subversionem Sodomorum; & cum injunctum cuperent maturare negotium, curam prius egerunt hospitis sui Loth, ut eum de imminentis ignis incendio, contemplatione hospitalitatis, eriperent.* Hæc est voluntas & misericordia Dei, quod omnes, etiam divites velit salvos fieri; sed Sodoma est, malignus mundus, in quo vivunt; ne itaque miremini cum Deus ad vestras ædes mittat pauperes qui petant eleemosynam; sunt Angeli, qui veniunt ut contemplatione vestræ hospitalitatis, eleemosynarum & liberalitatis in pauperes, vos eripiant ex periculo æterni incendii, ut vos educant in montem, in quo salvari possitis. Sodomitæ impuri, avari, immisericordes omnes arserunt in ignibus; eadem sors manet illos, qui oculos & viscera misericordiæ claudunt erga pauperes. §8. *Quare Angeli eripuerint Loth ex incendio Sodomæ.*

Brevibus, sed verbis horrore plenis sententiam hanc protulit S. Chrysostomus hom. 8. in ep. ad Coloss. *Peribunt, peribunt, qui Christum non aluerunt. Eleemosyna neglecta in gehennam divites trudit, Dives hac de causa in inferno torquetur; & qui esurientem non cibarunt, una cum diabolo condemnantur.* O mi Deus! si hæc vera sunt, quàm erit difficile divites salvari! satisfacit huic admirationi idem S. Chrysostomus: *Hoc ipsum est, quod etiam ego magna voce conclamo: Veruntamen si attendere voluerimus, non est impossibile salvari, præsertim si eleemosyna remedia mutuemur.* Misericordia divites debet comitari ad tribunal Judicis; sine hoc comite non subsistent. §9. *Terribilis sententia S. Chrysostomi contra divites immisericordes.*

§.10. *Divites misericordes spem certam habent obtinendi cœli.*


Divites misericordes de obtinendo cœlo non dubitent. Cum Alexander M. totum oppugnaturus orbem, exercitum suum ex Macedonia educeret, omnem pecuniam inter duces & milites suos liberali manu distribuit: interrogatus, quid sibi reservaret, respondit, imò plurimum, reservo mihi Spem amplissimam ad principatum orbis. Hunc Ducum meorum ope obtinendum nihil diffido. Verba cedro digna. Agite divites; estote liberales; ne sitis solliciti, quid vobis reservetis; in hoc etiam mundo, nihil vobis deerit; spem alite amplissimam obtinendi cœli; ope pauperum & mendicorum, quos pavistis, &c. tantum regnum infallibiliter obtinebitis.

§.11. *Conversio & salvatio divitum, sæpe inde pendet, ut dent eleemosynam. Probatur pulcra historia.*

Divites liberales posse salvari, intelligere poteritis ex pulcra Historia, quam refert Vita S. Fr. Xaverii l.5. cap.3. In urbe Macao locuples fuit mercator, dictus, Petrus Vellius: de divitiis augendis sollicitus magis, quam salute animæ suæ; profuit ipsi amicitia cum S. Fr. Xaverio; contigit implorari hujus opem à quibusdam valde egenis, & in magna necessitate constitutis; itaque vir mitissimus, quæsivit Vellium; reperit illum in domo aliena, ludentem latrunculis, & dixit, Velli, indigeo aliquibus nummis, ut distribuam inter pauperes. Excanduit nonnihil Vellius, cum variis excusationibus, non esse domi suæ, neque ad manum esse sibi nummos, fore alias occasionem benefaciendi pauperibus. Sed quia suavibus verbis institit Xaverius, Vellius tradidit ipsi clavem, ut ex nota cista acciperet nummos, quos vellet, abit Franciscus & 300. nummos aureos distribuit inter pauperes; reditque ad Vellium refert illi quantum accepisset. Tum ille, tua verecundia Francisce injuriam mihi fecit, utique minus sumpsisti, quam volui; cum clavem dedi, dimidium concessi. Fuerunt autem in cista illa triginta millia nummorum aureorum. Intellexit Xaverius Vellium serio loqui, ergo divino instinctu afflatus dixit; *Hæc tua Velli tam liberalis voluntas, grata & accepta est Deo; proinde polliceor ego, munificam Dei liberalitatem nunquam tibi defuturam; quæ insuper & hoc addet, ut supremum vitæ diem tempori cognoscas.* Quod & contigit. Ex illo die Vellius fuit alius; post aliquot annos sanctè trans-

transfactos intellexit, mortem sibi imminere, itaque &c. in agone rogatus, quo pergeret? *in cælum,* ait, *in cælum*, & sic exspiravit.

O divites hujus sæculi! estis mercatores; & vita vestra lusus est; permittite mihi ut cum. S. Xaverio paucis vos interpellem; Quæso vos, per amorem Jesu! elevate oculos vestros, miseremini pauperum; ut vestri misereatur bonus Jesus, &c. Ni fallor, adverto ex vultibus vestris, cogitare vos; Bene habet, imposterum non ero tam tenax (fiant p. proposita benefaciendi pauperibus &c.) Gaudeo, si hæc mea concio similes affectus in cordibus vestris concitavit, & cum S. Fr. Xaverio vobis dico: *Hæc liberalis vestra voluntas, grata & accepta est Deo &c.* adde reliqua; & ibitis in cœlum! in cœlum! §. 12. *Epilogus.*



CONCIO XXXV.

DOMINICA IIX. POST SS. TRINIT.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Matt. 7. cap. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXigit in homine Christiano, præter fidem & spem, fructus bonorum operum.

§. 1. *Vbique sterilitas damnatur; ita etiam in anima hominis.*

§. 2. *Condemnatur à Domino servus, non sceleratus, sed ociosus.*

§. 3. *Quodnam sit spirituale lucrum, quod nostris talentis quærere debemus.*

§. 4. *Falsa doctrina hæresiarcharū.*

§. 5. Op-

§. 1. *Ubique sterilitas reprehenditur; ita etiam in anima.*

PLacetne vobis auditores, cognoscere clare Christianam Maximam; non satis esse ad salutem, credere tantum, imò declinare à malo; sed requiri insuper, bene operari? advertite in omnibus damnari sterilitatem. Considerate terram. Quam speciosa est ejus facies, cum viret, cum floret, cum fructificat, in campis, in agris, in hortis! Bonam terram dicimus, cum est fertilis, quid speciosius campo, in quo ridet messis, in quo arbores sunt plenæ pomis; quid pulcrius vinea, in qua &c. Oliveto in quo &c. Econtrario, Terra, sterilis, saxosa, spinosa quam est horrida? sine gramine, sine floribus, sine arboribus; terra mala, sterilis & infœcunda! *Similis est causa animæ* (ait S. Ambr. l. de Isaac & anima c. 7.) *quia ea decora anima, quæ fœcunda est: ea indecora quæ sterilis. Speciosa est fœcunditas; contraria ergo speciositati sterilitas.* Notæ sunt maledictiones sacræ scripturæ super arbores, vites & ficus steriles; maximè illa S. Joannis Bapt. Matth. 3. v. 10. *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* S. Isidorus orat. 69. de serm. Domini in monte, *Admonet, quis sit malarum arborum finis, hoc est, earum, quæ fructum non ferunt. Hoc enim est esse arborem malam, non ferre fructus bonos.* Similis est causa animæ, similis finis; exscinditur tandem à morte, & à justo Judice projicitur in ignem æternum. S. Basilius: *Multa similia invenire est, ex quibus demonstratur, quod non solum ii, qui mala faciant, digni sunt morte, quibus inextinguibilis ignis paratus est; sed cum eis condemnantur etiam illi, qui à bonis operibus vacant.* Puto vos omnes in arbore requirere bonos fructus, & ego à meis aud. exigo fructus bo-

norum

norum operum. Varias causas jamjam à me audietis.

Matt.25.v.25,6,7, homo dives, abiturus in regionem longinquam, suis famulis distribuit diversa talenta, uni quinque, alteri duo, tertio unum, ad negotiandum: hoc fecerunt duo priores, tertius sine lucro retinuit datam pecuniam in marsupio. Dominus redux, exegit rationes,& laudavit illos famulos qui insuper lucrati fuerant. Ultimus ait Domine ego quidem nihil lucratus sum, sed tamen, *Ecce habes, quod tuum est.* Restituo tibi,quod mihi dedisti. Sed Dominus non tantum asperis & acribus verbis illum reprehendit, *serve male & piger*; sed aliis lictoribus mandat; *Tollite ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Dulcissime Domine! & cur dulcissima tua lingua tam terribilem fulminat sententiam? quid fecit miser? quod damnum tibi intulit? estne adulter? estne homicida? nihil tale illi objicitur. quid ergo fecit? ut tam diro & horrendo supplicio puniatur? respondet S.Chrysostomus hom. 79. in Matt. *Vides, quomodo non solum rapaces, &,qui aliena invadunt, nec soli malefactores, Verum etiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio.* Talenta, quæ liberalis Deus nobis adultis largitur, sunt D. gratia, fides & spes in Christum D.ad negotiandum,ad operandum ut Deum ut summum bonum amemus & proximum; ut simus ferventes in oratione & misericordes &c.Qui sic agunt aliquando Judici dicere poterunt, *Ecce* tuis talentis, tua gratia,per fidem,per spem in Christum, eundem amavi &c. *Euge servi boni &c.* Alicui Calvinistæ vel Lutherano qui dicit, Ecce Domine talentum meum, Credidi in te &c. quid dicetur, nisi *serve male &c.* applica dicta. S.Hildebertus. *Porro munera Dei, damno sunt possessoribus otiosis: quibus nolle negotiari ad salutem, probe negotiatur ad supplicium.*

§.2. *Cōdemnatur à Domino servus. non sceleratus, sed otiosus.*

In quo consistat spirituale lucrum,quod talentis fidei &D. gratiæ quærere debemus, sive, Quis Christianus dici possit bona & fœcunda arbor, pulcre explicat versus 3. l.2. Paral. c.17. dum Josaphatum laudat, his verbis, *Fuit Dominus cum Iosaphat, qui ambulavit in viis patris sui David primus, & perrexit in præ-*

§.3. *Quodnam sit spirituale lucrum, quod nostris talentis quærere debemus.*

ceptis illius, Joseph. l. 8. antiq. c. 9. hunc versum sic describit. *Hic Rex perpetuo propitium & auxiliatorem Deum habuit, quod esset vir justus ac pius, & per singulos dies dabat operam, ut aliquid gratum Deo faceret.* De S. Praxede ait historia, ita amabat Deum & Christum D. ut nullum diem præterire sineret, quem novo pietatis opere non illustraret. Ignis D. amoris in altari cordis accensus, & semel ardens, deinde quotidie nutriri debet oleo bonorum operum. Inter Catholicos & Acatholicos magna quæstio est, an sufficiat sola fides in Christum, vel an requiratur prætereà opus? primum affirmant adversarii, nos dicimus, illos qui Deum propitium & auxiliatorem habere volunt, præsertim aliquando in agone, in tremendo illo judicio, illi ambulare debent præterea vias, quas ambulavit cœlestis David Christus Salvator noster, viam crucis, viam paupertatis, vias persecutionum. Christiani præter fidem, debent esse justi & pii; per singulos dies debent dare operam, ut aliquid Deo gratum faciant: nullus dies præterire debet, quo ignem D. amoris non nutriant oleo bonorum operum. Itaque, quotidiana auditio missæ v. g. ut Deo facias novā gratiam, est fructus arboris bonæ.

§. 4. *Falsa doctrina Hæresiarcharum.* Scio aliam fuisse mentem Hæresiarcharum. Eunomius quidam fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. S. Hier. ait dē quibusdam sui temporis falsis prophetis, supra cap. 4. Oseæ. Per dulces sermones decipiunt infelices: cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt, Nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat, quid agatis. Lutherus de capt. babylon. *Non alia via potest homo cum Deo convenire, aut agere nisi per fidem: opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere &c.*

§. 5. *Opponuntur verba S. Scripturæ.* Sed quid sibi volunt verba S. Petri ep. 2. c. 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quid illa aurea Jacobi in sua Canonica. c. 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nun-*

nunquid poterit fides eum salvare? v. 17. *fides si non habeat opera; mortua est in semetipsa.* Scio Lutherum hanc ep. rejicere; sed etiam scio apud SS. PP. illam esse Canonicam; his ego potius fidem adhibeo. v. 20. *Vis autem scire, O homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare.* Quid illa S. Pauli ad Gal. 5. 6. *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur.* S. Athan. *Perdisce autem, quomodo operatur fides per caritatem, hoc est, ut actuosa & exercita sit: caritate vero si caret ociosa & torpida sit futura. Simile illud est, fides sine operibus mortua est, sicut corpus sine anima.*

Pulcrè S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 5. ad 1. *Christianus dicitur, qui Christi est, dicitur autem aliquis esse Christi non solum ex eo, quod habet fidem Christi, sed etiam ex eo, quod spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundum illud ad* Rom. 8. 9. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et etiam ex hoc, quod ad imitationem Christi peccatis moritur, secundum illud ad* Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Hæc & plura similia conferte cum verbis Lutheri superius allatis; luce clarius intelligetis, aliter loqui Lutherum aliter S. Paulum & Catholicos Patres. Multo difficilius adversarii nostri satisfacere possunt illis verbis S. Pauli ad Gal. 6. v. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* ad Hebr. 10. v. 36. Patientia *vobis necessaria est, ut facientes, voluntatem Dei, reportetis promissionem.* Dion. Carthus. *facientes voluntatem Dei*: id est divina præcepta facientes, non cessando à bonis operibus, 1. ad Timoth. 2. v. 15. *Mulier seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione, cum sobrietate.* S. Th. hic: *Quia fides nihil valet sine dilectione, ideo statim* subdit dicens; *Et dilectione & sanctificatione.*

§. 6. S. Pauli & aliorum SS. PP.

Doctrina ipsiusmet Christi D. doctrinæ Lutheri plane est contraria. Matth. 28. v. 19. dicit Ap. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine P. F. & S. S.* -- sed plus addit, *docentes eos*

§. 7. Doctrina Christi.

servare omnia, quaecunq; mandavi vobis. S. Aug. hic. *non dixit docentes eos, quod sim natus &c. sed ut mandata servent*. Joann. 15. v. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quae ego praecipio vobis*. iterum S. Aug. *Non dixit, si natum me credideritis*. Matth. 5. v. 3. *beati pauperes spiritu*. S. Aug. *non dixit, qui me confessi fuerint natum*. Joann. 5. v. 28. *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent; qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*. Et S. Aug. *erit combustio eorum aeterna, qui cum fide, bona opera non habuerunt* quid hæc verba sonant aliud, quam quod inculcat hod. Evang. *Omnis arbor &c.*

§. 8. *Daemones credunt, non tamen ideo salvantur.*

Nescio an unquam adverteritis aliud argumentum quo S. Jac. probat, fidem non sufficere ad vitam æternam dum. c. 2. v. 19. ait. *Tu credis quoniam unus est Deus? bene facis-sed & Daemones credunt & contremiscunt*, non tamen ideo beati sunt. S. Aug. *Quid verius, brevius, & vehementius dici potuit? cum & in Evangelio legamus, dixisse daemonia, cum Christum filium Dei confiterentur*. Pari ratione Lutheranus aliquis credere potest in Christum, potest illum confiteri & tamen quoad more sesse quidam ex diabolis, qui nunquam salvabuntur.

§. 9. *Quam veritatem Christus D. suis discipulis proponit Matt. 16.*

Matt. 16. 24. ait Christus D. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suum & sequatur me*. Sed monet S. Chrysost. ut hæc verba connectamus cum illis quæ præcesserunt. Quæsiverat Christus D. ex discipulis, eodem capite v. 13. *Quem dicunt homines esse filium hominis*: Prævenit omnes S. Petrus & cum firmissima fide exclamat; *Tu es Christus filius Dei vivi* & Christus D. tradidit illi claves cœlorum, dicens: *Et tibi dabo claves regni caelorum*. Potuissent fortassis hic cogitare alii Apostoli, & circumstantes, sufficere ad salutem, sive placere Christo D. hanc confessionem, sed ut obviet Christus D. huic errori & deceptioni, addit hæc, si quis, qui in me credit, vult &c. S. Joannes Chrysost. *Confessus erat Petrus, & caeteri Apostoli, Christum Dei filium; ne autem ad salutem hoc sufficere putarent, adjunxit ad hoc opus esse sui abnegatione, & crucis portatioue*. Laudo Lutheranos, quod credant in Christum D. laudo, quod aliquando

cum

eum illo esse velint in gloria; sed amici, portatisne etiam crucē? quomodo abnegatis vestra desideria? quomodo crucifigitis vos &c. & hæc Christus D. requirit ad vitam æternam obtinendam.

Sed bene dixit S. Greg. Nyss. or. 2. de resurr. *Qui sibi conscii sunt turpissimarum & fœdissimarum actionum, quibus graves pœnas meriti sunt, odio judicii tollunt resurrectionem, vel saltem pro eo, quod cupiunt, & optant, varias sibi cogitationes fingunt.* v. g. cogitant, ut salvemur satis est Christū D. pro nobis passum: sanguis ipsius infiniti est valoris: Infiniti est Dei misericordia &c. pergit S. Greg. *Vt suis perditis moribus polliceantur impunitatem.* Acriter in tales invehitur S. Thom. Matt. 27. v. 29. Et genu *flexo ante eū, illudebant ei dicentes: Ave Rex Iudaorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus* S. Thomas hic: *Significantur per istos illi, qui voce confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* prout & S. Paulus loquitur ad Titum c. 1. v. 6. Terribilem sententiam profert S. Paul. in peccatorem Christianum 1. Cor. 5. 3. *jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi; congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute D. nostri Iesu, tradere hujusmodi Satanæ,* S. Joannes Chrysost. h. 15. in ep. ad Cor. verba hæc S. Pauli sic explicat. *Qui Christi nomini injuriatur, quod postquam factus fuerit fidelis, & illo nomine cognominatus, ejusmodi crimen facere fuerit ausus.* Quid ergo nos dicemus, de illis, qui gloriantur fide in Christum, & tamen audent esse adulteri: ob fornicationes, nullam timent pœnam, quia credunt &c. nullam ego super hos feram sententiam: sed repeto verba S. Thom. *Tales genua flectunt corā Christo, sed simul expuunt in ejus* faciem &c. p. repeto sententiam S. Pauli: *Iam judicavi & c.* ad Tit. 2. v. 15. *Iesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi pop. acceptabilem sectatorem bonorum operum. hac loquere & exhortare, argue cum omni imperio.* Cajet. Etsi Christus redemit ac mundavit sibi populum, ea tamen lege illum redemit ac mundavit, ut se ipsum quoque populus servet, ac promoveat; vel sit æmulator bonorum operum; non vacet ocio, non tepescat, sed velut æmulando incumbat bonis operibus.

§. 10. *Acris invectiva in credentes, & excludentes opera.*

§. II. Epilogus, ex simili ab arbore, & pulcro dicto Christi D.

Sed redeo ad arborem; quivis Christianus est arbor, vel bona vel mala. *Ex fructibus cognoscetis.* Fructus arboris bonæ sive spiritus S. sunt, *Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas &c.* fructus arboris malæ S. Paulus vocat *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia &c.* finis talis arboris, combustio. Joannis.10.v.25. dicunt Judæi; *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Respondit illis: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et vos mei auditores, si vos estis Christiani, dicite palam &c. ex hac quæstione & responsione Christi, poterit fieri p. Epilogus &c. Et vos Lutherani, estisne Christiani? Ubi opera &c.



CONCIO XXXVI.

DOMINICA IX. POST SS. TRINIT.

Redde rationem villicationis tuæ.

Luc.16. cap. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FRequenter nobis incutitur timor tremendi judicii, ut agamus pœnitentiam, & tempestive nos præparemus ad reddendam rationem.

§.1. *Quatuor causæ, ob quas parabola de villico iniquitatis nobis proponitur.*

§.2. *Minatur Christus D. petendas à nobis rationes, ut cito nos præparemus.*

§.3. *Differre pœnitentiam in horam judicii, est periculosum. Probatur tragico exemplo.*

§.4. *Iesus Salvator sero pœnitentibus est inimicus.*

§.5. *Alia tragica historia.*

§.6. *Elegans dictum S. Cypriani, de præparatione ad mortem, applicatur, præparationi ad judicium.*

§.7. Fra-

§. 7. *Frustra in agone impii conabuntur fugere à facie irati Iudicis. Expertus fuit Pharao.*
§. 8. *Et Achan sub duce Iosua.*
§. 9. *In agone coram Iudice, diaboli impedient seriam pœnitentiam.*
§. 10. *Hora unius negotium est æternitas.*

BRevis sed elegans est glossa S. Bonav. super Villici quæstionem; *Quid faciam?* dum ait: *Timor judicii sollicitavit mentem ad provocationem remedii; Videns Villicus se esse judicandum, requirit remedium:* Ob hanc causam puto hod. die ab Ecclesia nobis proponi Evangelicam parabolam de Villico, à Christo D. olim suis auditoribus propositam. 1. Ut certo sciamus, & nos judicandos. 2. Ut proinde requiramus remedium, itaque vivamus, ut coram tremendo Judice aliquando subsistamus. 3. Ut hoc faciamus *Cito.* S. Anselmus. *Quia incertum est, qua hora veniat, cito sedere, dum adhuc vacat, jubetur.* 4. Addit idem S. Anselmus. *In his omnibus est maximè prædicanda piissima Iudicis nostri Misericordia, qui cum hunc antea vocasset, & justo judicio damnare potuisset, maluit eum indulto vivendi spatio, tolerare, ut emendatum possit inter amicos computare; Complevit enim, quod locutus fuerat, quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat:* Dion. Carth. *Hæc sunt verba clementissimi Dei ad peccatores, vitiis implicitos, quos ad pœnitentiam indesinenter invitat, eorum damnationi velut compatiens.* Timeo auditores, aliquos in illo vivere statu, ut si hodie ad Judicium vocarentur, non subsisterent; timeo aliquos ob lethalia scelera ruere in æt. damnationem. Cum Jesu meo ex visceribus cordis ex animo compatior. Hanc caritatem illis exhibere possum; ut post ardentes preces pro illorum salute (O mi Jesu per tua Vulnera, per tuam mortem, per tuum sanguinem non permittas me & meos audit. damnari.) post talia inquam suspiria hoc facere possint, ut ferventi concione de Jud. illis suadeam pœnitentiam. Quod dum facio, ut me attente audiatis, rogo.

§. 1. Quatuor causæ ob quas parabola de villico iniquo nobis proponitur.

Con-

§. 2. Quare Christus D. minetur, petendam à nobis rationem. Ut cito nos præparemus.

Concionem meam ordior aureis verbis S. Petri Chrysol. ser. 125. super hæc verba, *redde &c. Rationem petit; non ut exigat, sed relaxet: petit, ut petatur* (& si aliquis advertat se hactenus villicationi suæ non bene præfuisse, si sciat fore, ut nō subsistat, hoc remedii superest, ut talis confugiat, à tribunali Justitiæ, ad thronum misericordiæ, sive ut ardentissimis precibus, cum clamore, cum singultibus, cum lacrymis ex corde contrito, à clementissimo Judice, dum vacat, dum tempus est, veniam petat. *Petit hic, ne petat ibi; petit in sæculo, ne petat in judicio: petit cito, ne pænarum tempus, tempus satisfactionis excludat.* Deinde super verba illa, *Iam enim non poteris villicare*, addit: *Quare? quia venit finis vitæ, tempus mortis.* (O miser, qui pœnitentiam tot annis distulisti, &c. quid tum ages,) *Iam te apparitio superna constringit, jam judicium vocat* (jam feralis tubæ intonat sonus.) *Festina ergo, ne satisfactionis tempus perdas, qui tempus operis perdidisti.* Festinate impii convertere vos ad Dominum Deum vestrum Jonæ 2. v. 9. *Qui custodiunt vanitates frustra* (qui differunt, qui perseverant in malo) *misericordiam suam derelinquunt.* Liranus legit, *Reddunt se indignos divina misericordia.* quamquam villicus audivit hæc verba, *Redde &c.* ait; *Quid faciam?* & cito surrexit, abiit, quæsivitque remedium.

§. 3. Differre pœnitentiam in horam Iudicii est periculosum. Probatur tragico exemplo.

Differre hanc sollicitudinem, ut nos præparemus ad reddendam rationem severo Judici est periculosum. Expertus fuit ille usurarius (cujus mentionem facit spec. M. ex. dist. 9. exempl. 215. qui licet sæpe monitus, pœnitentiam ad finem vitæ differre voluit. Sed in agone: cum jam expiraret, cum jam videret faciem tremendi judicis, exclamavit horribili voce: *O pœnitentia! ubi es? de cætero pœnitere non valeo, hoc judicante justo Judice.* quid ais impie? quid murmuras? hoc Judice! nunquid hic Judex est Salvator tuus? nunquid hic est, qui te redemit, suo pretioso sanguine? perge, festina, age pœnitentiam! frustra hæc ait; verum est, est Salvator meus; sed modo justus judex, ante cujus conspectum sto, & tamen pœnitere non valeo. Addit causam: *quia dum pœnitentiam facere potui, non volui!* his dictis animam exhalavit. Sapite hujus damno auditores; surgite, festi-

festinate, citò remedia quærite, cito pœnitentiam agite, dum pius & misericors est Salvator noster: cum nobis apparebit ut Judex, non valebimus agere pœnitentiam: jam possumus, jam pati. Jam possumus; jam vacat, faciamus. Frustra tum impii Dei misericordiam implorant.

In summis angustiis tandem impius Saul, confugit ad Samuelem, patrocinium illius implorans, sed respondit illi Propheta l. 1. c. 28. v. 16. reg. *Quid me interrogas? cum Dominus recesserit à te.* lectio hebraica sic habet, *cum Dominus sit inimicus tuus.* In meditatione extremi Judicii his diebus, visus mihi fui, videre stantem aliquem impium, gravissimorum scelerum reum coram tremendo Judice, visus mihi fui audire dicentem; *O mi Iesu parce misero*: tace miser, Jesu misericordia recessit à te, est tuus inimicus. cum potuisti te præparare ad hoc judicium noluisti; jam vis sed non potes; jam te tenent angustiæ mortis. Instat scelestus; O misericordissime *fili David, miserere, propitius esto mihi peccatori.* Sile sceleste! frustra clamas! mansuetissimus filius David, modo est tuus hostis. Cajet. *Nec mireris Deum (Iesum) dici inimicũ Saulis, quia scriptum est, quia altissimus odio habet peccatores*, præsertim obstinatos. Audin' supremam sententiam; *Discede maledicte in ignem æternum.* Matt. 25. v. 41. Auditores, ne idem nobis contingat, cito surgamus, festinemus, dicamus ex corde, & serio, quid faciemus? §. 4. *Iesus Salvator sero pœnitentibus est inimicus.*

Repeto. Differre vitæ conversionem, preces &c. usque ad horam judicii, est periculosum. Expertus fuit ille dives, cui, cum in agone, cum jam staret coram Judice, cum jam aperiretur liber rationum; clamaret, *Domine adjuva me*, responderunt illi dæmones: *Nunc memor factus es Dei tui, quando sol tibi obscuratus est? Quare usque in hod. diem non exquisisti eum, dum adhuc tibi splendor erat diei? Nunc autem, in hac hora (p. hoc) non est tibi portio spei, neq; consolationis. multo minus obtinendæ misericordiæ.* Alii impio sic morienti, dictum fuit: *Nunc spatium pœnitentiæ requiris, ubi vitæ tempus implesti? Quid faciebas in omni hoc vitæ tuæ tempore?* Vixisti annis 20. quid fecisti? *redde rationem*? pauperes oppressisti N. N. sed hi 20. anni ab æterno tibi desti- §. 5. *Alia tragica historia.*

nati fuerunt, ut sanctè viveres, fecisti contrarium: jam transfe-re; & novum petis tempus? in æt. non obtinebis! nec unicum quadrantem. Hæc est hora tua! age impie, hoc momento redde rationem! Quæso Aud. si salutem nostram amamus, statim quæramus remedia, quibus æt. damnationem avertamus.

§.6. *Elegans dictum S. Cypriani de præparatione ad mortem, applicatur præparationi ad judicium.*

S. Cyprianus ep. 52. ausus fuit dicere, *Nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum*, idem plane ego dicendum esse judico, qui q. sciunt se judicandos, & à severo Judice; neque tamen cogitant, quomodo vivant, ut judicium hoc bene succedat, ut Judicem habeant amicum, non inimicum. Qui dum sanus est, non est sollicitus ut fiat particeps pretiosæ passionis D.N. Jesu Christi, qui, dum tempus est, non sæpe se prosternit coram Christo crucifixo ut petat ab eo suo tempore benignam sententiam, non est dignus, ut in morte ut tempore Judicii, obtineat misericordiam. Talibus, in tantis adversatur Christus D. sive ut ante dixi, hostem & inimicum illorum se ostendit: tum velle fugere, & evadere, est periculosum.

§.7. *Frustra in agone impii conabuntur fugere, à facie irati judicis. Expertus fuit Pharao.*

Pulcram figuram habemus Exodi 14. v. 24. Scitis quam audacter obstinatus Pharao cum exercitu suo, intraverit mare rubrum, quia viderat populum Israelis siccis pedibus transivisse: Cum vero vidit concurrere rursum fluctus maris, probabile est, quod verterit faciem, & de fuga cogitarit. *Sed respexit Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis, & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii; fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat contra nos.* Sic est, ad unum omnes in mari rubro fuerunt submersi. Lippom. *Vide quomodo audacia impiorum, vertitur in cõturbationẽ; perfidia indurata ad pœnitentiam infructuosam, persecutio ad fugam. Tarde nimium sapiunt impii.* Idem planè contingit obstinatis peccatoribus, dum audacter peccant, adest mors, adest D. Numinis Nemesis, quæ vocat ad judicium: tum cogitant fugere, dum ajunt, fugiamus ad Vulnera Christi &c. frustra. Dominus pugnat contra illos: terret illos facies irati judicis, præ pavore non possunt pœnitere. Actum est. fertur sententia, *Discedite*

male-

maledicti. Pulcrè S.Greg.M.hom.11. in Evang. *Mementote, quid Veritas dicat, Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme- acsi aperte dicat, Videte ne tunc quaratis fugere, quando iam non licet ambulare* (p. quando fluctus maris vos operiunt.) *Illud g. tempus, quo fugere non licet* (tempus judicii, tempus quo Judex jam adest, & ait; redde rationem) *modo debet cogitari dum licet; illa hora nostri exitus semper est intuenda; ista redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper est ponenda, qui ait, Vigilate, quia nescitis diem neq; horam.*

Dum Josuæ c.7.v.11. occupavit Jericho, sub pœna capitis jubente Domino prohibitum fuit, ne aliquis militum quidquam ex spoliis urbis sibi sumeret: unus Achan ausus fuit præceptum transgredi, hinc ira Domini supra exercitum Israelis, donec Josue intelligens ex Domino, commissum & absconditum esse furtum, jussit inquiri in furtum & reum statim occidi. O Achan nonne scis te reum? nonne tu furatus es? vade; rue in genua coram Josue, fatere culpam, &c. renuis? fuge saltem, dum potes &c. Nihil horum facit Achan; ideo mox deprehensus fuit trucidatus. Nam, ut ait Abulensis q.42. in c.7. Josue. *Permisit Deus ut imminentis periculi metu, consilium, ratio, vires ab eo fugerent, nec tentaret fuga morti se eximere.* Idem contingit obstinatis peccatoribus; rei sunt non unius furti, sed gravissimorum scelerum. Adest hora inquisitionis; minatur Christus D. reddendam rationem &c. O impii! quare non fugitis ad Christum D. ad sacrosancta ejus Vulnera. Nihil horum faciunt! Permittit justus Dominus, ut tandem, dum citantur ad judicem, consilium, ratio, vires fugiant. &c. non tentant salutari pœnitentia morti æternæ se eximere. §. 8. *Et Achan sub duce Iosue.*

Dum vacat, rationes nostras bene disponere debemus; cum actu vocabimur ad judicem, tunc in illa hora diaboli non permittent nos id commode facere. Concil. Tridentin. dum agit de extr. unctione ait: *Nullum tempus est, quo vehementius ille omnes versutiæ suæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis vitæ exitum perspi-* §. 9. *In agone coram Iudice, Diaboli impedient seriam pœnitentiam.*

nati fuerunt, ut sanctè viveres, fecisti contrarium: jam transiere; & novum petis tempus? in æt. non obtinebis! nec unicum quadrantem. Hæc est hora tua! age impie, hoc momento redde rationem! Quæso Aud. si salutem nostram amamus, statim quæramus remedia, quibus æt. damnationem avertamus.

§.6. *Elegans dictum S. Cypriani de preparatione ad mortem, applicatur preparationi ad judicium.*

S. Cyprianus ep. 52. ausus fuit dicere, *Nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum*, idem plane ego dicendum esse judico, qui q. sciunt se judicandos, & à severo Judice; neque tamen cogitant, quomodo vivant, ut judicium hoc bene succedat, ut Judicem habeant amicum, non inimicum. Qui dum sanus est, non est sollicitus ut fiat particeps pretiosæ passionis D. N. Jesu Christi, qui, dum tempus est, non sæpe se prosternit coram Christo crucifixo ut petat ab eo suo tempore benignam sententiam, non est dignus, ut in morte ut tempore Judicii, obtineat misericordiam. Talibus, in tantis adversatur Christus D. sive ut ante dixi, hostem & inimicum illorum se ostendit: tum velle fugere, & evadere, est periculosum.

§.7. *Frustra in agone impii conabuntur fugere, à facie irati Judicis. Expertus fuit Pharao.*

Pulcram figuram habemus Exodi 14. v. 24. Scitis quam audacter obstinatus Pharao cum exercitu suo, intraverit mare rubrum, quia viderat populum Israelis siccis pedibus transivisse: Cum vero vidit concurrere rursum fluctus maris, probabile est, quod verterit faciem, & de fuga cogitarit. *Sed respexit Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis, & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii; fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat contra nos.* Sic est, ad unum omnes in mari rubro fuerunt submersi. Lippom. *Vide quomodo audacia impiorum, vertitur in cõturbationẽ; perfidia indurata ad pœnitentiam infructuosam, persecutio ad fugam. Tarde nimium sapiunt impii.* Idem planè contingit obstinatis peccatoribus, dum audacter peccant, adest mors, adest D. Numinis Nemesis, quæ vocat ad judicium: tum cogitant fugere, dum ajunt, fugiamus ad Vulnera Christi &c. frustra. Dominus pugnat contra illos: terret illos facies irati judicis, præ pavore non possunt pœnitere. Actum est. fertur sententia, *Discedite*

male-

maledicti. Pulcrè S.Greg.M.hom.11. in Evang. *Mementote, quid Veritas dicat, Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme- acsi aperte dicat, Videte ne tunc quæratis fugere, quando iam non licet ambulare* (p. quando fluctus maris vos operiunt.) *Illud g. tempus, quo fugere non licet* (tempus judicii, tempus quo Judex jam adest, & ait; redde rationem) *modo debet cogitari dum licet; illa hora nostri exitus semper est intuenda; ista redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper est ponenda, qui ait, Vigilate, quia nescitis diem neq; horam*.

Dum Josuæ c.7.v.11. occupavit Jericho, sub pœna capitis jubente Domino prohibitum fuit, ne aliquis militum quidquam ex spoliis urbis sibi sumeret: unus Achan ausus fuit præceptum transgredi, hinc ira Domini supra exercitum Israelis, donec Josue intelligens ex Domino, commissum & absconditum esse furtum, jussit iniquiri in furtum & reum statim occidi. O Achan nonne scis te reum? nonne tu furatus es? vade; rue in genua coram Josue, fatere culpam, &c. renuis? fuge saltem, dum potes &c. Nihil horum facit Achan; ideo mox deprehensus fuit trucidatus. Nam, ut ait Abulensis q.42. in c.7. Josue. *Permisit Deus ut imminentis periculi metu, consilium, ratio, vires ab eo fugerent, nec tentaret fuga morti se eximere*. Idem contingit obstinatis peccatoribus; rei sunt non unius furti, sed gravissimorum scelerum. Adest hora inquisitionis; minatur Christus D. reddendam rationem &c. O impii! quare non fugitis ad Christum D. ad sacrosancta ejus Vulnera. Nihil horum faciunt! Permittit justus Dominus, ut tandem, dum citantur ad judicem, consilium, ratio, vires fugiant. &c. non tentant salutari pœnitentia morti æternæ se eximere.

§.8. *Et Achan sub duce Iosue*.

Dum vacat, rationes nostras bene disponere debemus; cum actu vocabimur ad judicem, tunc in illa hora diaboli non permittent nos id commode facere. Concil. Tridentin. dum agit de extr. unctione ait: *Nullum tempus est, quo vehementius ille omnes versutiæ suæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis vitæ exitum*

§. 9. *In agone coram Iudice, Diaboli impediunt seriam pœnitentiam*.

perspicit, quam in agone coram tremendo Iudice. Angustias hujus horæ, qua miser peccator stabit in agone coram tremendo Judice, sensit regius psaltes ps.17. v.3. cum dixit: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* S. Hier. legit. *Munitiones inferni circumd. me.* Cap. 2. v. 4. ait Jonas. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Chald: *omnis maris tempestas & fluctus ejus.* Id est diaboli in illa hora circumdabant animam moriẽtis, sicut aliquis exercitus obsidet civitatem. Eo usque velle differre præparationem rationum, nunquid stolidum est; inter tentationes inferni, ut moribundus perdat fidem, ut desperet de Dei misericordia &c. ut illibentissime moriendo, resistat D. Voluntati, &c. ps.17. v.5. ait David, *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Nicephorus. *Subitas, temporaneas, & vehementes incursiones intelligit.* S. Bern. de inter. domo c.38. *Multa peccata tunc proruent ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides.* Quid tum aget miser moribundus, inter assultus tam potentum inimicorum? quid si contingat illos apparere visibiles, ut nigros molossos, ut dracones, ut igneos leones, quod D. Justitia non raro permittet; quid si hiet terra, pateatque infernus? auditores amantissimi tumne putatis fore tempus, ut talis cogitet de contritione de confessione &c.? Permittit justus Deus, ut nihil horum fiat. Vinc. Belluacensis refert l.9. spec. hist. c. 105. Morientem quendam ad astantem socium exclamasse: *Mi Pater Heli, congregati sunt ad devorandum me, seductores mei, scripta tenentes malorum quæ gessi, vociferantes, & dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Heli ne elongeris à me, Heli in adjutorium meum intende. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas, ne memineris Adonai:* Cum alius in agone clamaret, *adjuvate adjuvate me, ne peream.* rogatus quid timeret, R. *An non videtis catervam dæmonum, hic in meam perniciem congregatam?* Ille *qui præ cæteris horrendus apparet, compellit me ad blasphemiam, & tam dirus est ut contra tueri non audeam.* Terribilia sunt verba, quæ quidam damnatus, inter ignes socio apparens illi dixit; *Me miserum! sub ipsa mortis horam in rebus fidei, turpissime à:*

me à Satana deceptus sum. Ita mors animum, qualem reperit, abduxit, & obtulit Iudici, à quo at. sum damnatus. De morbis quibusdam ait Hypocrates, *Ex his adeo fortiter pavere homines, ut delirent, & dæmones quosdam se videre putent ipsis infestos. & ab eiusmodi spectris multos se strangulasse, & prosilisse in puteos &c.* applica p.

Ite impii! differte vestras rationes! pergite, cogitate in agone vos velle pœnitere! justo Dei judicio diaboli id non permittent. Quales vos mors reperiet, tales vos sistet Judici; ut tum mutemini, ut tum pœniteatis, non fiet. Hora mortis est hora judicii, & Justitiæ, non misericordiæ. Cum Mater S. Symphoriani, filium suum adolescentem vellet animare ad martyrium, illi dixit; *Hora unius negotium est æternitas!* sic est! sed est hora periculosa, hora terribilis; necesse est, ut citò citò, ad illam nos præparemus. *§. 10. Hora unius negotium est æternitas.*



CONCIO XXXVII.

DOMINICA X. POST SS. TRINIT.

Videns civitatem flevit super illam.

Luc. 19. cap. v. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FLendo & minando in hodierno Evangelio Christus D. demonstrat se esse bonum & justum. Miscentur varia elogia lacrymarum.

§. 1. Christus D. ostendit in hod. Evangelio, se bonum & iustum

§. 2. Flendo minatur exemplo Prophetarum.

 §. 3. Chri-

§.3. *Christus D. in hod. Ev. est silex: continet enim flammas, quia justus est; aquas, quia bonus est.*
§.4. *Pulcrum symbolum.*
§.5. *Iustus est, dum minatur: bonus & misericors dum flendo, modum ostendit, quo minas avertere possimus.*
§.6. *Alia causa ob quam flevit.*
§.7. *Iterum justus est, dum minatur: bonus, dum ex altera parte, veluti Iacob, lacrymis & precibus pro nobis cum patre luctatur.*
§.8. *Lacrymæ delent latam à Deo sententiam.*
§.9. *Elogia lacrymarum.*
§.10. *Prosecutio.*

§.1. Christus D. in hod. Evang. ostendit se justum & bonum.

IN hodierno Evangelio uti possumus v.11.ps.84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, Iustitia & pax osculata sunt.* Justitiā & veritatē, videmus in lingua & Ore Salvatoris nostri, misericordiā & pacē benignissimis ejus oculis. Vox & lingua Christi D. instar fulguris, fulminis, fulgurat, tonat; fatali sententia super urbē ingratam: Oculi vero effundunt imbrē lacrymarū, ut flammas fulguris, fulminisq; atrocitatē mitigēt. Ex ore divino egreditur gladius acutus, micans ad internecionē, ex oculis cadunt lacrymæ, quibus urbis interitū deflet. Ore minax, oculis plorans cū Jerem. dicere potuit; c.31. v.20. *ex quo locutus sum* (terribilia) *de eo, adhuc recordabor ejus, idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus.* quasi diceret, licet justitia me cogat, ut in terribiles eruperim voces; *venient dies & circumdabunt te inimici tui vallo, coangustabit te, ad terrā prosternent te, nō relinquēt in te lapidem super lapidem &c.* nihilominus si volunt, pœnitentiā agere &c. adhuc miserans miserebor ejus. Nos, cum de inimicis nostris vindictā sumere possumus, lætamur & exultamus. 2. reg. 16. dū David nudis pedib⁹, operto capite, plorans fugit Jerosol. per collē Oliveti, ejus hostis Semei verbis illū insequitur. *Egredere vir sanguinū, reddidit tibi Dominus universum sanguinē domus Saul & ecce premunt te mala tua, qui vir sanguinū es.* talibus verbis poterat Salvator noster uti contra impiā Jerosolymā, potuisset dicere, persecuti me estis &c. imo cruci affigetis &c. sed premēt vos mala (est pulcer locus) alius est Salvator noster ob infinitam suā clementiā & misericordiā. Minatus est impiis suaviter, quia justus est. Miscuit minis lacrymas, & flevit super urbē, quia misericors est. bimembre hoc punctū erit materia præsentis concionis.

cionis. Lacrymis Jesu, conatus sum his diebus cor meum emollire, & flere cum Jesu; utinam iisdem emolliantur corda vestra, ut dum Christus Dominus peccata nostra deflet, & nos eadem lacrymis, hinc amoris, hinc contritionis defleamus.

Si David rediviv⁹ vidisset Christũ in carne, & hodie lacrymãtem, sine dubio arripuisset lyram, & alta voce cecinisset. Misericors est Dominus, ideo dũ justitia illũ cogit ut minetur dira & atrocia, facit id cum lacrymis ut sint testes tenerrimæ compassionis. figura fuit Isaias, qui prædictur⁹ strages populi, discalceatus, flens, plorans per triduũ obambulavit urbẽ, c. 20. & illo schemate prædicavit pœnitentiã. figura fuit Jerem. qui c. 19. in conventu seniorũ, in ferventi cõcione, lagunculam figuli in omniũ oculis confregit dicens, v. 11. *Hæc dicit Dominus, sic conteram populum istum, & civitatem, sicut vas figuli, quod non potest ultra restaurari.* sed hęc dicens & faciens amarissimè flevit. cum 27. c. populo minatus fuit captivitatem sub jugo Nabuchodonosoris regis Babylonis, imposuit collo funes de jugo boum, catenas ligneas, compedes, in quibus flens & plorans obivit urbem. illæ lacrymæ fuerunt testes alicujus compassionis. Figura Christi in hod. Ev. fuit Ezech. c. 5. v. 12. sumpsit acutam novaculam, & ducens per caput & barbam, rasit pilos, ex quibus tres partes faciens, unam combussit igne, alterã cõscidit gladio, tertiã dispersit in ventos. Illo facto, Dei jussu illis minatus fuit, partem populi interituram fame; peste &c. partem gladio, partem in captivitatem quasi ventum dispergendam. quod & contigit. Insinuat tamen sacer textus Ezechielem illa fecisse magna animi compassione. Probabile etiam & quorundam opinione, Jonam cum urbem Ninive terruit terribilibus illis verbis, adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, fecisse id voce lacrymabili, imò lacrymas in conspectu urbis per plateas copiose effudisse, fecerunt hoc Prophetæ, ut licet mandato Dei cogerentur talia minari; se tamen ostenderent paratos, demonstrandi illis modũ, quo Dei misericordiam possent placare, & paratas pœnas à se avertere. Pari planè ratione in hod. Ev. Salvator noster dum impiæ urbi minatur excidium flet, ut ostendat se illud sentire, & velle, si velint ipsi, cœlestis patris justam iram suis lacrymis placare.

§. 2. *Flens minatur Jesus, exemplo Prophetarum.*

Auge-

Augetur misericordia, quod plorarit super urbẽ ingratam. Sed o mi Salvator cur ploras super urbem tam ingratam? tu illam diligis velut sponsam, veluti vineā electam &c. urbs impia, scelesta Synagoga, te omnibus modis persequitur, struxit insidias, quas potest, injuriis affecit graviss. & intra paucos dies procedet ulterius. Tu mi Salvator patres eorum in deserto cibasti pane Angelorum de cœlo; ipsa post paucos dies tibi porriget fel & acetum, & tu ploras, eos deduxisti in columna ignis; ipsi cum te alligabunt ad columnam, tu ploras. Te flagellis, quibus flagellasti cor Pharaonis, multiplicabunt ipsi flagella super dorsum tuũ & tu fles. Aperuisti illis mare rubrum, ipsi lancea aperient cor tuũ, tu gemis. Tu electo populo dedisti regale sceptrũ & coronā Israel; ipsi dabunt tibi coronam spineam, arundinem & crucem. Vah scelesti; Justus est, quem offenditis; ipse mittet exercitum qui vos obsidebit, ipse vos angustabit &c. ut tamen sciatis esse quoque misericordem, flet super vos.

§. 3 *Christus in hod. Eu. Silex. continet flammas, quia justus est; fundit aquas quia misericors est.*

Pulcram figuram Christi minantis & flentis in hod. Evang. habemus Numer. 20. v. 10. historiam notam paucis verbis constringam. In defectu aquæ Moyses jussu Dei, congregata multitudine stans ante petram dixit populo; *Audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus elicere. cumque elevasset manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Alia lectio pro petra legit *silicem*; latet in silice pulcrum mysterium; Natum illi ignem inclusit, ut tamen erumpat, ut latentes scintillas ostendat, debet percuti. S. Basilius, *exilit ignis è silice ac frictionibus copiosis emergens elucet.* Poëta Symposius;

Semper inest intus, sed raro cernitur ignis,
Intus enim latitat, se solos prodit ad ictus.

& quo fortius percutitur, eo ignescit magis, & plures scintillas spargit. hæc est natura silicis; verum quia figura esse debuit Christi Domini, teste S. Paulo 1. Cor. 10. vers. 4. *bibebant de spiritali consequente eos petra.* Percussus virga Moysis insolito miraculo etiam aquas fudit. Jam redeo ad Evang. Videtur Christus Dominus esse petra, & silex, tales super obstinatam urbem emittit scintillas, scintilla, imo ardens fulmen est, *venient dies inte*

in te &c. scintilla, est, *circumdabunt te &c.* non miror; impii Judæi percusserũt hactenus suis linguis atrociter; post paucos dies percutient alapis, colaphis, virgis, spinis, clavis, malleis, lancea: ideo, quia justus est, spuit ignes; sed quia simul misericors est, ex oculis emittit copiosas lacrymas, flet amare super civitatem.

Notum sine dubio vobis est nomen Aurei velleris, fuit insigne Ducum Burgundiæ; hodie illo utuntur, & primos ministros illo ornant reges Hispaniæ. Est aurea catena; annuli habent figuram silicis, nectunturque igneis radiis; loco gemmæ ex illa catena pendet aureus Agniculus. Carolus V. hanc apposuit epigraphen Hispanicam: *A los humildes cordero, à mis inimigos tengo & pedernal*; id est, *humilibus & amicis sum Agnus, meis hostibus & inimicis silex.* Verissimum hoc est in hod. Evang. silex est Christus D. suis hostibus, ejaculatur ignes & flammas, quia justus est; sed simul agnus est, id est, clemens, bonus, longanimis & misericors. §. 4. *Pulcrum symbolum.*

Quia justus est minatur, quia bonus est, miscet minis lacrymas, ut impios doceat, quomodo patris iram placare possint, paratasque pœnas à se avertere & latam sententiam mutare. Hanc vim inesse lacrymis; patet ex S. Script. Is. 38. Justitia per Isaiam, rege Ezechiæ denuntiat sententiam mortis; dispone domui tuæ, quia morieris & non vives mox tamen illa sententia revocatur à Misericordia per eundem Prophetam v. 4. *Vade & dic Ezechiæ, hæc dicit Dominus, ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam, & protegam eam.* Causam habet cit. 2. Reg. 20. cap. v. 2. *Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum.* & v. 4. *flevit Ezechias fletu magno.* ideo ait v. 5. *audivi orationem tuam & vidi lacrymas tuas.*-- Ecce adjiciam &c. S. Chrysol. s. 39. *O quanta vis lacrymarum: delent latam divina promulgatione sententiam.* Galfridus in loc. cit. *Vides quam sit efficax oratio: quam festinus & fidelis legatus lacryma supplicantis; à maxilla ascendit in cælum, & Altissimus non despiciet eam, quid enim non poterit; qua propheticum sic mutavit oraculum, divinam flexit sub omni celeritate sententiam.* §. 5. *Iustus dum minatur: bonus & misericors, dum fletu modum ostendit, quo minas avertere possumus.*

§. 6. *Alia causa ob quam flevit.* Adverto ex hoc loco causam, quare in hod. Eu. Christus fleverit super Jerusalem. Clamabant scelera urbis impiæ ad cœlum: & audivit divina Nemesis voces sanguinis innocentis Abel; in Justitiæ tribunali decretum est excidium urbis: constituti sunt Romani ut sententiam exequantur. Christus D. quia justus est, illam promulgat, *Venient &c.* Sed simul lacrymas fundit; nec dubito quia intus in corde, simul ferventissimas obtulerit preces cœlesti Patri, clamans gemitibus inenarrabilibus: nec sine fructu; non quindecim, sed quadraginta integros annos dilata est executio sententiæ; quo tempore si voluissent, pœnitentiam agere potuissent. Merebatur urbs impia statim exscindi; merebatur flammis de cœlis comburi, ut Sodoma, aquis submergi, ut totus mundus: sed piissimus & misericors Salvator suis precibus & lacrymis impedivit.

§. 7. *Iustus dum minatur, Bonus dum ex altera parte velut Iacob lacrymis pro nobis cum patre luctatur.* Efficacissimus modus vincendi & placandi iratum Deum, est, orare & flere. gen. 32. luctatur Jacob cum Deo vel Angelo tota nocte, exoriente aurora (ait Oseas c. 12. v. 4.) invaluit ad angelum & confortatus est, ut quasi vi extorserit benedictionem. Sed quibus armis? *flevit & rogavit eum.* qualis modus pugnandi? victi, imbelles, subjecti solent flere; commodius dixisset Oseas, luctatus est, fortibus brachiis & lacertis, robusto corpore &c. hæc cogitant, qui nesciunt vim lacrymarum contra Deum omnipotentem, ea tanta est, ut dicat Hugo Card. *Lacryma tenet & cogit Deum.* S. Hier. lacrymas vocat, *fortes voces.* Iratus videtur in hod. Evang. Salvator noster, dum tam dira minatur; hoc facit, quia justus est; quia simul misericors est, quia misericordia ejus super omnia opera ejus, est Jacob, luctatur cum patre cœlesti, ut teneat & cogat illum, ne statim puniat: flet & orat.

§. 8. *Lacrymæ delent decretas sententias à D. Iustitia.* Suis lacrymis conatur delere sententiam de excidio urbis. c. 4. v. 1. dicit Dominus Ezechieli; *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Ierusalem -- ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Multa mysteria latent sub hoc latere; quod mihi modo servit, notavit Ly-

vit Lyranus, non fuisse ab igne coctum & durum, sed crudum & mollem, ut valla, aggeres, castra formari facile potuerint: sed quam facile formantur, tam facile diruuntur & æquantur. Modica aqua opus est, & omnia facillimè complanantur. Hoc ergo voluit Deus dicere Prophetæ Ezechieli; Urbis impiæ scelera sunt gravia, clamant ad me in cœlum; & puniam terribili hostium obsidione; valla, castra, quibus urbs cingetur, mea Justitia jam delineavit. Annuntia hoc populo, minare urbi; pone illis ob oculos futuram obsidionem; ut oculis videant, delinea tu in latere. hoc facies, ut simul intelligant se, si velint, facillimè posse delineationes Justitiæ destruere, & hostium castra destruere, verbo, obsidionem avertere modica scilicet aqua, si lacrymis scelera deflere velint; Ne totus discursus meus sit, do verba Lyrani: *Igitur Ierusalem obsessa, est anima posita in peccato, contra quam omnes divinæ justitiæ munitiones diriguntur. Verum hæc omnia in latere non decocto, sed crudo. qui facile aqua dissolvitur, describuntur: ut intelligamus omnes divinæ iræ munitiones, adversus peccatores dispositas, pænitentiæ lacrymis posse dissolvi.* Aptissimè hæc ad hodiernum Evangel. Christus Dominus quia justus est, contra impiam urbem ordinat obsidionem, erigit valla &c. sed simul flet, ut suo fletu ad fletum provocet impios, ut hæ lacrymæ malum avertant. lacrymæ cordis contriti destruunt munitiones divinæ justitię cōtra nos directas, imò teste S. Chrysologo, *extinguunt gehennam. quia secundum Cassianum, lavacrum sunt culparum,* secundum S. Greg. Naz. or. 11. *Peccati diluvium, & mundi expiamentum.* D. Chrysost. in c. 16. Luc. h. 1. de Laz. *Tales lacrymæ quales erant Davidis ipsum etiam gehennæ ignem norunt extinguere.* quæ lacrymarum apud SS. PP. elogia novas causas suppeditant, quare Jesus super urbem fleverit.


§. 9. *Elogia aliqua lacrymarum.*

Fructus hujus concionis sit, ut quia gravibus peccatis Deum offendimus, illa cum Salvatore nostro amaris lacrymis defleamus. Post sanguinem & merita Christi, in satisfactionem peccatorum nostrorum Deo offerre non possumus, quam cordis contriti lacrymas, nam ut ille ait, *sunt cordis particulæ*-- sunt *cordis pellucidus sanguis*, sunt *Margaritæ preciosæ.* flet Jesus super

super urbem, hoc est, cœlesti patri pro illa obtulit divinissimi cordis sui particulas, O bonum Jesum! obtulit cordis sui sanguinem, antequam fundat in passione, O bonitatem! obtulit margaritas preciosas. Eia peccator quid times? peccasti NN. minatur Justitia? noli timere. latet in corde tuo thesaurus, quo satisfacere potes: latent particulæ &c. offer per oculos &c. (est pulcer locus) placatur his Deus.

§.10. *Prosecutio.* Magna est vis harum lacrymarum. Vidit aliquando vir quidem sanctus hominem intrantem in templum ad concionem, oneratum gravissima catena. Egit concionator casu de contritione & lacrymis cordis pœnitentis, tam potenter ut homo ille præ cordis dolore inceperit amarissimè flere. Rem miram! lacrymæ decidebant in catenam, & quoties guttula annulum aliquem tangebat, ruptus dissiliebat, donec tota catena evanuit. advertitque vir sanctus illum hominem incredibili animi lætitia redire ex templo. nam S. Bernardo teste, *in lacrymis- est--serenata conscientiæ suavitas.* Voluit Deus visione hac ostendere potentiam lacrymarum; itaque &c. fac. p. epilogum per brevem concionis repetitionem. D. Petrus Colli l. de panibus c.12. *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendiis torquetur.--Lacryma portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis. pulcre. O anima* meruisti infernum, ideoque es sollicita; pulcre, vade mecum, & Christus plorat, plora cum illo &c. hæ lacrymæ omnia peccata tua delebunt. D. Chrysost. in ps. 50. *In codice scripta sunt peccata tua.* pulcre in conscientia in &c. *Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ sunt. Effunde lacrymas & poteris ea delere,* maxime si miscere velis sanguini Christi, id est, O anima peccatrix, scande montem Oliveti collige unicam guttam sanguin. Christi adde unicam guttam lacry. & confide &c. D. Bern. in scala claustr. tit. de signis Spir. Sancti.--*O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur per quas peccatorum incendia extinguuntur.*-- D. Chrysost. in psal. 50. *Meretrix, illa non fudit sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata sua.* pulcer locus. Non opus est &c. solli-

sollicitus es ut infernum evadas? bene habet, non opus est &c: pulcre. qui martyria. fac quod Magd. hæc, &c.



CONCIO XXXVIII.

DOMINICA XI. POST SS. TRINIT.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.

Luc.18. cap. v.14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEus, subito & repente, præter spem & opinionem humiliat superbos.

§.1. *Superbia in corde, est trabs in oculo.*

§.2. *Superbia excæcat hominem.*

§.3. *Luciferum de cœlo traxit ad inferos.*

§.4. *Oppressit & excidit Moabitas, præter spem & opinionem.*

§.5. *Prostravit Goliath.*

§. 6. *Superbi, multa, frustra cogitant, pereunt dum non putant.*

§.7. *Salomon ob superbiam in gravia ruit scelera, & magnam confusionem.*

§. 8. *Superbi proximi sunt ruinæ.*

§.9. *Experti hoc sunt Alexander M. Pompeius Magnus & Marius.*

§.10. *Superbia est ventus & turbo.*

§.11. *Superbi, pereunt instar fumi.*

§.12. *Superbia Nabuchodonosorem convertit in bestiam.*

§.13. *Alii pestiferi effectus hujus vitii.*

SUperverba illa Christi D. Matt.7.v.5. *Ejice primum trabem de oculo tuo*, pulcrè ait S. Bern. tr. de grad. hum. *Trabs in oculo grandis, & grossa, superbia in mente est; quæ quadam corpulentia sui vana, non sana, tumida, non solida; oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat; ita ut si tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, talem, qualis es, vel qualis esse potes; non possis sentire; sed qualem te amas, talem te putes*

§. 1. Superbia in corde, est trabs in oculis.

putes esse. Vera dixisse S. Bernardum, nos docet Evangelicus Pharisæus. Quia trabē habuit in oculis & corde quia fuit superbus; quia publicani defectus vidit, non suos. non potuit se videre, qualis fuit; fuit superbus, non putavit; fuit arrogans, non putavit; insuper contempsit publicanum; putavit se justificatum, sed erravit! Publicanus jacet in angulo templi, percutit pectus, orat instanter, *Deus propitius esto mihi peccatori*; ob commissa peccata, timet justa Dei judicia, & descendit ex templo justificatus. Historiam vel parabolam æterna Veritas declarat, notissimo epiphonemate, omnis qui se exaltat humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur. Primam propositæ maximæ partem, hac concione, ex sacris præsertim literis fusius demonstrabo. De humilium aurium benevola attentione non dubito. Superbi, audient inviti, talia, quæ justum illis poterunt incutere terrorem. Ut utrumque cedat ad majorem Dei gloriam; & animarum salutem, ex animo precor.

§. 2. *Superbia excæcat hominem.* Inter alia hoc habet superbia, ut arrogantes excæcet ne videant, quid agant: neque agnoscant, quam facile à Deo humiliari possint: Estheris c. 6. v. 6. Assverus Rex superbo Amano hanc proposuit quæstionem: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? Et cogitavit in corde suo Aman, & reputavit quod nullum alium Rex honorare desideraret*, proinde ait &c. sed suam cæcitatem, suum errorem, mox advertit, cum hostem suum Mardochæum, splendidè vestitum, mulæ regiæ impositum per urbem circumducere debuit; & adhuc magis se à superbia sua deceptum agnovit, cum post paucos dies suspensus fuit de patibulo. Hoc plerumque Deo ita disponente fieri assolet, ut superbi repentinis & inopinatis malis, obruantur: juxta versum ps. 122. v. 4. *Opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* ubi D. Chrysostomus, *semper superba cogitantes, repentina humilitate obruuntur: nihil enim superbia detestabilius, nihil arrogantia crudelius reperitur.*

§. 3. *Superbia Luciferum de cælo de-* Superba cogitavit, qui Is. cap. 14. v. 13. *dicebat in corde suo; in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium,*

nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum detractus est &c. in græco. *Nunc autem ad inferos descendes.* quid est, *Nunc*? Nimirum quando Lucifer meditatus fuit ascensiones, quando nihil cogitavit de descensu: quando immemor inferni, nubes voluit transcendere; tunc lapsus est, ut pateat, quam inopinato superbo casus obtingat. D. Cyrillus Alex. l. 2. t. 1. in If. ait: *Inopinatis calamitatibus, involvendum esse, qui in malis* (in sup. cogitationibus &c.) versatur, *præter spem & opinionem.* traxit ad inferos.

Superbissimi fuerunt Moabitæ, tam arrogantia cogitarunt, ut If. questus fuerit cap. 16. v. 6. *Audivimus superbiam Moab; superbus est valde; superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus.* Quæ ex græco sic leguntur apud D. Cyrillum. *Audivimus insolentiam Moab; valde insolens est.* Sed addit Isaias. *Non sic divinatio tua, non sic.* nam, agente Deo, à superbis cogitationibus, in ultimam miseriam devenerunt. Et in eam, qualem nunquam cogitaverunt. *Non sic divinatio tua.* Præter spem & opinionem oppressi, & humiliati fuerunt ab hostibus. D. Cyr. Alex. l. 2. in If. t. 3. *Sustuli inquit ego superbiam, hoc est, excidi Moab: sed hæc tibi non prænuntiarunt vaticinia apud te. Annuntiarunt enim falsidici Vates, quod bellicas incursiones superares, ac facile vinceres adversarios, neq; capi posses ab hostibus. Verum hæc ita se non habent. at plurimum abest, imo in diversum evenit, & non pro voto ac spe, rerum erat exitus.* Superbi, cum minimè putant, mirabilibus & inopinatis casibus humiliantur: dum se victores putant, superba cogitantes vincuntur. § 4. Oppressit & excidit Moabitas: præter spem & opinionem.

Lib. 1. Reg. c. 17. v. 44. Superbissima cogitavit & dixit Goliath ad David; *Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? & maledixit Philistæus David in diis suis dixitq; ad David, Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Dum arrogans miles vidit sibi occurrere puerum sine armis, sine gladio &c. putavit, non posse aliter accidere, quam ut vinceret, D. Chrysost. hom. de David & Goliath. *Irrisit ætatem, irrisit arma, irrisit puerum. Irrisit inquam ætatem, sed non intellexit in Davide esse Dei virtutem; irrisit, & puerum; nec tamen scivit in* § 5. Prostravit Goliath.

puero dimicare Dominum. Lapides & fundam irrisit: sed uno se lapide moriturum nescivit. A puero, à lapide, præter spem & opinionem, non juxta divinationem suam, inopinato, victus & humiliatus fuit Goliath.

§.6. *Superbi multa, frustra cogitant; pereunt dum non putant*

Itaque Lucifer, Moabitæ, Goliath--*frustra hæc cogitarunt*, ait D. Cyr. Alex. *arguit sinistras incogitantias, rerum exitus.* De quo David ait ps. 36. v. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat.* Ruffinus ibi. *Modo cernimus aliquos honoribus & divitiis florere, & ecce quasi in transitu, atque in momento videmus eosdem interire,* (præter spem, non juxta vaticinia sua &c.) *Vnde dicimus, Vbi est ille? ubi tanta gloria? Heu! nihil est homo* (præsertim superbus.) *Sed imperfectorum est, gloriam morituri, in ipsa morte despicere! qui hoc quidem rectius agerent, si cum in gloria hominem cernerent, tunc ejus interitum cogitantes, transeuntem potentiam nihil esse sensissent* (si tempestive agnovissent, superbos frustra talia & talia cogitasse &c.) *Tunc humana elatio pensanda est, quam nihil sit, cum sese super cæteros, successibus extollit.*

§.7. *Salomon ob superbiam in gravia lapsus fuit scelera, & magnam confusionem.*

Salomon, qualis quantusque Rex; dedit illi Dominus cor sapiens, super omnes reges prædecessores; fecitque, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum; hinc tandem elevavit cor suum, cœpit Salomon paulatim cogitare superba; ut, præter spem suam & opinionem, humilietur, permisit Dominus illum adamare mulieres alienigenas, permisit illum labi in turpissima scelera luxuriæ, denique in idololatriam. O Salomon! superbos reges sic Deus humiliat! Minatus hoc illis fuit Amos cap. 6. v. 1. *Væ, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ; optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Subdit Ruffinus, *qui opulentia tumetis! luxuriaque diffluitis!* plerumque enim simul sunt, tumor superbiæ, & profusio luxuriæ; quasi nequeat superba elatio non sociari libidini. testante Osea c. 12. v. 1. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum* eo enim ipso, quod quis ventosa elatione pascitur, quasi necessarium est, ut ardeat carnalium æstu voluptatum. Rupertus hic: *Ventum namque pascere est superbiæ spiritu inflari*

ſtari; ſequi vero æſtum, luxuria corrumpi; quæ peccata, vel vitia conſequentia ſunt, ita ut cum ſuperbia ſpiritum erexerit, carnem quoque corrumpat ſpiritus fornicationis. Ezech. 16. v. 49. *Ecce hæc ſunt iniquitates* Sodomæ--divitiæ, ſuperbia, luxuria. Non ſine cauſa prius ſuperbia nominatur, *Ex hoc enim malo opere* (D. Chryſoſt. in c. 6. gen.) *quaſi fonte quodam, multa etiam alia ſuboriuntur peccata,*--nam ubi divitiæ, ſuperbia, ſcortatio, luxuria--veriſimile eſt, ibi, & ebrietatem, & crapulam, & magnam injuſtitiam, & avaritiam, & innumera alia naſci mala--per quæ Deus ſcit etiam Salomones humiliare.

Superba cogitavit Adonias, de quo 3. Reg. 1. v. 5. ait. *Elevabatur dicens, ego regnabo. Elevabatur* inquit, *ut ſolent elevari, qui cito ſunt dejiciendi, juxta* illud pſ. 72. v. 18. *Dejeciſti eos, dum allevarentur.* Neſcit enim ambitionis elatio aliam elevationem, niſi quæ properet & ruat in ruinam. Symbolum vidit Eſdras l. 4. c. 11. v. 20. *Vidi, & ecce in tempore, ſequentes pennæ erigebantur à dextera parte, ut tenerent & ipſa principatum; & ex his erant, quæ tenebant, ſed tamen ſtatim non comparebat.* O Imperatores! O Reges! O monarchæ: vos eſtis tam grandes volucres! pennæ veſtræ tenent principatum &c. ſub alis veſtris latent populi. heu! ne elevetis oculos & corda! ſtatim non comparebunt. Mors vos præter ſpem dejicit in ſepulcra, præter ſpem!

§. 8. *Superbi proximi ſunt ruinæ.*

Tales pennas habuit Alex. M. de quo ait Seneca l. 14. ep. 95. *Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devaſtandi, & ad ignota mittebat.* de furore hoc dixit S. Bern. ep. 126. *Quænam iſta præceps eſt, & frontoſa libido dominandi! O ardor! & pudenda ambitio!* Tales pennas habuit Pompeius M. de quo Senec. l. 14. ep. 95. *Nec Pompeio externa inire bella, aut domeſtica virtus aut ratio ſuadebat, ſed inſanus amore magnitudinis, modo in Hiſpaniam, & Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat.* Hæ prætexebantur cauſæ ad continuandam potentiam; Quid, illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem & Armeniam? & omnes Aſiæ angulos traxit? Infinita ſcilicet cupido creſcendi cum ſibi uni parum magnus videretur. Similibus pennis & alis volavit Marius, de quo idem

§. 9. *Experti hoc ſunt Alex. Pomp. M. Marius.*

Sen. *Quid tu Marium, cum Theutonicos, Cimbrosque conciderer, cum Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetivisse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio!* Verum quo avolavere hæ volucres? ad sepulcra! ubi Alexander, ubi Pompeius? ubi Marius? potentia, superbia illorum detracta est usque ad inferos, humiliati sunt, frustra talia cogitarunt.

§ 10. *Superbia est ventus & turbo.* D. Cyprianus ser. de jejun. & tentatione. *Peremptoria est altitudo quæsita* (hæc verba pulcerrimam suppeditant inductionem per varios gradus. v. g. ambit quis, ex ambitione, superbia cogitans primum locum inter aulicos; quæritur talis honor; O peremptoriam altitudinem &c. Quod Deus superbis fuit minatus per Ezech. cap. 13. v. 11. *Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.* D. Cypr. supra cit. *Repenteque & subito* (supra dixi, præter spem, præter opinionem, præter vaticinia propria) *quod multis erat partum sudoribus, ambitione irruente, obliteratum est, & turbinis hujus impetu avulsum est, quidquid antiquæ religionis labor meruerat.* Aquilo, ventus, turbo, procella est superbia, quo turbine Deus superbos detrudit ad inferos. Cap. 14. v. 12. plenus admiratione quærit Isaias; *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Ah Isaia! turbo superbiæ miserum dejecit. D. Isidorus l. 1. sent. c. 12. *Primatum habuisse inter Angelos diabolum constat excellentia prælationis; ex qua fiducia cecidit, ita ut sine reparatione laberetur.* Superbos, etiam Luciferos humiliat Dominus. Lucidissimas cœli stellas ob ambitionem de firmamento destruit in barathrum inferni.

§ 11. *Superbi pereunt instar fumi.* Eleganter David Regum superbiam & arrogantiam comparat cum fumo, ps. 36. v. 20. *Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* quæ verba opportune S. Augustin. sic elucidat. *Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum erumpens intumescit* (præsertim ex machina aliqua bellica) *sed quanto fuerit globus ille grandior, tanta fit vanior: & ab illa magnitudine non fundata & solidata, sed pendente & inflata, in auras atque in* ven-

ventos dilabitur, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem: quanto enim plus erectus est, quanto extensus, quanto diffusus undiq; in majorem ambitum; tanto fit exilior, & deficiens, & non apparens. Ni fallor talis fumus, suis umbris veluti characteribus hæc format verba, *Dissipantur, pereunt, disparent superbi.* Vel Deus humiliat arrogantes. Momento disparent, & amplius non sunt: frustra cogitarunt de felicitatis suæ perpetuitate.

Superba & sublimia cogitavit atque dixit Rex Nabuchodonosor Dan.4.v.27. *Respondítq; Rex & ait, Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, & robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Dixit hæc arrogans Rex cum magno fastu, cum oblivione & contemptu Dei; sed cui respondit? cum sacer textus nullam faciat mentionem, quidquam ab illo regi fuisse propositum. B. Petrus Dam. hic. *Cui quæso rogo, ventosus & arrogans ille respondit, per verba prolatæ superbiæ, nisi tumidæ cogitationi, quæ ante jam vociferabatur in mente.* Sed respondenti regi alia vox respondit de cœlo, *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum tuũ transibit à te, & ab hominibus ejicient te,* quod factum est, dum mutatus fuit in bestiam, per montes, per valles, per campos, per agnos, exclamans, Deus superbos humiliat. Cavete quæso Auditores, tumidas cogitationes; confundit illas Dominus. Prov.16.v.18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Sententia satis perspicua, quam tamen cum majori energia vertit Tigurina, *Præit comminutionem fastus, & anteit ruinam superbia animi.* Is.c.2.v.12. *Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & arrogantem, & humiliabitur.* Tobiæ 4.c.v.14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

§. 12. Superbia Nabuchodonosorem convertit in bestiam.

Alios pestiferos effectus hujus vitii variè describunt SS. Patres. S. Bern. in ps.90. *Ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo criminum fomes, excæcatrix cordium &c.* Vide pro dilatatione pulcra in Panario P. Busæi tit. ambitio, §.II. f.6. & seq.

§. 13. Alii pestiferi effectus hujus vitii.

CONCIO XXXIX.
DOMINICA XII. POST SS. TRINIT.

Adducunt ei surdum & mutum.

Marc. 7. cap. v. 32.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INvehitur in malas linguas.

§. 1. *Quare Christus D. ante curationem muti ingemuerit.*

§. 2. *Optimum & pessimum in homine est lingua.*

§. 3. *Lingua, sive sermo indicat, qualis sit homo.*

§. 4. *Quare David dicat, cor suum eructasse verbum bonum.*

§. 5. *Quare Christus D. dixerit, ex abundantia cordis os loquitur.*

§. 6. *Vnde Ieremias collegerit, omnes incolas Ierosolymæ esse malos.*

§. 7. *Lingua in homine est signum prædestinationis, vel reprobationis.*

§. 8. *Vnde latro in cruce agnoverit, Christum D. esse Filium Dei.*

§. 9. *Mala lingua plurimis est causa damnationis: & origo gravissimarum pœnarum.*

§. 10. *Quod qui amat, de illo libenter loquitur.*

§. 11. *Effectus malæ linguæ est accendere.*

§. 12. *Terribilis sententia S. Petri Damiani, sive, quare timere debeamus, ne Deus iratus nos puniat.*

§. 1. *Quare Christus D. ante curationem muti ingemuerit.*

NOtabilis circumstantia hod. Evangelicæ historiæ est, quod de Christo D. ante curationem muti dicatur, *Ingemuit*. Syriacus textus legit; *Suspiravit* & q. tristibus oculis *aspiciens in cælum*. Varias causas advertěrunt SS.PP. Victor Antiochenus ait: *ingemuit*: *Scilicet humanæ naturæ causam* (sive statum) *dolore & commiseratione prosequens.* Surdus ille & mutus, Oculis Salvatoris ita repræsentavit miseram

ram sortem alicujus peccatoris, cujus aures & linguam diabolus possidet, ut cum lacrymis cordis suspiraverit. Miser hic homo, illi repræsentavit imaginem peccatoris. Non potuit non Christus D. ingemiscere; cujus causam (S.Chrysost.) *quia in se suscepit, ingemuit.* Quisquis se sentit ob peccatum aliquod mortale esse sub jugo diaboli, in cujus auribus, in cujus lingua residet aliquis dæmon, habet causam cur ingemiscat. Nihil est, quod magis nos contristare debet, quam summum malum peccati. Venerabilis Beda: cum gemitu suspexit in cœlum, *ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmitatibus medelam, doceret esse quærendam,* & q. cum gemitu & lacrymis. Advertat & discat, quisquis est in statu p. m. statim suspicere in cœlum & gemiscere ut sanetur. Cum admiratione legi causam, quam celeberrimus concionator ex Ordine Prædicatorum, à Nusa, affert, quod Christus Dom. redditurus huic misero homini usum linguæ, *ingemuerit*; ait enim prævidisse Christum, abusurum hunc hominem sua lingua, fore illũ ingratum, fore ex illorum numero, qui tempore passionis clamarunt, Tolle, crucifige! ideoque prius profundum ex divino corde traxit suspirium: videamus hac concione Auditores, an & hodie aliqui ita abutantur sua lingua, ut viri pii habeant justissimas causas ingemiscendi cum Christo D. sed prius eundem Salvatorem meum, invocò in testem, non intendere me, ullum in particulari offendere: in communi agam contra pessimas linguas.

§ 2. *Optimum & pessimum in homine est lingua.*

Anaxargus Philosophus rogatus, *Quid sit in homine pessimum, quid optimum?* statim respondit, *Lingua.* Voluit dicere, linguam in humano corpore esse membrum utilissimum, si cohibeatur, si compescatur & frenetur; nocivum verò valde, si frenum illi, veluti indomitæ bestiæ, non injiciatur. Ecclesiastici 5. v. 15. *Lingua imprudentis, subversio ipsius est.* Eccles. 37. v. 21. *Verbum nequam immutabit cor, ex quo quatuor partes oriuntur, bonum & malum, vita & mors.* quæ verba P. Pinna sic exponit, *Est lingua instar fontis, ex quo dimanant quatuor capita, seu rivi, nimirum bonum & malum, vita & mors.* Bonum & vita fluit de lingua optima; malum & mors de pessima.

§. 3. *Lingua sicut sermo indicat, qualis sit homo.*

De utraque pulcre dixit Seneca. *Imago animi, sermo est; qualis est vir, talis oratio; & qualis est oratio, tales sunt & mores; lingua pessima fecit hominem pessimum, & contra.* Aristoteles vero ait, *Verba sunt notæ eorum, quæ sunt in mente*; ita enim natura formavit linguam, ut habeat duas venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum; non solum ideo, quod linguæ officium sit, loqui, aperire, proferre cordis & mentis conceptus, sed ut simul verba prolata notæ sint, ex quibus colligere licet, quales intus sint cogitationes, an bonæ, an malæ. Proinde si cor & mens hominis, sive si ejus cogitationes, affectus vel desideria sunt inordinata; naturaliter necesse est, ut talia quoque proferantur à lingua: naturalis est connexio, v.g. inter cogitationes impuras, & verba impura: cogitationes de sumenda vindicta, & talia quoque verba. S. Maximus. *Cunctis sapientibus patet, nihil inesse sanitatis, ubi impia, ubi inhonesta, ubi turpia sunt verba.* Si verò cor sit mundum, si sanctum, si plenum cogitationibus de amando Deum, de illius cultu & servitio; talia quoque proferet lingua. S. Ambrosius l. 1. off. *Speculum mentis in verbis refulget.* S. Bern. *Sermo est index conscientiæ.* Clemens Alexand. l. 2. pæd. c. 5. *Sermo fructus est cogitationis.*

§ 4. *Quare David dicat cor suum eructasse Verbum bonum.*

Ps. 44. v. 1. ait David. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.* Primo loco regius psaltes ponit cor, q. d. quia hoc plenum est desideriis & cogitationibus sanctis; talis quoque est lingua mea, quæ nil aliud profert quam laudes Dei, & hymnos sacros divinæ majestati. Verbum eructat innuit hoc simile. Cum stomachus hominis plenus est allio & cœpis; tales quoque eructat odores; spirat halitus odorem citrium, cum homo talia poma comedit: Unde sponsus dixit Cant. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ sicut paradisus malorum punicorum.* Cur quæso quorundam linguæ tam tetram aspirant mephitin? talis mephitis latet in corde. Apoc. 16. v. 13. ait S. J. *Et vidi de ore draconis tres spiritus immundos exire in modum ranarum.* Sed unde ex corde? Rich. de S. V. *ideo in modum ranarum immundi sunt, quia quos per suggestionem corrumpunt, verbositate loquaces, & luxuria lutosos efficiunt.* Tres potissimum ranæ, lingua blasphema, lasciva,

ſciva, detractiva. Cur vero linguæ aliorum eructant verbum bonum, odorem ſanctum, laudando Deum &c. Cor plenum eſt tã ſanctis odoribus. Quas veritates æterna Veritas Chriſtus D. innuit illis verbis Matt.12.v.34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* & Luc.6.v.45. *Bonus homo de theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum.* S. Chryſoſt. hom.43. in Matt. *Naturalis conſequentia eſt, ut cum intus abundat malitia, effluant verba nequam,* & contra.

§.5. *Quare Chriſtus D. dicit ex abund. cordis os loquitur.*

Peculiaris emphaſis latet in vocula *abundantia* ut nimirum cum audimus aliquem proferre aliquid mali, cum audivimus ab aliqua lingua fluere verba impura, detractoria non tantum cogitemus, talia illum quoque intus in corde volvere; Sed multo majorem eſſe fontem conjice; quod enim extra profertur, ex illo profluit, ejuſque ſuperfluum eſt, quod intus eſt. Major nequitia, major ſpurcities, turpiores ſordes latent intus in corde, quam lingua proferat. Loquela hominem manifeſtum facit. Curioſum quid narrat Ariſtot.l.6. de anim. Si quis ſcire deſideret cujus coloris futurus ſit Agnellus; ille inſpiciat venam quæ latet ſub lingua gravidæ Ovis, ſi illa ſit nigra nigrum pariet Agnum, candidum ſi vena illa albeſcat. (appl.p.)

§.6. *Unde Ieremias collegerit omnes incolas Ieroſolymæ eſſe malos.*

Cum Deus iratus, ob graviſſima ſcelera impiæ urbis Jeroſolymæ Prophetæ Jeremiæ, proponeret terribiles plagas, quibus ſtatuerat, punire impium & ſceleratum populum; ipſe confugit ad preces, & cum ſuſpiriis atque lacrymis petivit miſericordiam; inſtando, urgendo, ut parceret: & reſpondit Dominus cap.5.v.1. Jeremiæ; *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero.* Jeremias totus hilaris & alacer, plenus conſolatione, diſcurrit per plateas, ingreditur ædes ſacerdotum, opificum, mercatorum, nobilium, plebeiorum; non dubitans ſe inventurum multos bonos. Sed mox rediit ad Dominum, cum hac querela, c.8.v.6. ah Domine-- *nullus eſt qui agat pænitentiam, ſuper peccato ſuo--omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* quaſi dice-

diceret, Domine jussisti me ire per plateas Jerusalem, ingredi ædes, feci; jussisti me quærere unum, facientem judicium &c. ah Domine nullum invenio &c. Sed quod signum prætulit Jeremias: ex quo collegit omnes esse impios? sic ait; cit. cap. v.6. *Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur.* ex impiis sermonibus, ex pessima lingua collegit omnes esse malos. Mihi afflictissimo hoc tempore, quo vicinæ nobis provinciæ sentiunt flagellum pestis, an nos quoque simus puniendi? an idem & vos cogitatis; certum est, si inter nos sint multi boni, &c. parcat nobis Dominus? cogitatisne ulterius an tales sint? Ite, circuite vias Jerusalem; ingredimini ædes; accedite mensas & convivia; intrate conclavia; Attendite, auscultate, quot sint qui bonum loquantur, qui loquantur quomodo juvandus proximus, verbo, qui loquantur bonum. Attendite etiam, an forte aliqui præferant verba detractoria; an alii impura &c. (est locus pro p. induct.) Ex sermonibus colligite, quales sint honesti, ex iisdem conjicite, an probabile sit, Deum nos non puniturum.

§.7. *Lingua in homine est signum prædestinationis, vel reprobationis.*

Cum horrore his diebus legi, titulum alicujus sermonis, magni cōcionatoris, qui sic habet, lingua in homine est signum prædestinationis, vel reprobationis: linguam prodere, utrum quis sit filius Dei, an vero sit ex patre diabolo, prout Christus D. loquitur. Reproborum Princeps & caput est Diabolus; Electorum choros ducit Christus D. Salvator noster: attendite, quomodo & quid uterque loquatur. In Apoc. 13. v.6. S. Joannes dæmonem depingit, veluti horribilem bestiam, de qua inter alia ait; *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cælo habitant.* Ecce apertio oris, ecce usus linguæ ponitur pro nota, ex qua agnoscere possumus principem reprobatorum; De Christo D. v. ait S. Matthæus c.5. v.2. *Aperiens os suum, docebat eos dicens, beati pauperes spiritu.* Sermo Christi fuit de lacrymis, de munditie cordis, de justitia, de pace, de regno cœlorum. Ecce apertio oris, ecce lingua Christi, ac sermones ejus, sunt notæ ex quibus concludimus, Christum esse Principem electorum. Si itaque audiant aliquem aperientem os in blasphemias, in maledictiones, in

nes, in juramenta? habet talis proprietatem bestiæ, dicamus cum Christo D. Vos blasphemi &c. ex patre diabolo estis. (hoc modo fiat pulcra invectiva in detractores, in mendaces, in impuros &c. lingua detractrix est nota reprobationis &c.) Orig. in Ex. *Nam qui loquitur mendacium, certum est, quia diabolus aperuit os ejus? qui dicit f. test. qui scurrilitates, turpitudines & cætera ejusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum.* Qui verò cum Christo D. aperiunt os suum, ut loquantur sermones Dei (fiat iterum p. inductio) sciant se esse filios Dei, cohæredes Christi, hæredes æternæ gloriæ. ps. 14. v. 1. *quærit David, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* & respondet. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Econtra lingua imprudentis subversio ejus.

De centurione, qui sub cruce in monte Calvariæ exclamavit: *Vere filius Dei erat iste*, quærit S. Bern. ser. 28. in Cant. *Vnde advertit, hanc divinam pulcritudinem crucifixi?* & respondit. *Certè non ex facie, sed ex voce, cognovit filium Dei, videns scilicet, quod sic clamans expirasset.* Unde nos cognoscemus esse aliquem filium Dei? ex facie, ex aliis signis id sæpius colligere non possumus; sed attendamus ad vocem. v.g. in præsenti materia de qua S. Bern. fuit locutus; Christus in cruce oravit pro inimicis; Quomodo loqueris, mi Christiane, de tuis inimicis (hic poterit fieri pulcerrima Apostrophe ad Aud.) ex voce ego cognoscam an sis filius Dei? Itaque, (sic monet S. Chrysost.) *Vbique fulgeamus ex ore & lingua; quia sicut noti ex sermone fiunt barbari, & scythæ, & græci; & nos cognoscibiles fiemus, si loquamur sicut Apostoli, & sicut Angeli &c.*

§. 8. *Vnde latro in cruce agnoverit Christum D. esse filium Dei.*

Mala lingua plurimis est causa æternæ damnationis Apoc. 9. c. v. 18. S. Joannes vidit tres mirabiles equos, spirantes ex ore ignem & fumum & sulphur, *& ab his tribus, occisa est tertia pars hominum, de igne à fumo & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum*; tam pestilens fuit fumi hujus odor; Advertitis mysterium, Os, lingua, fuit velut fons ex quo processit tetra lues, quæ deinde per homines dispersa fuit, Richar. de S. Victore, *quod procedebant ignis, fumus & sulphur de ore ipsorum, ostendit, quia corrum-*

§. 9. *Mala lingua, plurimis causa damnationum, & origo gravissimarum pœnarum.*

pant bonos mores colloquia prava. Os, lingua, eſt fons graviſſimorum ſcelerum, contra Deum, conſequenter pœnarum. Peſtilentia qua Deus modo multas urbes caſtigat, nil aliud eſt, quam quidam ignis, quidam fumus, quoddam ſulphur quo tot millia hominum occiduntur; timeo ne peſtilentes linguæ ſint fontes. Si fortaſſis etiam Bamb. ſcaturiant tales fontes, ſi & hic diſcurrant tales equi, ex quorum ore nil procedit niſi ignis &c. nolite dubitare, non emanebit peſtilens fumus gravium morborum &c. Bonus Deus vult, ut tandem diſcamus loqui rectè. Qualem linguam pulcro ſuſpirio à Deo petiit S. Ephrem de paſſ. animi. *Digitus gratiæ tuæ Domine, ſemper moveat linguam meam, tanquam nervum citharæ ad gloriam tuam. Concede mihi Salvator, petitionem cordis mei, fiatq; lingua mea velut cithara ad reſonandum jugiter laudes tuas.* Tales itaque linguæ quæ loquentur recte &c. tanguntur à Spiritu S. tales linguæ ſunt citharæ Chriſti D. &c. Lingua verò reſonans blaſphemias tangitur à diabolo, illius eſt cithara (eſt locus pro pulcra invectiva) &c. tales citharæ deinde inter ignes, in fumo inferni, æternum reſonabunt, *Væ! Væ!* & cruciabuntur in flamma.

§. 10. *Quod quis amat de illo loquitur libenter.*

Pulcram quandam ſententiam Rich. de S. Vict. ſupra cit. probat & confirmat quotidiana experientia. *Amantes enim de eo, quod amant libenter loquuntur*; (ex abundantia cordis os loquitur) *ideo ſolent pii convenire, de Deo locuturi; & ex mutua collatione, magis in ipſum Deum accenduntur.* ideo duo diſcipuli euntes in Emaus dixerunt Luc. 24. v. 32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis.* Vultiſne ſubinde advertere in converſatione cum hominibus, quid ament; an ament Deum, an Chriſtum Salvatorem, an ejus paſſionem, an cœlum &c. attendite an de his rebus ſubinde loquantur; Si non audiamus ſermones niſi de vanitatibus &c. cogitate eſſe amatores mundi &c.

§. 11. *Effectus malæ linguæ eſt accendere.*

Non notam tantum, ex qua diverſitas hominum colligi poteſt, ſed ſimul effectum poſuit Rich. in prædicta ſententia, loquelæ piæ vel impiæ. Lingua ſancta in audientium cordibus excitat igniculos amoris Dei & ſacroſanctarum cogitationum: lingua vero impia, audientium corda inflammat ignibus vario-

rum

rum scelerum. Græcorum adagium fuit, *Lingua quo vadis?* respondet lingua, *Vrbem ut destruam, & incendam: urbem ut erigam.* hoc ultimum cadit in linguam bonam, erigit, ædificat; Linguæ malæ proprietas est, ut excitet ignes. Lingua adulatoria quo vadis? nunquid ad palatia regum; ut excites ignes. Lingua detractoria, quo vadis, quo collimas? fatere, dic, ut excitem ignes. Lingua lasciva, quo vadis? fare, dic, ut excitem ignes &c. hi ignes involvunt fumum, qui ante Deum ita fœtet, ut tales ignes aliis ignibus, tales fumi, aliis fumis castigentur.

Finem imponam terribilibus verbis S. Petri Dam. l. 2. ep. c. 18. postquam egisset de vitiis linguæ, quæ etiam inter religiosos committi solent, de inutilibus fabulis, de vaniloquiis, ait, *Fateor fratres mei, nihil ferè in monasteriis agitur, unde mens mea terribilius super Monachos, imminere Dei judicium, suspicetur. nam continuo, quasi torrens per decliva devexa, procedens eorum lingua decurrit.* Applica p. his afflictis temporibus; timeo puniri linguas blasph. detractorias, & turpes: præsertim si secum trahant ruinam innocentium animarum &c. Itaque fili ps. 33. v. 14. *Prohibe linguam tuam à malo.*

§. 12. Terribilis sententia S. Petri Damiani, sive Quare timere debeamus ne Deus iratus nos puniat.



CONCIO XL.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINIT.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.

Matt. 22. cap. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit motiva, propter quæ Deum ex toto corde oportet amare.

§.1. *Affectuosa ruminatio d. liberalitatis.*

IN consideratione divinæ & profusæ liberalitatis erga nos homines, cum pio stupore exclamavit Guerricus Ab. ser.1. in Pent. *O Deum! si fas est dici, prodigum sui: spectemus non quoties dedit, sed quoties se dedit; In profusionem sui tota conspiravit Trinitas; sæpe se dedit Deitas! O affluens liberalitas Dei! O indeficiens largitas divinæ bonitatis! Dedit filium in preciũ Redemptionis; dedit Spiritum in privilegium adoptionis! se denique totum servat hæreditatem adoptionis. O itaque Deum, si fas est dici, prodigum sui præ desiderio hominis, an non prodigum, qui sicut proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum;* sic nec Spiritui S. pepercit, ut ita loquar; sed nova & mira largitate super omnem carnem effudit illum. Ad Philip.4.v.7. ait Ap. *Exinanivit semetipsum &c.* Tertull. *O suavitatem! O gratiam,* sed quis hoc fecit? Amor fecit! quis Dei thesauros effudit? Amor effudit &c.

§.2. *Pro qua à nobis nil aliud exigit quam amorem.*

Et pro tanto amore Deus nil aliud exigit ab homine quam amorem, ideo Christus D. in hodierno Eu. *Diliges &c.* S. Lucas addit, *in tota fortitudine tua.* Æthiopicus. *Ex tota virtute tua; & ex tota potentia;* quæ tibi. Persicus. *Et ex tota nimietate mentis tuæ quia Christus nos dilexit nimia caritate* ad Eph.2.v.4. In hoc solum Deus delectatur nostra immoderantia, cum nostri amoris affectio in ipsum sine modo intenditur, & mensura. S. Aug. cit. verba sic explicat. *Ex toto corde. (ex tota voluntate tua. Ex to-*

Ex tota anima. (Ex toto intellectu ex tota mente) ex tota memoria tua. Victor Antioch. in Marci c.16. *homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut minuat, aut alio transferat, sed in omnibus illi soli magis magisque assidue placere satagat, nec alteri personæ aut rei creatæ nisi propter Deum.* Proponam hac C. rationes ob quas. Urgebo ultimam huic tempori accommodari.

Cum filii naturaliter ament Patres suos; à quibus vitam acceperunt; æquissimum est, ut ex toto corde &c. diligamus Deum, qui est *Pater miserationum & misericordiæ, & totius consolationis.* Card. Cajet. super initium orat. dom. Pater noster. *Magna dignitas cujuslibet hominis habere Patrem in cœlo; ideo recurrere juberis ad Deum, non ut servus ad Dominum, sed ut filius ad Patrem, filiali affectu, filiali fiducia & securitate.* addere possum ex hod. Evang. *& caritate, ex toto corde, ex tota mente &c.* De quo nobis gratulatur S. Paulus ad Rom. 8. v.15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Advertit Card. Cajetan. Apostolum non dixisse, in quo dicimus, sed clamamus, scilicet, *magnitudine affectus, magnitudine amoris, ex toto corde &c. quod est proprium verè filiorum: Et geminatur Pater,* nomen *Pater, Pater,* iterum ad significandum, firmitatem ac certitudinem fiduciæ; item firmitatem nostri amoris. Ipsum dulce nomen Patris, in cordibus filiorum naturaliter excitat amorem. *§. 3. Filii amāt parentes: amemus & Deum.*

Lucæ.15. vers.18. ait filius prodigus *surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei; Pater peccavi;* quod dixit, fecit, abiit, rediit ad ædes optimi parentis, cum venit in conspectum procidens in terram dixit, Pater &c. quærit S. Chrysologus, ser. 2. *Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? qua caritate?* puto ego, illos affectus filii prodigi processisse ex toto corde, ex tota anima &c. Citatus S. Chrysol. respondit. *Qua spe? illa qua Pater est;* q.d. filius prodigus, *Ego perdidi, quod erat filii; ille quod Patris est non amisit.* q.d. ideo ibo ad Patrem meum; quod hactenus hoc nom *§. 4. Quam dulce Patris nomen.*

agnoverim; quod non amarim, quod ab illo abierim, hoc doleo, jam surgam, & ibo, & redibo, & adhærebo Patri meo, & instar filii amabo longe ardentius: neq; timeo repulsam. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat affectus. *Vrgentur patris viscera, iterum genitura filium per veniam.* & contigit. Pater filium recepit in gratiam. Multos inter nos esse puto, qui causam habent dicendi, dicam ego primus, heu! quid feci, quid egi; quod toties Deum meum, dulcissimum patrem meum deseruerim! *surgam & ibo &c.* applica p. sed agamus hoc, diligamus Deum tanquam patrem nostrum ex toto corde, ex tota anima &c. S. Anselmus dixit; *Pater ipse misericordiarum, quia ex visceribus ejus proveniunt in nos misericordia ejus.* talis vicissim sit amor noster; ut proveniat ex toto corde &c.

§. 5. *Naturaliter amamus illum qui ex m. per. nos liberavit. Amemus g. Deum.*

2. Cum naturaliter amemus, illos à quibus liberamur à magno periculo, ex gratuito amore æquũ est, ut illum amemus, de quo S. Joannes ait cum admiratione c. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum*, scilicet pater æt. dando filium suum Unigenitum, quem pie S. Aug. his verbis alloquitur c. 13. solil. *Perieram, abieram, in peccatis venundatus eram; Venisti pro me, ut redimeres me, & tantum me dilexisti, ut sanguinem tuum in precium dares pro me. Dilexisti me Domine plus quàm te, quia mori voluisti pro me.* S. Aug. solil. c. 13. *Tam caro precio reduxisti me de exitio, redemisti me de servitio, retraxisti me de supplicio, vocasti me nomine tuo, signasti me sang. tuo* (*qualia* signa amoris) *ut memoriale tuum semper esset apud me & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce.* Nos omnes sic Deus dilexit; pro omnibus dedit Filium suum; & filius pro nobis omnibus venit in hunc mundum, propter me, pro te, propter vos omnes venit, ut redimeret nos; eramus miserrimi, sed venit. Tantum nos dilexit, applica reliqua d. p. Quid faciendo erimus grati? Et nos diligamus juxta reg. hodie à Christo D. præscriptam, toto corde &c.

§. 6. *Amamus benefactores. g.*

3. Natura nos docet, ut amemus benefactores: & quomodo non Deum amamus, ex toto corde &c. S. Bern. de inter. domo c. 48. *Nullum est momentum, quo homo non fruatur aut utatur*

Dei

Dei pietate & misericordia. Nullũ fluere deberet momẽtum, quo non, saltem habitualiter illum amemus. S. Th. in q. ad Rom. lect. 2. *Divitiæ bonitatis ejus, & misericordiæ, indeficiẽtes sunt.* talis esse deberet noster amor. Filius Dei, 2. Cor. 8. v. 9. *propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites esse possemus.* Caj. legit. *Vt merito voluntariæ paupertatis Christi nos ditesceremus divitiis spiritualibus* In gratiarum actionẽ, requirit amorem ex toto corde. Dicere quemvis oportet cum S. Bern. in ps. *Fateor & fateor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Non sum ingratus, non sum oblitus. Misericordias Domini in æt. cantabo.* ait alius, *Deum tam misericordem tam liberalem in æternum amabo.* utamur verbis Christi ex hod. Eu. amabimus *ex toto corde, ex tota anima &c.* ad Col. 1. v. 17. ait S. Paulus: *Gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ. In partem sortis sanctorum, in notitiam sui.* Multa millia gentiliũ, jacent in tenebris (fac hoc modo p. induct.) nihil dicam de hæreticis &c. Nos Deus dignos fecit, ut simus in vera religione &c. S. Greg. *Sancti viri quidquid in se aspiciunt accidentis gratiæ donum esse cognoscunt, eiq; de accepto munerum debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle, & subsequendo dedit eis bonum posse. Non per electionem propriam, sed quia ipse Deus elegit nos.* Non est mea mens modo extollere magnitudinem & multitudinem beneficiorum Dei; moneo tantum ut illis fruendo obtineamus vitam æt. liberalissimum benefactorem diligere debemus ex toto corde &c.

4. Naturaliter amamus illos, qui, licet nos illis faciamus malè, tamen nobis omnem exhibent benevolentiam. Inter alia judico ego hoc esse potentissimum motivum, ut Deum & Christum Salvator. nostrum ex toto corde amemus. Ex. 32. v. 7. ait Moysi versanti in monte in oratione. *Vade, descende; peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti; recesserunt cito de via, quam ostendisti illis, fecerunt sibi vitulum &c.* Addit Dominus; *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Mox tamen Moyses ardentissimis precibus Deum recon-

§ 7. *Amamus illos, qui erga nos sunt benevoli &.*

reconciliavit, & pœnam à populo avertit. Quod considerans S. Cyrillus Hierosſ. Cathec. 2. dixit. *Etſi univerſus pop. peccet, non ſuperabit divinam benignitatem, Vitulum populus fabricavit, ſed non deſtitit Dominus Deus à benignitate. Negaverunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum non negavit. Iſti ſunt Dii tui Iſraël, & tamen pro more ſuo Deus ſervavit illos.* Auditores amantiſſimi, verè talem habemus Deum, talem habemus Redemptorem. Licet graviter peccemus; licet nomen Domini blaſphemetur &c. (eſt locus pro pulcra invectiva) non tamen ſuperamus D. miſericordiam. Sanguis ſcelerum noſtrorum clamat in cœlos, clamat vindictam; ſed ſanguis Salvatoris fortius clamat indulgentiam: mirabiles nobis fabricamus vitulos. Vitulus aureus eſt luxuria &c. tales Deos adoramus; Deus tamen, Chriſtus Salvator noſter ſe non negant. Nos non deſiſtimus peccare; Deus non deſiſtit benefacere. Deus benigniſſimus, pro more ſuo, pro ſua longanimitate ſervat graviſſimos peccatores multis annis; O mortales; Nonne hunc Deum &c. ex toto corde ſuper omnia amare & diligere nos oportet?

§. 8. *Quanta divini amoris ergà nos exſuperantia.*

Per 100. annos iratus Deus per Noë mundo fuerat minatus diluvium: tam diu, quam diu vir juſtus laboravit in fabricatione arcæ: illa abſoluta ait Dominus, Gen. 7. v. 4. *Adhuc enim, & poſt dies 7. ego pluam*; & cur adhuc concedit nova ſpatia temporis & pœnitentiæ? Reſpondet mihi D. Baſilius. Seleuc. or. 5. *In tanta & tam juſta ira, erat Deo amoris erga homines exſuperantia.* Inter tot & tanta hominum ſcelera, inter minas tamen opprimi non potuerunt divinus amor & divina miſericordia. Jonæ dixit Dominus cap. 1. v. 2. *Surge & vade in Ninive, civitatem magnam, & prædica in ea, quia aſcendit malitia ejus coram me. Adhuc 40. dies &c.* p. idem hic auctor orat. 12. *Suſpicor equidem, comminationem in clementiæ matrem evaſuram: Si punire vult, cur admonet periculi? Novi Dei hominum amantiſſimi artes; iram ſimulat, ſtudet eos ante exſolvere pœnas antequam experiantur.* (Preme illa verba, Novi! Dei erga hominem &c.) Amat nos Deus; tolerat nos; vellet nos pœnitere, ut poſſit parcere.

O Bam-

O Bamberga! Bamberga! jam à biennio, quo longe à nobis incepit grassari sæva lues; toto illo tempore, quo paulatim ad nos serpit; adhuc tamen ad nos non appropinquavit; minatur tantum; spes est, adhuc per sept. aliquot forte per menses nos fore liberos. Cur expectat? ideo, in tanta & tam justa ira, propter scelera nostra, tanta Deo est amoris erga nos exsuperantia! amat nos, expectat, ut convertamur ad pœnitentiam, ut non puniat. O Bamberga! forte adhuc 40. dies, & in incolas sæva lues grassabitur. (potest fieri pulcra descriptio ab effectibus pestis) malitia tua ascendit coram Domino. Terreo q. vos his minis; sed suspicor, utinam fiat! comminationem fore clementiæ matrem; Videtur bonus Deus necdum velle punire quia nos admonet periculi. Novimus! experientia docet. Deus hominum amantissimus habet artes & suavissimas adinventiones; studet, ut convertamur, ut agamus pœnitentiam, ut illum amemus, ex toto corde &c. ut sic exsolvamus pœnas antequam experiamur. §. 9. *Digressio ad Auditores.*

Nota est momentanea latronis conversio, qui in cruce positus; cum festinaret ad mortem dixit Lucæ 23. v. 42. *Domine memento mei.* cui Dominus, *Hodie &c.* Circa quæ p. D. Leo ser. 4. de pass. *Quis tanti muneris explicet sacramentum? Quis potentiam miræ commutationis exornet? Ex quo temporis puncto longorum scelerum reatus aboletur, inter luctantis animæ dira tormenta, hærens patibulo transit ad Christum, & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia* (& bonitas, & misericordia, & amor) *dat coronam.* Talem hodie habemus Deum; talem Salvatorem. Quis infinitæ ejus misericordiæ explicet sacramẽta? eo puncto temporis, quo etiam gravissimus peccator, abolet sua scelerà, per pœnitentiam; etiamsi fiat inter luctantis animæ dira tormenta in agone, dum adhuc tempus est; avertit pœnam, impertitur misericordiam, tribuit Paradisum. Audite cœli, testes estote Angeli, Deum meum, Christum meum ex hoc puncto temporis cupio diligere ex toto corde. §. 10. *Christus D. paratissimus est; ut pœnitentes exaudiat.*

Ibi frequenter magis triumphat Dei misericordia, ubi magis offenditur. Cum Christus D. gloriosus ascendit ad cœlos, §. 11. *Triumphans Dei*

misericordia. qui non putasset dicturum apostolis, discedite ex maledicta urbe &c. p. locus. sed *præcepit illis ne ab Ierosolymis discederent.* Theophyl. *Apud illos ipsos, qui cædem fecerant, qui crucifixerant, in ipsa urbe, in qua nefarium facinus committere ausi erant*-- ibi, & illis primis volunt prædicari Evangelium, ut si vellent pœniterent. Gaude Bamberga! licet ex incolis tuis sint, qui, &c. nihilominus non desunt occasiones, ut convertamur. Modo Deum amemus, &c. Plus saltem, quàm quamvis creaturam.

§. 12. *Historia de ardenti amatrice.* Mirabilem hist. narrat S. Greg. Turon. l. 1. hist. fr. c. 47. In Arvernia nobilissima Virgo nupta fuit juveni æquo, diviti, ac nobili; ipsa die desponsationis, ex tristissima sponsa causã rogavit tantæ afflictionis. Præ copia & abundantia lacrymarum atq; singultuum respondere non potuit. Instat sponsus, amica mea, per amorem Jesu rogo, dic cur ploras? ad quæ sponsa, dilecte mi, plorabo Dies, & noctes, dum vixero, neque tamen meis lacrymis infelicitatem meam satis deplorare potero, & dolorem cordis mei. A primis annis, statui me desponsare Christo meo, sponso &c. heu, parentum & tuis decepta blanditiis quid feci? *Sponse mi! Horrent mihi terrena species, quia pro mundi vita transfixas manus suspicio. Nec placent mihi diademata gemmis coruscantia, cum illam spineam mente miror coronam. Respuo longe lateq; diffusa spatia terræ, quia amœnitatem concupisco Paradisi. Horrent mihi tua solatia, cum memini Iesu mei, quem ardentius amo.* Protulit Virgo talia, ut cor sponsi moverit ad lacrymas; inter quas ait, *sed dilecta mea! fruamur bonis mundi,* &c. & tamen serviamus Deo in malis. Sed ipsa: Nihil est mundus! nihil divitiæ! (pathetice) sponse mi, omnia hæc finem habent &c. quæramus vitam sine fine &c. amemus Jesum. Dedit sponsus victas manus; relicto mundo &c. amarunt Deum super omnia; denique sancte mortui &c. fac p. apostrophen ad audit.

§. 13. *Alia.* Luctanti alii Virgini, Utrum &c. apparuit Christus D. q. plagis recentibus crucifixus, leni sermone illi dicens, *me diligas qui suum formosus, bonus, dulcis, generosus.* Et cessavit lucta. Hoc hodie est votum cordis mei. Deum dilexit patrem (fac p. repetitionem Conc.) & sic de Christo D.

CON-



CONCIO XLI.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINIT.

Occurrerunt ei decem viri leprosi.

Luc. 17. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de gratitudine, & ingratitudine.

§. 1. *Multi Deo sunt ingrati.*
§. 2. *Deus exigit nostram gratitudinem.*
§. 3. *Prosecutio.*
§. 4. *Quare in arca V. T. asservatum fuerit manna.*
§. 5. *Imitari debemus aviculas.*
§. 6. *Gratitudo impetrat nova beneficia.*
§. 7. *Cur tot millia satiata fuerint panibus.*
§. 8. *Cur Iacob moriens benedixerit Ephraim, stantem ad latus sinistrum.*
§. 9. *Ingratitudo displicet Deo.*

§. 1. *Multi Deo sunt ingrati.*

DE novem leprosis, qui mundati ad agendas gratias non redierunt, dicere possumus cum Jona cap. 2. v. 9. *Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.* Hæc verba ex textu hebraico sic exponit P. Corn. à Lap. *Qui custodiunt vanitates, non recordantur beneficiorum tanquam ingrati.* Versio Chaldæa sic habet, *qui, quo ex loco, illis conferatur beneficium, nesciunt.* Theophylactus ait: *Misericordiam à te consecuti, & liberati à calamitatibus, non celebrant, neque magnificant misericordiam, quam fecisti cum ipsis.* Tales omnino viri fuerunt novem leprosi, quibus Christus D. misericor-

 diam,

diam, & magnum beneficium contulit, liberando illos à lepra: erepti fuerunt ex magna calamitate; sed ingrati immemores fuerunt beneficii, neque cogitarunt, à quo beneficium accepissent; ex decem unus solus rediit, qui miraculum celebravit, & exhibitam misericordiam magnificavit. Forte hic alienigena dixit cum Jona c. 2. 10. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi quæcunque vovi reddam pro salute Domino*; Pagninus, Vatablus. *Ipsa salus Domino* (laus & benedictio &c.) Theophyl. *Ast ego servatus* (misericordiam meam non derelinquam) *tibi victimas & sacrificia adducam, cum gratiarum actione*. *Omnis virtus sancta est* (dixit Philo Jud. l. de plantat. Noë) *gratitudo vero sanctissima*, & Deo benefactori nostro acceptissima, quod concione hac fusius conabor ostendere. Primum punctum sit; proponit Deus oculis nostris beneficia, ut illa agnoscendo ipsi simus grati: quærit nostram gratitudinem.

§. 2. *Deus exigit nostram gratitudinem.* In submersione Pharaonis & exercitus ejus sacer Historicus hanc quoque circumstantiam observavit Exod. c. 14. v. 31: *Et viderunt Aegyptios mortuos super litus maris, & manum magnam quam exeruerat Dominus contra eos*. Quid necesse fuit illos videre mortua cadavera? natantes inter maris fluctus Pharaonis currus & equos. Forte ante à longe audiverunt lamentabiles pereuntium ejulatus & lamenta. Elegans est responsio Oleastri, hic; *Ostendere solet Dominus Deus beneficia sua suis; ut cognoscant ea, & grati sint. Hac etiam de causa ostendit eis mortuos Aegyptios, ut viderent à quibus eos liberaverit periculis*. Cajetanus hanc habet rationem; *Objecit Deus Israelitarum oculis Aegyptios submersos--- ad recolenda Divina beneficia: par enim est, ut post accepta beneficia agnoscamus benefactorem*. Lippomannus advertit Deum in sacris literis frequentissimè gloriari, se esse creatorem nostrum; identidem fit mentio beneficii creationis, iterum, *iterumque commendatur, & velut inculcatur, ut sciat homo, cui subsistentiam suam, & vivere acceptum referre debeat*.

§. 3. *Prosecutio.* Mundatio leprosorum nobis proponitur in hodierno Evan-

Evangel. cum hac circumstantia, quod se debuerint ostendere sacerdoti. Quo clarius speculum nobis proponi potest sacramenti Pœnitentiæ, in quo per paucula verba sacerdotis vi & efficacia sanguis Christi mundamur à lepra peccati mortalis? & Quare hi leprosi mundati nobis ostenduntur; nisi ut memores simus, totum genus humanum fuisse leprosum; sed mundatum sanguine Christi; Quid inde? Vult Deus nobis ostendere hoc mare rubrum hoc balneum salutis; vult nos videre submersa peccata nostra &c. ut tantum benefactorem agnoscamus; & grati simus; ut videamus à quo è tantis periculis liberati simus. Dei beneficia identidem nobia inculcantur, ut sciamus, cui tanta dona naturæ & gratiæ debeamus.

In arca Deus voluit asservari urnam auream, plenam manna, S. Thomæ hæc placuit causa. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. *Quia manna ex D. misericordia datum fuit populo. Ideo in memoriam divinæ misericordiæ conservabatur.* Levitici 6. v. 12. præcepit Dominus. *Ignis in altari semper ardebit.* Philo. Jud. *Merito, ut equidem arbitror, Nam quia perennes Dei gratiæ, nec deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu, noctuque fruendas se præbent nobis hominibus, gratiarum actionem hæc flamma figurat, semper instaurandam, ne quando extinguatur.* Agar, puteum ostensum ab Angelo, appellavit puteum *Viventis & videntis* me, & sic (ait Oleaster) *non fuit immemor accepti beneficii, sed ut ejus recordaretur, puteo, nomen beneficii imposuit. Ecce quam velit Dominus sua beneficia nostræ memoriæ commendari.* Ex libro gen. scimus Abrahamum sæpius & pluribus locis erexisse altaria; causam advertit S. Joannes Chrysost. *In singulis locis altaria condens, & Domino gratias agens; sciebat enim; quod nihil aliud requirat, ab humano genere Dominus universi, post innumera & ineffabilia munera sua, quàm animam gratiarum actioni studentem, & scientem habere gratiam pro iis, quæ jam accepit.* Et h. 34. in gen. *In singulis locis ubi tabernaculum fixit, invenies hoc: precibus ei curæ fuisse ut instructo altari preces offerret.*

§. 4. *Quare in arca V. T. fuerit asservatum manna.*

§.5. *Imitari debemus aviculas.* S. Ambrosius cum aures suas oblectasset suavi cantu cantantium avicularum, p. dixit, aves, propter vilissimas escas gratias agunt, tu preciosissimis epulis pasceris, & ingratus es? imitare ergo frater aves, mane & vesperi creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare lusciniam, quæ & nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. addit Procopius. *Nihil enim prius habere debet homo, gratiarum actione, qua ostendat, se non esse ingratum Deo.* S. Bern. in h. de cœna Domini; attende ut nulla Dei munera debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non modica: nec minima beneficia debemus oblivisci. Hoc Deus, nobis benefaciendo, intendit.

§ 6. *Gratitudo impetrat nova beneficia.* Altera propositio Concionis sit hæc; Gratitudo, sive gratiarum actio impetrat nova beneficia. S. Paulus ad Coloss. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc, caritatem habete--& estote grati.* S. Chrys. hom. 26. in Matth. *Optima quippe beneficiorum custos, est ipsa memoria, & perpetua gratiarum confessio.* Infallibilis est connexio inter hæc duo; Perpetua gratiarum actio, ex parte nostra; & perpetua beneficia ex parte Dei. S. Dion. Carth. Grati estote Deo pro universis beneficiis ejus; qui enim gratias agit donis potioribus meretur impleri, juxta illud Matth. 25. v. 29. *Omni habenti dabitur,* id est, grato. Lippomannus. Testari gratitudinem est opus acceptissimum Deo, & invitat Deum ad majorem liberalitatem: *quare qui ex fide obtulerunt primogenita.* (juxta mandatum Dei, Exodi 23.) *consecuti sunt, parvo sumptu magna beneficia.* S. Joannes Chrysost. h. 18. in gen. *Talis est Dominus noster, quando in primis, gratitudinem declaramus, largius nobis sua dona erogat.*

§.7. *Cur tot millia saciata fuerint paucis panibus.* Non sine mysterio ait S. Joannes c. 6. v. 11. *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Nam tanta post gratiarum actionem secuta est ubertas benedictionis,* [Franco Abbas] *ut de paucis panibus, tot millibus satiatis, fragmenta quæ superfuerant, duodecim cophinos exuberarent.* S. Alb. M. in parad. animæ c. 25. *Gratitudo aperit fontem divinæ bonitatis, vocem misericordiæ, flumen gratiæ: quanto enim major est gratitudo in anima, tanto fit habilior ad gratiam recipiendam, & tanto amplius largissimus*

mus Deus cogitur ad largiendum. Aliis verbis hoc idem eleganter proponit Theodorus Angranus hom. 2. de Nat. *Solet autem uberior gratia illis obvenire, qui grato animo gratiam accipiunt; tantum enim plerumque donorum præstatur, quantum eorum est gratitudo, qui hujusmodi donis potiuntur. Quare cum de accepto dono, donatoris benignitatem, grata recordatione agnoscit, non modo pro accepto fecisti satis, Verum ad majorem quoque beneficiorum elargitionem donatorum astrinxisti.* & S. Bonav. *Nihil est quod hominem reddat, ita dignum divinis muneribus, sicut, semper Deo gratias reddere, & agere pro acceptis beneficiis.* S. Chrysost. h. 1. ad pop. *Magnus thesaurus gratiarum actio! magnæ divitiæ! inconsumptum bonum! gratiarum actio, etiam pro parvis beneficiis à Deo collatis,* [si tamen ullum parvum dici potest] *ingentia bona conciliat.* Sicut econtra [S. Bern. ser. de 7. misericord.] *nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quàm ingratitudo, Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet.*

§. 8. *Cur Iacob moriens benedixerit Ephraim, stantem ad latus sinistrum.*


Cum Joseph. gen. 48. cap. adverteret patrem suum Jacobum mori, ad ejus lectum adduxit duos suos filios, Manassem primo, & Ephraim secundo genitum ad petendam à moriente avo benedictionem. Manassem ideo Josephus statuit ad manum dexteram, ut hic primus acciperet benedictionem; deinde Ephraim ad latus sinistrum. Jacob nihilominus invertit benedictionem, v. 14. *Extendit enim manum dexteram super caput Ephraim, minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.* Adverterunt doctissimi aliqui Interpretes, manum dexteram esse symbolum divinæ liberalitatis, in elargiendis gratiis & beneficiis, sinistram verò, minari maledictionem & pœnas; ob quam etiam causam in die judicii, Oves sive electi stabunt ad dexteram, hœdi & reprobi ad sinistram. Sed quæ latet, vel quæ fuit causa, quod moriens Jacob juniori benedixerit, non majori? ex significatione Nominum, illam advertere poterimus; Manasses idem est, quod *Oblitus vel Oblivio.* Ephraim verò sonat *memoriam, agnitionem, sive gratitudinem!* subinde Ephraim idem est quod, *Frugifer sive crescens.* Cum magno ergo mysterio Jacob manum dexteram

ram imposuit capiti Ephraim, ad demonstrandum Deum Opt. Max. dexteram divinæ suæ liberalitatis extendere super illos, qui memores sunt beneficiorum, super gratos; hos esse frugiferos, hos crescere; his indies conferri nova beneficia; Ingrati vero, à Deo aliud non expectent, quam à sinistra D. Justitiæ mille maledictiones. ps. 77. v. 11. *Obliti sunt benefactorum ejus & mirabilium ejus, quæ ostendit eis.- Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis -& ideo tradidit in captivitatem virtutem eorum: & pulcritudinem eorum in manus inimici: hereditatem suam sprevit &c. abjecit à se populum ingratum.* S. Cyr. Alex. in c. 3. Oseæ. *Fratres mei beneficiorum Dei oblivio quam longissimè repellatur à nobis; quoniam exitium parit, & Deum ea felicitatis nostræ auctorem, ad indignationem provocat.*

§. 9. *Ingratitudo vero displicet Deo.*

Sit hoc 3. Punctum. Ingratitudo displicet Deo: & proinde bene S. Bernardus ser. contra ingratos: *Fratres gratissimus Deo & Christo Iesu, ne contingat nobis, ut tanto gravius, de ingratitudine judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati prolabimur extitisse.* Dixi superius Gratitudines aperire fontem liberalitatis d. *Ingratitudo vero* (S. Bern. ser. 5. in Cant.) *est ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ &c.* S. Bonavent. in medit. super verba Christi in cruce. præcipue illa, *Deus meus, &c.* p. ait: *Magnam patiebatur noster Iesus exterius amaritudinem, sed longe plus cruciabatur interius, propter nostram ingratitudinem:* quo tendere videtur pia querela Christi crucifixi, sive ejus apostrophe ad peccatorem; à S. Antonino & S. Bernardo subscripta imaginibus Christi pendentis è cruce: *Vide homo quæ pro te patior! ad te clamabo, qui pro te morior! Vide plagas, quibus afficior, Vide clavos, quibus confodior; Et cum sit tantus dolor exterior; Et interior, plus tamen crucior, Quod te tam ingratum experior.*

CON-



CONCIO XLII.

DOMINICA XV. POST SS. TRINIT.

Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

Matt.6 .cap. v.32.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DIvina Providentia falli non potest.

§.1. *Christus D. per voculam, Pater, vult in nobis excitare magnam fiduciam.*
§.2. *D. Providentiam falli non posse, ostenditur exemplo Iacobi, qui fratri praeripuit benedictionem.*
§.3. *Testimonia SS.PP. supra hanc historiam.*
§.4. *S. Gregorius M. hanc veritatem probat ex historia Iosephi, qui à renitentibus fratribus fuit adoratus, quia id placuit Domino.*
§.5. *Deo volente David vicit Goliath.*
§.6. *Et Dei nutu, factus est Rex Israel.*
§.7. *De Holoferne & Amano.*
§.8. *De Iona.*
§.9. *Quid proinde nobis agendum sit; ut in omnibus nos subjiciamus D.Voluntati.*
§.10. *Fructus hujus subjectionis.*
§.11. *Epilogus ex dicto Livii.*

SUavis vocula Pater affectuosum mihi suggerit exordium. Nam acute super hoc meum thema observavit S.Joannes Chrysost. *Non dixit Christus D. scit Deus, sed scit Pater vester, ut eos in majorem spem ducat. Si enim pater est, non potest, despicere filios, cum nec homines patres hoc sustineant; & quali-* *§.1. Christus D. per voculam Pater, vult in nobis excitare magnam fiduciam.*

qualiter pater est, qui sustinet, etiam necessaria filiis non dare. quomodo pater cœlestis vos deseret. S.Petr.Chryſ. ſer.2. *Vrgentur viscera patri, cum videt filii necessitatē.* patet in hiſt. de filio prodigo &c. Card. Cajetanus æquè tenere locutus fuit de hac vocula, *pater. Magna dignitas est habere patrem in cælo; recurrere enim jubemur ad Deum, non ut servi ad Dominum, sed ut filii ad patrem, filiali affectu, filiali fiducia, imo securitate.* ſuper cap.8. ad Rom. addit ut clamemus ad hunc patrem; *magnitudine affectus, quod est proprium vere filiorum:* ut ex hoc quod clamamus, (hoc eſt affectu magno profitemur) in Spiritu S. *Pater; Pater!* ſignum habere cognoſcamur internum, quod accepimus Spiritum adoptionis. Nam ſi non eſſet in nobis adoptionis ſpiritus, non inſpiraret nobis, tam confidenter appellare Deum Patrem. *Et geminatur patris nomen ad significandum firmitatem, ac certitudinem fiduciæ.* Quæ ſi in nobis ſit, libenter & cum gaudio abjiciemus curam ſuperfluam & præcipuè, timidam, turbatam, inordinatam, præcipuè illam, quæ verſatur circa ſuſtentationem corporis, & quoſcunque alios caſus. Quantumvis enim laboremus, quantumcunque ſimus ſolliciti, quanta etiam ſit noſtra prudentia; tamen fiet infallibiliter quod D. ordinavit providentia. Hæc maximum eſt fundamentum excellentiſſimarum virtutum, ut nos ſubjiciamus D. voluntati, ut &c. ſpero proinde fore vobis gratiſſimum, ſi illud fuſius hac Conc. vobis declarem.

§.2. *D. Providentiam falli non posse, ostendit exemplo Iacobi, qui fratri præripuit benedict.*

Providentia Dei certa eſt & infallibilis, non eſt qui reſiſtat voluntati eius, nec qui ejus ordinem diſpoſitionem poſſit immutare. Id quod aud. mei intelligent ex pulcerrimis hiſtoriis, non profanis; ſed hauſtis ex dulciſſimo fonte ſacrarum literarum. prælūdo tantum uno aut altero verſu ex eodem fonte; pſ.134.v.6. *omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* S.Bern. *In his omnibus voluntas Dei sine dubitatione completur.* Iſ.46.v.10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Rom.9.v.19. *Voluntati enim ejus, quis resistet?* Prov.21: *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Iſaac Patriarcha duos habuit filios, Eſau & Jacob.

Jacob. Illum amabat tenerrimè, tanquam primogenitum, & hæredem omnium bonorum, Jacobum cogitabat fore ipsi servum: sed Deo volente, ipse Isaac occasionem dedit, ut contigerit plane contrarium. Jubet Esau exire foras in campos ad venationem, & (vide textum.) audiit omnia hæc Rebecca conjux, quæ magis diligebat Jacob, invigilabatque ut hic fratri majori præriperet benedictionem; in quem finem illum mittit ad gregem, jubet afferre hædum, coquit, & ad parentem mittit filium, optime instructum, quid diceret, quid ageret &c. O Rebecca prudentissima quid agis; an nescis benedictionem à patre promissam esse filio majori? qui astutus est, & homo truculentus? an nescis, affectum patris, ætatem, &c. omnia favere Esau foreque ob omnia hæc valde difficile, ut Jacob obtineat benedictionem. Audire mihi videor respondentem Rebeccam; sic est, sed pro filio meo Jacob stat Providentia Dei, quem scio dixisse, (Genesis 25. v. 23.) *Major serviet minori.* Et hoc fiet; meum est, ut necessaria adhibeam remedia, quibus id efficiam, idem Deus me vult esse instrumentum.

Jucundum fortassis erit pulcerrima verba Lippomanni in c. 27. Gen. *Religiosa & prudens Rebecca, Iacob magis amabat, cui audierat subjiciendum ipsum Esau. Dei consilium didicerat; unde promovere volebat, quod necessario futurum erat, Dei ordinatione. Obedientia Esau, diligentia, opus, patris consilium, & ipse cœli influxus circa genituram, omnia hæc promotionē Iacob impedire non potuerunt.* Ut pateat verissimũ esse illud dictum, *Contra Dei providentiam nihil proficitur. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ,* ait Sap. c. 9. v. 14. talis fuit providentia Isaac erga Esau; deceptus fuit pater & filius Esau; mater & filius Jacob, obtinuerunt intentum, quia pro ipsis stabat voluntas altissimi. Ut dicere possimus, cum S. Joanne Chrysost. hom. 1. de Prov. *Mirabile hoc est: sed verissimum: quæ enim fiunt à Deo cum diversa videantur, & disjunctissima, uno tamen concordiq; fine sibi invicem consentiunt.* Si nos audivissimus Isaacum dicentem ad Esau; *vade fili ad venationem, si aliquid capias redi, & para mibi cibum, ut comedam, & benedicam tibi;* si vidissemus Esau discur-

§. 3. *Testimonia PP. supra banc hist.*

rentem per sylvas, capientem feram, mox reducem; parantem cibum, inferentem Patri (fiat p. descr.) cogitassemus, hìc accipiet benedictionem. De Jacob, dixissemus, licet currat ad gregem, licet adferat hædum, licet Rebecca valde sit sollicita (p. descriptio) dixissemus, frustra agit; fortassis pro bened. in caput suum arcesset maledictionem; *sed mirabile hoc est*, (repete p. superiora) hom. 54. in acta. *Hoc enim mirabile est, quod non per ea quæ videntur securitatis esse, sed plane per contraria, omnia pro nobis fiunt.*

§. 4. *S. Gregorius hanc veritatem probat ex historia Josephi; à renitentibus fratribus fuit adoratus quia id placuerat Domino.*

Ex mente S. Greg. M. l. 6. mor. c. 12. subinde aliqui putant se humana industria prudentia & ingenio, velle q. cogere cœlum, ut fiat quod volunt. *Sed etiam inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt: atque omnipotentis consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpe & hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat. Sapientes q. Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt, cum resistunt.* Probat hoc dictum vir sanctus hac historia; somniarat Joseph se adorari ab 11. manipulis, & sole, luna, stellis; revelavit illi Deus his visionibus, fore illum Dominum fratrum; iisdem dum talia somnia retulit, ingens contra se excitavit odium, ut mortem illi fuerint machinati; Gen. 37. v. 19. *Ecce som. venit, venite occidamus eum &c. & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Misericordia tandem moti, vendiderunt illum Ægyptiis. Quid contigit? Venit Josephus in Æg. servivit Domino suo fideliter & caste; innocens tamen projicitur in carcerem; mox inde eductus ob admirabile donū Prophetiæ constituitur præses totius Ægypti. Fames cogit fratres eo venire ad petendum frumenta; inscii adorant Josephum. *Nunquid hoc est mirabile? Ideo à fratribus venditus fuerat Ioseph, ne adoraretur; sed ideo adoratus, quia venditus.* Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur: sic humana sapientia, dum reluctatur comprehēditur. *Timuerunt fratres, ne Ioseph super eos excresceret; sed hoc, quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est ut eveniret:* Deus voluit Josephum exaltari, adorari; hoc fieri debuit, ut ipse ait non venturum &c.

Totum

§. 5. *Deo volente David vicit Goliathum.*

Totum exercitum Israelis sub Saule, terruit unus Goliath. Statuerat Dominus illum prosternere per David; & contigit, quantumvis fratres restiterunt; appellando puerum, curiosum, &c. Non dubito risisse plurimos milites, cum viderunt Davidem cum baculo exire ad prælium contra talem heroëm, qui erat terror totius exercitus; forte aliqui ex compassione cogitarunt, O puer! O David! quo vadis? non times te dilacerandum instar bestiæ. Sed p. ait S. Chrysost. in ps. 50. *Nutu Dei processit pastor ad pugnam. Et qui bello fuerant assueti, pavore tremebant; & iste qui arboribus, & umbra frondium delectabatur, cum vidisset alienigenam, irruit. Per Davidem juvenem prosterni debuit Goliath, jactu lapilli, ut triumphalis victoriæ laus, soli divinæ potentiæ, & non humanis viribus adscriberetur.* ait S. Petrus Dam. ser. de S. Andrea.

§. 6. *Et Dei nutu, factus est Rex Israel.*

Placitum præterea fuit Domino, ut David fieret Rex Israelis. Restitit Saul; modis omnibus fuit conatus id impedire; variis locis, temporibus diversis illum quærendo ad necem. 1. Reg. 18. v. 25. *Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philistinorum.* Sed hæc fuit mirabile: Davidi [S. Chrys. hom. 46. in gen.] *Maxima securitas, & inexpugnabilis murus fuit gratia, & providentia Dei; videte!* quomodo David de loco in locum transiens, & quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit: Saul autem, cum esset in mediis civitatibus, & tantum secum duceret exercitum; & satellites habens, & armigeros, quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidias. Donec miserabili fato occubuit in prælio, & Davidi contra suam voluntatem, contra sua consilia, sed volente Deo solium Israelis reliquit; Non est consilium, non est prudentia contra Domini voluntatem. S. Greg. *Saul superna providentia in sapientiæ suæ est consilio deprehensus, quia unde succrescentis militis vitam extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit.* v. 30. cit. cap. *Et celebre factum est nomen ejus nimis.* Sic omnia solet Deus disponere ut humana astutia, ut politica hujus mundi, *contra suam intentionem* [Rupertus Ab. lib. 2. de vict. verb. c. 15.] *semper bonum Dei circa electos, dum impedire nititur, magis expediat & adjuvet.*

§.7. *De Holoferne & Amano.* Nescio an non huc colliment verba S. Petri Chrysologi ser. 157. *Hostem proprio mucrone turbare, singulare est insigne virtutis & dispositio Providentiæ divinæ.* Intentio Goliathi fuit, suo ense amputare caput Davidis, Deo placuit contrarium, & hoc factum est; illo mucrone animosus juvenis præscidit barbarum caput; Hoc idem petiit generosa Juditha à Domino, Judith. 9. v. 12. *Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur.* Dion. Carth. *sic legit. Superbum caput Holofernis amputetur manu mea ipsius mucrone.* Quod Judith petiit, ab æterno sic ordinatum fuerat à D. Providentia, & factum est. Nulla Holofernis potentia illud impedire potuit. Amani intentio in aula Assveri fuit, perdere Mardochæum. Dei voluntas fuit, hunc honorari, illum deprimi, & factum est. Modo admirabili: Aman curaverat erigi patibulum, ut de illo suspenderetur Mardochæus: hoc Deus noluit; hoc D. Providentia non ordinavit; proinde etiam non contigit. Sed cum dicitur Assvero Esther c. 7. v. 9. *En lignum quod paraverat Mardochæo, stat in domo Aman, & dixit Rex; Appendite eum in eo. Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* hæc fuit tragœdia, quam providentia divina disposuit ab æterno; & in tempore, in aula tanti Regis, ludi debuit. Non, non est; Mi Aman, consilium &c. S. Isidorus Pel. l. 4. ep. 23. *Nec non fieri potest, ut effugiat sceleratus divinam animadversionem. Hæc non eorum animos fallens qui ipsam fallere conabantur, efficit, ut volentes eam declinare, in suamet ipsorum retia, per ea, quæ moliuntur, incidant.* Applica Amano.

§.9. *De Iona.* Et Jonas ausus fuit resistere divinæ voluntati; noluit ire in Niniven, quod illi imperaverat Dominus: itaq; ascendit mare illa intentione, ut longissime, discederet ab illa urbe. Sed, ob exortam tempestatem, projicitur in mare, devoratur à ceto: &, quod est mirabile! *illuc gestante bellua pervenit,* (S. Greg.) *quo ire sponte contempsit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum; quo missus fuerat, suo reus* carcere portatur: donec--*jubente Deo, bellua Prophetam vomuit,* & reddidit littori. S. Th. de V. N. ser. fer. 4. Dom. 1. quad. *Fugit ne iret, & quia fugit, citius ivit. Medium quod assumpsit, ut Domini beneplacitum impediret factum est*

medi-

medium, ut impleret. Vade mi Jona; puto te didicisse, non esse consilium &c. S. J. Chrysost. hom. 51. in gen. *Vide quomodo variæ sint viæ sapientiæ Dei, & quomodo omnia juxta voluntatem suam faciat, & in inviis viam inveniat, per illa ipsa, quæ maxime adversa videntur &c.* Plena est sacra scriptura hujusmodi historiis.

Ex quibus cum S. Gregorio sic concludamus. *Restat ergo, ut in cunctis, quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus; cui videlicet cognitæ, debet nostra actio devote famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat.* Et solemur nos dicto S. Augustini, postquam enim agnovisset, in qua vixisset servitute & tyrannide peccatorum atque diaboli, dixit; *Manus enim tuæ, Deus meus, in abdito providentiæ tuæ, non deserebant animam meam; Tu illud egisti Deus meus.* Vere sic est: habet D. Providentia suas abyssos, abdita & abscondita, quæ nos perscrutari non possumus; sed in illis, manu forti, potenti, suavi nos dirigit; hoc restat, ut nos in cunctis &c.


§ 9. *Quid proinde nobis agendum sit, ut in omnibus subjiciamus nos d. voluntati.*

S. Chrysost. hom. 14. in gen. *Si vobis curæ fuerint divina,* (si Deo vos subjiciatis) *& ipse quoque Deus pro nobis sollicitus erit, ut magna securitate per pelagus hujus vitæ navigemus. Et tanto nobis erit melius* (Oleaster) *quanto fuerimus magis ad oculos Domini suspensi.* Cant. 2. v. 5. applaudit sibi sponsa de suo amore erga sponsum, qui amor tam vehemens fuit, ut suspiraret; *pascite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* alii legunt, *quia vulnerata caritate ego sum*) amo sponsum meum ex toto corde; & *dilectus meus mihi* id est, volo quod ipse vult &c. statimq; subdit, *Læva ejus sub capite meo & dextera illius amplexabitur* me: in quib. amplexibus secura quiesco; hæ manus me dirigunt suaviter fortis dextera sponsi mei me defendit fortes: liberales illius manus non permittunt me inopem. Orig. *tam ingentia hæc bona inde consecuta est sponsa, quia vulnerata caritate, & amore Dei erat.* Hoc agite, animæ piæ; Jesum amate, illum diligite, illi adhærere &c. & ne sitis solliciti, omnia necessaria adjicientur vobis. *Si enim Dominus volatilia & corvos non deserit, quomodo nos derelinquere poterit; ipsum jugiter in mente habentes, eumque assidue orantes.*

§. 10. *Fructus hujus subjectionis.*

Finis.

§.11. Epilogus ex quodam dicto Livii. Finis hujus concionis sit dictum Titi Livii l. 5. *Omnia prospera eveniunt sequentibus Deos, adversa autem spernentibus.* Verissimum hoc est in hominibus Christianis, qui Deum sequuntur, qui illi adhærent &c. potest fieri p.ep.



CONCIO XLIII.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINIT.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.

Luc. 7. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MEmoria mortis est utilissima.

§. 1. *Adolescens in feretro elatus, defunctus ad populum loquitur.*

§. 2. *Qui memor est mortis, facile contemnit terrena.*

§. 3. *Quare Aegyptii non repetierint aurum & argentum, à Iudæis abeuntibus ex Aegypto.*

§. 4. *S. Paulus memor mortis, omnia arbitratus est, ut stercora.*

§. 5. *Monitum S. Bernardi ad Eugenium Papam.*

§. 6. *Quare aliqui se diligenter præparent ad mortem.*

§. 7. *Prosecutio, à contrario, immemores Lethi miserè moriuntur.*

§. 8. *Quod declaratur simili.*

§. 9. *Qui mortem frequenter & pie meditantur, cum moriendum est, cum gaudio moriuntur.*

§. 1. Adolescens in feretro elatus ad



O *Miseri mortales! quantum pro cupiditate hujus sæculi discurritis? quid superbitis? quid luxuriæ infelicia ossa subjicitis?* S. Aug. ser. 66. ad fr. in er. ait, talia clamare defunctos

functos ad viventes ex suis sepulcris; *Attendite*, pergit S. Aug. *& intelligite, & considerate arida ossa mortuorum. Hoc, quod vos estis, illi fuerunt, & quod jam sunt; esca vermium, pulvis, cinis, vos eritis!* De Abele primo mortuo in hoc mundo, ait S. Paulus ad Hebr. 11. v. 4. *Defunctus adhuc loquitur.* Post Abelem mortui sunt tot Patriarchæ; defuncti adhuc loquuntur. Mortui sunt hactenus tot potentissimi Monarchæ hujus mundi &c. defuncti adhuc loquuntur &c. Fœminæ formosissimæ, quas celebrat S. Script. Rebeccæ, Judithæ, Racheles; mortuæ sunt: defunctæ adhuc loquuntur. In pompa funebri, quam describit textus hod. Eu. ad sepulcrum offertur filius unicus matris suæ, juvenis, in florida ætate. Defunctus nobis loquitur; scilicet, statutum esse omnibus hominibus semel mori. Morte nihil certius! Brevis concio! sed *cogitanti illam vilescunt omnia.* quod lemma invenio inter Emblemata inscriptum supra calvariam; cujus aspectus, vanitatis hujus mundi, & brevitatis humanæ vitæ nos admonet: *ne cor apponamus rebus perituris, ne adhæreamus eis nimia delectatione,* Zeno ser. de pudic. *Non habet concupiscentia locum, ubi mors timetur.* præter innumeros alios fructus, quæ ex hac radice, quæ vocatur, memoria mortis, progerminant, aliquos præsens concio vobis proponet.

popul. defunctus loquitur.

S. Ambrosius ser. in ob. Theodosii, piissimum hunc Imperatorẽ summis extollit laudibus quod se abdicarit imperio, illiusque gubernationem diu ante mortem filiis commiserit. *Nil gloriosius exitus tanti Principis habuit, qui omnia jam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti: nihil inquam, in illo speciosius.* Insinuat autem S. Ambrosius fecisse hoc Theodosium cum incepit meditari mortem. *Cogitanti mortem vilescunt omnia.* Gloriosissimum factum Caroli V. augustissimi Imperatoris fuit, quod biennio ante mortem Romanum imperium in fratrem Ferd. Regna vero Hisp. in filium Philippum transtulerit; scio varias rationes, ob quas Politici putant illum hoc fecisse; præcipuam refert vita in Medicum, qui Imperatorem candide monuit, probabiliter non restare illi longum tempus vitæ; quod ut credidit, accedente morte suæ matris, à qua quasi

§. 1. Qui memor est mortis facile contemnit terrena.

ſenſit ſe vocari ad alteram vitam, ad æternitatem, ſtatim ſerio de abdicatione imperiorum, non tantum cogitavit, ſed quod dudum cogitaverat, dedit executioni; Hoc poteſt memoria mortis, ut etiam regibus vileſcant omnia; & hoc eſt ſummum Dei beneficium, *ut memorem faciat hominem* (Rupertus Abb.) *ſuæ conditionis, ut humiliatus corrigi poſſit & ſalvari.* Hominis ſalus æterna frequentiſſime pendet à memoria mortis.

§. 3. *Quare Ægyptii non repetierint auream & arg. ſuppellectilem à Iudæis, cum exiverunt ex Aegypto.*

Quoties lego in capite 33. v. 4. Numer. Profectos fuiſſe filios Iſrael ex Ægypto in manu excelſa palam; miror Ægyptios non repetiiſſe prius aurum & argentum, quod illis conceſſerunt, videntur plane non fuiſſe ſolliciti, de recipiendo mutuo; videtur inter illos fuiſſe quædam oblivio theſaurorum. ceſſat mea admiratio, cum conſidero verba illa ſacri textus v. 4. *Profecti ſunt quidem videntibus illis, ſed, ſepelientibus mortuos primogenitos.* Verſabatur Ægyptiis funeſtum ſpectaculum tot mortuorum ante oculos una nocte, & ideo, Abulenſis q. 2. *tanto illorum dolore, & ſui timore Aegyptii tenebantur, ut viderent Iudæos cum vaſis auri & argenti, & veſtibus recedentes, & tenere non curarent; ſed potius ipſi eos ad velociter fugiendum incitarent dicentes; omnes morimur.* Cogitanti ſerio mortem, non occurrunt ſollicitæ cogitationes de divitiis, ſed ait cum illo gentili Philoſopho, qui dicere ſolebat, *Morituro ſatis.* Hoc quoque fuit conſilium Epicteti in Enchirid. c. 28. *Mors & exilium, & omnia quæ in malis verſantur, ob oculos tibi quotidie verſentur: omnium vero maxime mors. Sic nihil unquam humile cogitabis, nec impenſe cupies, quicquam.*

§. 4. *S. Paulus memor mortis omnia arbitratus eſt, ut ſtercora.*

Hoc expertus fuit S. Paulus. 1. Cor. 15. 31. ait: *Quotidie morior*: quomodo Apoſtolus hoc potuit dicere, cum ad Hebr. c. 9. v. 27. dicat, *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* dubio & quæſtioni reſpondet S. Ambroſius orat. de fide reſur. non fuiſſe priori loco locutum S. Paulum, de morte actuali, ſive reali ſeparatione corporis ab anima; ſed de illis ſanctis cogitationibus, quibus homo amans ſuæ ſalutis frequenter cogitat ſe moriturum *Quotidie morior, dicit Apoſtolus; melius quam illi, qui meditationem mortis, Philoſophiam dixerunt; illi enim ſtudium prædicarunt, hic ipſum*

ipsum mortis usum exercuit, qui mente sua se quotidie moriturum cogitabat. Effectum hujus exercitii mox subdit; ideo, *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucifaciam; & mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Iterum, quia morituus sum, quia mundum debebo deserere & pompam ejus, & div. &c. *absit mihi in illis gloriari; sed gloriabor in sola cruce D.N. Iesu Christi;* has & similes cogitationes suggessit S. Paulo memoria mortis. Monet S. Ambr. ut *& in nobis, sit quidam quotidianus usus moriendi.* & similiter nobis omnia vilescent. S. Hier. ad Paulinum. *Facile contemnit omnia qui semper cogitat, se esse moriturum.* Sed Deo debemus adscribere, & Spiritui S. si tales cogitationes nobis suggerat &c. Ut salvi fiamus.

Aurea documenta dedit S. Bernardus Papæ Eugenio III. ep. 137. *In omnibus operibus tuis memento te hominem esse; & timor illius, qui aufert spiritum Principum semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis conspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ & citissimæ decessionis admonent & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum nuntiat tibi: Iugi proinde meditatione, inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua; quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* Tales cogitationes scilicet etiam principibus auferunt spiritum supetbiæ; jugis meditatio mortis extinguit flammas concupiscentiæ &c. S. Godefridus (ut vita ejus refert,) quotidie sic agebat, quemadmodū in exequiis mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua componebat dicens: *O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam aptare, & præparare me possem, Domine Deus meus!* His cogitationibus munitus sanctissime vixit. §. 5. *Monitum S. Bernardi ad Eug. Papam.*

Jugem meditationem mortis, & ejus fructum his verbis proponit Ecclesiasticus c. 41. v. 5. *Noli metuere judicium mortis.* Verba obscura sic explicat Lyranus. *Noli metuere judicium mortis,* id est, *ponas te in tali statu, ut judicium mortis sit tibi in bonum.* Quod verò multi magna cura & diligentia conentur, se ponere in tali statu, ideo fit, quia memores sunt se morituros. Miramur singulis mensibus tantam devotionem sodalium in congr. §. 6. *Quare aliqui diligenter se præparent ad mortem.*

Agoniæ: magno nobis solatio est, ipsorum fervor in orando; gaudemus de frequenti sacramentorum usu, de tam tenera devotione erga Christi D. passionem, mortem & sanctissima Vulnera &c. Omnium horum fructuum radix est, memoria mortis; cujus judicium non metuunt, quia ita vivunt, ut ejusdem judicium sit eis in bonum. Econtra multi, *de hora mortis nihil cogitantes, & multa secum statuentes ad crastinum non perveniunt,* (S. Ephrem. Syrus) *sed subito rapiuntur, sicut passerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & captivus à latrone, nec loqui prorsus valentes, nec vocem ullam edere.* Et repente, momento, hora qua minimè putarunt, judicium mortis est illis in malum. quod non contigisset si illam timuissent. S. Augustinus, l. de spiritu & anima. *Mors ubique te expectat, & tu si sapiens fueris ubique eam expectabis.* Sed ob quam rationem homini est absconditus dies mortis? quærit S. Chrysost. *Videlicet ut semper benefaciat, ut Deum timeat, ut fugiat peccatum, ut vigilet, -- semper timens mortem.* Memoria mortis facit nos vivere sobrie, piè, juste, & caste. S. Chrys. *Nos esse vult Dominus paratos, propterea posuit incertum exitum nostrum, ut continuo vigilemus & pugnemus.*


§. 7. *Prosecutio; à contrario immemores lethi misere moriuntur.*

Aliam utilitatem memoriæ mortis proponit nobis S. Bern. ser. 5. in Vig. Nat. *In parasceve passus est Christus D. id est, in die præparationis: merito dicitur, sanctificamini hodie & estote parati, iis siquidem prodest Christi mors & passio, qui mortem propriam prævenientes* (exemplo Christi) & *prævidentes ad illam præparantur, ne inopinatos intercipiat mors.* itaq; memoria, prævisio, timor mortis, secum trahit diligentem præparationem ad mortem. proinde S. Aug. l. de van. sæc. c. 9.) *Illam horam fratres modo timete, ne tunc timeatis: illam nunc præcavete, ut tunc securi esse possitis.* S. Eusebius. hom. 2. de Epiph. *Per salutiferas ingredimur vias, quando anima damnatis voluptatibus, id potius cogitat, quãdo sit positura tabernaculum sui corporis.* Alb. M. *Quicunq; mortis suæ efficaciter recordantur, student esse patientes, continentes, obedientes &c.* & certe tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur. Multoties verò contingit contrarium, ut qui diem suum ultimum putant abesse longissime; qui cogitant restare sibi longum

gum ſpatium vivendi, ut illi repentina obruti morte, æterna mala inveniant, quæ vitare jam nequeunt. De quo pie queſtus fuit S. Hier. ep. ad Cyprianum. *Nihil ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorant ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi hujus poſſeſſionem repromittunt, cũ illo divite, anima mea habes bona multa in annos plurimos, & dictum illi fuit, ſtulte hac nocte repetent à te animam tuam.* De tali morte ſine dubio bene dixit Eccleſ. c. 41. v. 1. *O mors quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Gloſſa. Nec mirum ſi mors eſt amara tali, quia de paradiſo ſuo terreſtri, vadit ad infernum. Luc. 16. v. 22. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.*

Pulcrum eſt ſimile, quo utitur Hugo Card. ſuper illa verba Jobi, preciſa eſt velut à texente vita mea. *Vita noſtra quaſi tela eſt; Hanc telam orditur homo longam in animo ſuo: ſed Dominus præſcindit eam quando placet. Et hoc eſt quod valde timere debet homo procraſtinans, ne cum orditur, id eſt, cum diſponit ſe diu victurum, Dominus præſcindat in momento.* §. 8. *Quod declaratur ſimili.*

Denique, frequens & pia memoria mortis hoc efficit, ut cum illa adeſt, nõ timeatur; qui didicerunt bene mori, moriuntur libenter imò cum gaudio. *Moriuntur quidem* (ait S. Chryſoſt. hom. 59. ad pop. etiam pii) *quia non ſunt immortales corpore, ſed morientes neſciunt mortem.* Suprema verba S. Antonini Archiep. Florentini, fuerunt, *ſervire Deo, regnare eſt. Et amplexus crucifixi imaginem, mortem lætus aſpexit.* B. Reginaldus Ord. S. Dominici in agone auſus fuit dicere, *Ego luctam iſtam non timeo, ſed cum gaudio expecto.* S. Symphoroſa dixit filiis ſuis in graviſſimis tormentis, *Feliciſſima erit vita veſtra, ſi feliciſſima pro Chriſto morte coronetur.* Tali morte plerumque coronantur, imo ſemper, qui agendo & patiendo fortia, ad mortem ſe diſponunt. Vox ſuaviter morientis fuit Dominæ Teclæ, Matronæ nobilis, cum in Japonia, pro Chriſto cum filiis mori debuit; *Nati, ſumus tandem morituri; ſed in æternum victuri moriemur.* §. 9. *Qui mortem frequenter & pie meditantur, cum moriendum eſt, cum gaudio moriuntur.*



CONCIO XLIV.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINIT.

Et ipsi observabant eum.

Luc. 14. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUomodo hodie multi imitentur summam malitiam Pharisæorum, qui observarunt Christum.

§. 1. *Christus D. suos obtrectatores non fugit, imo dilexit.*

§. 2. *Sol est pulcerrimus, tamen à quibusdam observatur.*

§. 3. *Quanta malitia Pharisaeorum erga Christum.*

§. 4. *Figura fuerunt, duo senes, oppressores Susannæ.*

§. 5. *Digressio ad Auditores.*

§. 6. *Malitia dissimulata.*

§. 7. *Symbolum hujus malitiæ est Pardus.*

§. 8. *Item serpens in paradiso; rana Aegyptiaca &c.*

§. 9 *Tales obtrectatores sunt similes Longino.*

§. 10. *Sunt similes Satanæ* Job. cap. 2.

§. 11. *Neque sanctis tales bestiæ parcunt.*

§. 12. *Duo similia.*

§. 13. *Christus D. tales toleravit: toleremus & nos.*

§. 1. Christus D. obtrectatores non fugit, imo dilexit illos.

DE Principe Pharisæorum, qui Christum D. invitavit ad convivium ait Didacus Stella, quod proposito malo, & malitia inveterata, & recocta, invitarit in Sabbato, & studio hydropicum coram illo exposuerit, ut sumeret occasionem accusandi, & posset calumniari. Nihilominus tanta fuit Christi D. bonitas, ut licet hoc cognosceret, tamen

men cum illis ageret, imo comederet &c. S. Ambr. in ps. 36. *Illos querulos, illos murmurantes, illos prævaricantes, tamen non deserebat Dominus, sed sequebatur.* Theophylactus putat Christum D. interius in benedicto corde dixisse; Etiamsi me persecuti fueritis, ego adhuc vobiscum sum. hoc est, pro vobis curam gero, & loquor ea quæ ad salutem vestram pertinent. & Theodoretus in persona Christi sic loquitur in c. 55. Is. v. 8. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ meæ, via vestra; quia sicut exaltantur cœli à terra, exaltatæ sunt viæ meæ, à viis vestris, & cogitationes meæ à cog. vestris.* Hoc est, multum ab invicem distamus, toto cœlo: Vos enim odistis me, ego amo vos. Vos fugitis, ego voco: vos bellatis adversum me; ego nihil aliud, quàm beneficiis vos prosequor. S. Laur. Novariensis hom. de pœnit, *Manebat cum publicanis, manducabat cum peccatoribus, ut hac societate, quasi arte eos converteret ad salutem. Misericordiam suam omnibus præbebat,* ait S. Cyr. S. Basilius or. 12. *sollicita de peccatoribus fuit ejus comitas.* S. Thomas: *Familiariter cum hominibus conversando, conveniens fuit, ut omnibus fiduciam daret ad se accedendi. Et factum est* (Matt. 9. v. 10.) *discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis ejus.* Puto vos advertere ex hoc discursu duo præcipuè in hod. Eu. nobis proponi. primo; Bonitatem Christi &c. de hac fortassis agam post oct. deinde, Pharisæorum malitiam, quod &c. hanc multi hodie imitantur, contra hos agam hac concione.

Solem grande illud luminare cœli & mundi, pulcritudinem & splendorem firmamenti, delicias universi, fontem luminis, Ægyptii nobis ob oculos posuerunt in symbolo, sive imagine speciosissimi juvenis, formosa facie, amœnis oculis, serena fronte &c. non tamen cum duabus, sed centum manibus. ad exprimendos tam varios, tam diversos, tam multos & nobiles effectus, quos beneficus Sol operatur in cœlo, in igne, in aere, in aquis, in penetralibus terræ: hinc Poëtis notum est illud epithetum, quo Phœbus vocatur; *Centimanus.* Sole infinitis partibus formosior fuit Christus D. filius Dei, verbum D. lumen

§. 2. Sol est pulcerrimus, tamen à quibusdam observatur.

æternum,

æternum, imago patris, pater gratiarũ, & vivus fons omnis boni. Ad exprimendos admirabiles illius effectus,& beneficia liberalitatem & munificentiam,non sufficiunt 100.vel 1000.manus aureæ & tornabiles ex hyacintho, sed huic soli oportet addere pennas & alas, celeres, leves, veloces, quibus properat & advolat ut succurrat,ut ægros sanet: juxta illud Malach.c.4.v.2. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Expertus id fuit in hod. Eu. hydropicus; ut in conspectum ejus fuit positus cœlestis ille sol, illum irradiavit, & super eum sparsit radios suæ omnipotentiæ, bonitatis, & misericordiæ; *sanavit eum, ac dimisit.* plenum gaudio & consolatione; Hodie post octiduum, si Deo placet, de pulcerrimis proprietatibus hujus solis acturus sum fusius; hac concione admiror malitiam, odium, invidiam Pharisæorum, quod hunc solem observarint, quod conati sint invenire in pulcerrimo lumine maculas, in lucidissimo speculo nævos, ad reprehendendum. Ipsi *observabant eum*, addit glossa interl. *tanquam insidiosi observatores & cavillatores*, Hominesque malitiosissimi.

§.3. *Quanta, malitia Pharisæorum erga Christum.*

Cap. 7. versu 1. ait Oseas, *Revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium*; Rupertus hæc verba sic explicat. *Veraciter malitia dici potest, quæ cuncta malitiosarum machinamenta cogitationum parit; maxime verò tunc iniquitas, quæcunque sit, malitia meretur dici, quæ sic se exercet cum sapientia &c.* Tales fuerunt Pharisæi & scribæ apud Jud. Cajet. de pharis. *Machinabantur ad malum, ideo* revelata fuit eorum iniquitas & malitia, in usuris, in libid. &c. in gravissimis sceleribus; adimpleta verò fuit illorum malitia, venit ad summum, cum ex odio, ex invidia erga Christum operati sunt mendacium, cum mille illum affecere injuriis; hoc odium, ira, rabies, indignatio erga Christum suggessit illis malitiosarum machinamenta cogitationum, de obscuranda ejus fama &c. Et *hac* cum *sapientia* scientes, volentes &c. Hæc quoque hodie inter Christianos est summa malitia, sive, illi sunt pessimi Christiani, qui &c. repete p. dicta.

Tristis-

Tristissima Susanna; oppressa calumniis duorum senum, inter angustias cordis, ut cœlum ad compassionem commoveat, inter alia ait Dan.13.v.43. *Ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me.* latet emphasis in verbo composuerunt, quo exprimitur peculiaris malitia duorum senum, quod prius inter se convenerint, contulerint de modo accusandi Susannam, si libidini illorum resisteret; Carthus. *fuit enim mendacium callidissimè fabricatum: nam senes isti in hoc expertissimi erant:* quæ *iniquitas* eorum tantum Deo displicuit, ut suscitarit Danielem, qui innocentem Susan. non tantum liberavit à morte, sed causa fuit, ut nequissimi senes fuerint lapidati, v.62. *Interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in illa die*; Elegantius describere non possum nequissimos Pharisæos, prævalente odio, hoc quærunt, ut Christus moriatur, ad hunc finem convenerunt Principes, advocati fuerunt scribæ, instigatores præcipui fuerunt Pharisæi, summi pontifices instituere concilium; adhibita fuit opera famulorum, etiam Herodis. de quibus omnibus dici potest, *observabant illum* ad quem finem? ad componendum mendacium, ad opprimendum innocentem Jesum! aliqui observatores clamant, seducit populum. Mendacium artificiose compositum. Clamant famuli, prohibuit censum dari Cæsari; mendacium art. compositum à Pharisæis, qui in arte illa fuerunt peritissimi; neque præ odio, præ rabie, præ malitia, quieverunt, donec innocens Jesus fuit affixus cruci. §. 4. *Figura fuerunt senes oppressores Susannæ.*

Nescio an non & hodie inter Christianos, tales celebrentur conventus! ut componantur mendacia &c. Est aliqua vidua, quæ Deo servit. sed, O quot observatores; hic ait in aliquo convivio, quid audio &c. & est mendacium artificiose compositum; sunt aliqui expertissimi Magistri in arte observandi & mentiendi &c. sic de conjugato, de aliqua Susanna &c. de famulis principum &c. sic sæpe opprimuntur innocentes! Plut. l. *De curios. Curiosi mens simul in locupletum domiciliis est, in casis pauperum, in aulis regum, in novarum conclavibus nuptarum, omnia rimatur negotia hospitum, ac præsidum.* §. 5. *Digressio ad auditores.*

§.6. *Malitia dissimulata*

Hod. Pharisæus in hac summa fuit malitia, quod odium, & absconditam malitiam atque intentiones, cogitationum suarum machinamenta contra Christum, dissimulaverit; quod invitarit ad convivium, quod suavibus verbis salutavit, tractavit bene; sed insidiosus observator. Studio enim permisit jacere ad ostium, hydropicum, ut si illum die Sab. sanaret, haberet, quod reprehenderet, ipsi obs. eum, *an scilicet sabbathum solveret.* glossa. *An quicquam prohibitorum faceret in die Sabbathi.* Et non fuit solus hic Pharisæus; plerique oderunt Christum, & propterea ait S. Matth. c. 26. v. 59. *Quærebant falsum testimonium adversus Iesum, li quærebant* insinuat sollicitudinem, conspirationem, ad nocendum Christo, quocunque modo, aperte vel occulte: Tantæ malitiæ Pharisæorum sunt participes hod. insidiosi observatores; præsertim illi qui se simulant amicos, agunt familiariter, incipiunt ipsi, murmurant, queruntur, cavillant; Ut exprimant aliqua, quæ cavillare possint. S. Chrysost. h. 49. in acta. *Tales sunt venandi artes diabolo, qui prætextu pietatis laqueos tendit.* Drogo l. de sacr. pass. *Foris pietas: intus malitia: duplex iniquitas.*

§.7. *Symbolum hujus malitiæ est Pardus.*

Inter varias bestias, quarum S. Joannes in Apoc. facit mentionem, de una ait, c. 13. 2. *Bestia quam vidi, similis erat pardo.* ad literam agit de Antichristo, & prædicit fore similem huic animali. Pardus licet sit bestia ferocissima, sitiens sanguinis, crudelis, lacerans hominem, si deprehendat in 1000. partes, habet tamen exterius pulcerrimam pellem, ornatam formosis maculis, ut humani oculi cum lætitia aspiciant talem bestiam, formosa pelle tegit naturalem suam crudelitatem. Ita Antichristus, ait S. Cyr. Jeros. catech. 15. *Primumq. tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam & humanitatē simulabit; deinceps vero omnis generis inhumanitatis & iniquitatis, omnes circumscribet, ita ut omnes, qui ante illum improbi & impii fuerunt, excellat malitia.* Leo occisus à Samsone in ore habuit mel: reliquo corpore fuit putrida bestia: *Sic miseri Pharisæi,* Diez in dom. 16. conc. 1. (pardi, leones) *in ore mel habebant, hoc est dulcia verba, quibus dominum invitabant; at viscera eorum, & corda eorum,* invi-

invidia & malitia penitus corrupta. Ex his fac pulcram digreſſionem, an & hodie Bambergæ inveniantur tales pardi & leones.

Non deſunt aliæ beſtiæ, quarum proprietatibus Phariſæorum malitia, & aſſeclarum depingi potuit. Gen. 3. verſ. 14. dixit Deus ſerpenti, *Maledictus es inter cuncta animantia, & beſtias terræ.* hæc autem fuit maledictio: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes.* Eucherius. *Terram comedere, tertium genus tentationis figuratur, quod eſt curioſitas: qui enim terram manducat, profunda & tenebroſa penetrat.* Quod quia ſerpens facit, ſymbolum eſt, curioſi qui intima cordium in proximo, rimatur, obſervat, ſcrutatur omnia; Venenoſi ſerpentes, qui in occulto ſerpunt &c. Pharaoni pœna ranarum tam fuit moleſta, ut ſtatim Moyſi & Aaroni dixerit Exodi. 8. v. 8. *Orate Dominum, ut auferat ranas à me.* Rupertus in Exp. aſſignat cauſam. *Ranæ permoleſtæ fuerunt, aſcendentes & ingredientes domum Regis; & cubiculum lecti ejus, & ſuper ſtratum ejus, & in furnos ejus, & in reliquias ciborum ejus.* Philo hebr. l. de Abraham. *Vir improbus per fora, theatra, tribunalia, curias, omneſque cœtus, atq́; ſodalitates hominum curſitat; quippe curioſitati aſſuetus, linguam habens ſine ullo fine, modoq́; & judicio volubilem, commiſcens, confundens omnia, veris mendacia, dicendis celanda, privatis publica, ſacris profana, ſeriis ridicula, ignorans ſilentium rem eſſe pro tempore, ac loco pulcerrimam.* proinde arrectis auribus (aſininis) quo ſatisfaciat ſuæ curioſitati, bonos & malos rumores captat. §. 8. *Item ſerpens, Rana,*

Crudele facinus commiſit Longinus dum lancea latus Chriſti in cruce aperuit. In mortuum ſæviit. Ex curioſitate, S. Cyr. quia ſcilicet *an mortuus verè eſſet Ieſus; miles hic dubitavit. Hoc faciunt inſidioſi Obſervatores, ſuis linguis veluti lanceis aperiunt cor proximi, ut ſciant &c.* §. 9. *Tales obſervatores ſcrutantur corda.*

Job cap. 1. v. 7. quærit Deus ex Satana, *unde venis?* reſp. *circumivi terrã, & perambulavi eam,* Orig. *Circumivi terram, circuitionibus iniquitatis, & ſpeculans tranſitu ſubito, quid tractetur in animis.* Hoc ſcilicet eſt officiũ diaboli, ut ſemper vigil intendat homini quid agat, quid loquatur &c. aſſeclæ diaboli ſunt, *inſidioſi obſervatores*, qui ſimiles faciunt circuitiones. quærit ſubinde §. 10. *Sunt ſimiles Satanæ. Iob. 1.*

vicina unde venis? illa, fui in foro audivi, ibi mira narrant NN. (poterunt hic fieri p. inductiones) Gen.34.v.1. dicitur de Dina, *Egressa est, ut videret mulieres regionis illius*; quæ curiositas ipsi fuit perniciosissima. Perdidit thesaurum Virginitatis. S.Bern. de gr. hum. S.Greg.M. *Dina est, quæ postpositis propriis, aliena negotia curat.* Egreditur anima quando sua studia negligens, & actiones alienas curans, extra proprium ordinem vagatur. S. Paulus 1. Tim.1. tales mulieres vocat, *Verbosas & curiosas*, ut S. Th. explicat, *Investigantes aliorum facta, negligentes sua studentes semper aliquid audire*, ut habeant, quod reprehendant. Gilibertus h.1.in Cant. *Tales multi sunt, qui omnes perscrutantur professiones* (sunt artifices, NN.) *& pauca plerunque inveniunt, quæ placeant, sed multa, quæ ipsi detrahant, calumniantes, quod districtio in aliis sit nimia, in aliis minima &c.*

§.II. *Neque sanctis tales bestiæ parcunt.*


Crescit horum malitia, quod etiam viris sanctis & justis non parcant; imò hoc maximè observant; S.Zeno. *Invidi, si quid ab aliquo in hac vita bene gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis laudabile, in moribus admirandum, nihil prorsus videant, nihil retractant. Sicubi autem aut culpabiliter gestum aut incauto sermone prolatum, ut accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, ut res propaletur.* Quod SS.PP. declarant p. similibus. primum sumunt ex v.17. psal.21. *Circumdederunt me canes multi*, in sensu morali sermo est de loquacibus Pharisæis. Quia sicut canes dentibus mordent, & lacerant, sic illi detractionibus mordendo, ejus famam dilacerabant. Sed & aliam proprietatem habet canis; ingredimur hortum, in quo p. flores, p. arbores; sed non curat canis; sed inter flores, quærit an invenire possit, putridum frustum carnis, vel os, ut rodat; imprudentia bestialis canum est, ut flores suis sordibus commaculent; De se ipso ait Christus D. Ego flos campi; sponsa, vocat hortum conclusum; canes fuerunt Pharisæi: non curarunt Christi pulcritudinem, non odorem sanctitatis, non miracula &c. Intentio fuit, si possent, hunc florem maculare. (facile advertitis, quinam hodie sint tales canes.)

§. 12. *Duo similia.*

Alia duo similia ſumunt ex ſymbolo Ægyptiorum; qui ſacerdotem depinxerunt, in una manu ejus, ſolem eclipſatum, in altera horologium; pectori affixa eſt lamina, cum his verbis. *Non niſi cum deficit, ſpectatorem habet*; id eſt, ſol licet ſplendeat, & rutilet, vix eſt qui de hoc loquatur, pauci obſervant ejus pulcritudinem, effectus, beneficia: cum deficit, concurritur &c. pari ratione, Horologium, quamdiu bene dirigitur vix de illo eſt ſermo; cum turbatum eſt, qualia murmura? quales querelæ? quales calumniæ in directorem. Pari ratione juſti, boni &c. non niſi cum deficiunt, ſpectatores habent. (fiat p. applicatio.)

§. 13. *Christus tales toleravit, toleremus & nos.*

Qui tolerare coguntur inſidioſos obſervatores, ſolentur ſe exemplo Chriſti, ſol fuit, ſpeculum fuit ſine macula, Imago patris, &c. Nihilominus Phariſæi, maculas in illo quæſiverunt; imitentur præterea Chriſtum Dominum de quo p. P. Sylveria; Cum Chriſtus optimè hoc cognoſceret, quod Phariſæi obſervabant eum, tamen intravit in convivium, contemnens ea, quæ de ipſo dicebantur, & propter animarum lucrum, omnium murmurationes parvi faciebat. S. Cyr. in cat. aurea. Quamvis Dominus malitiam Phariſæorum cognoſceret, tamen eorum fiebat conviva, ut prodeſſet præſentibus per verba & miracula.



CONCIO XLV.

DOMINICA XIIX. POST SS. TRINIT.

Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.

Matt. 22. cap. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRofert multa, de amore Dei ex toto corde: quæ altera parte, applicantur dilectioni erga Christum Dominum.

§. 1. Omnes creaturæ clamant, ut amemus Deum.

QUoties legi, toties mihi placuit aurea quædam quæstio, aurei oris sive aurei S. Chrysost. in ps. 15. *Quo ergo amore prosequar illum, qui tanto amore prosecutus est me? Cur nō audiam creaturarum clamores? quæ sicut prædicant; ipse fecit nos, & non ipsi nos, ita etiam clamant,* (O homo) *dilige non nos propter nos; sed eum, qui propter te fecit nos.* Hæc v. g. clamat cœlum, cum omnibus cœlestibus sphæris cum sole, luna, stellis; O mortales! Deus nos fecit propter vos, itaque diligite illum. Idem v. g. clamat terra, cum omnibus creaturis quæ sunt super illam; clamant alia elementa & creaturæ universæ. Hugo de S. Victore

Victore. *Quocunq; se vertat homo, habet admonitionẽ amoris*. Multo adhuc magis ad hunc amorẽ nos excitare debent clamores, & verba Christi, in hod. Evang. *diliges &c.* non quovis amore: Sed qui procedat *ex toto corde.* Hoc amore David Deum suum dilexit cum dixit ps. 6. v. 15. *Holocausta medullata offeram tibi.* quasi vellet dicere ex mẽte S. Aug. *Mi Deus, mea opera & pracipue sacrificia, qua imponam altari tuo, tuo honori offerre cupio non in superficie tamen, sed & in medullis meis, id est in corde meo, quo te diligo*; sive ut S. Chrysost. legit; *ut sint viscerata cum corde & anima.* S. Paulus ad Rom. 3. v. 1. de tali sacrificio sic scribit. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Tale cor à nobis petit Deus; cor vivens, sive amorem viventem; nam sicut homo vivere non potest sine corde; ita nec amor noster erga Deum talis esse potest, qualis esse debet, sine corde. S. Aug. *Vita cordis, amor est: ergo impossibile est ut sine amore, sit cor, quod vivere cupit.* Refert Appianus l. 2. de Julio Cæsare; Ultimo die vitæ suæ, antequam iret ad Senatum, more suo venit ad templum, & altari imponi jussit pulcerrimũ Agniculum; Cum illum mactarunt ad inspicienda viscera, non repererunt in illo cor: attoniti, alterum agnum mactarunt; neq; in hoc cor fuit inventum; pessimum id fuit Omen; paulo post Julius Cæsar in Senatu misere fuit trucidatus. Obsecrat nos S. Paulus *per misericordiam Dei*, ut nos Deo offeramus in hostiam: væ nobis si simus sine corde, sine amore Dei; est hoc omẽ mortis æternæ. Econtra utilissimum nobis est, Deum diligere ex toto corde; hoc deducam, 1. parte conc. In altera illa, quæ in primo puncto audietis, applicabo amori erga Christũ Dominum.

S. Bernardus cum incidisset in verba Moysis ad populum. Deuteron. 10. vers. 13. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te* (scilicet pro innumeris beneficiis, quod, quod &c.) *nisi ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in praeceptis ejus ut bene sit tibi*; cum inquam, S. Petr. hæc verba expendisset, exclamavit; *O mortales! Vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium? sive illa qua vos decipiunt; quid adharetis creaturis?* Elevat deinde vocem & clamat altissime; §. 2. *Deus diligendus est.*

Deus

Deus diligendus est. subditque causam, *sive, quoniam nihil justius, sive quoniam nihil fructuosius diligi potest.* Picus de Mirandula, q. de homine; *scire debemus, Deum esse hominis centrum, hæreditatem, & quietem:* extra quod centrum, sive punctum (si tamen Deus infinitus & immensus punctum dici potest) inquietum est cor hominis, neque quietum esse potest donec quiescat in Deo; soli diligenti Deum, bene est, quod si quærimus, nihil fructuosius est, quam Deum amare.

§. 3. *Nihil potest diligi fructuosius.* Nihil fructuosius diligi potest, quàm Deus ps. 80. v. 10. obscuris verbis utitur David, *non erit in te Deus recens*, quæ tamen ad rem meam eleganter exponit S. Hier. *Cujus Deus venter est, Deus ei recens est, quotcunque vitia habemus tot recentes, habemus Deos: unusquisque quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est; avarus, aurum Deum habet &c* S. Aug. *sed fiunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*-- si *terram diligis*, terra es! è contrario ait idem S. Aug. *si Deum diligis O homo, quid dicam?* quibus verbis satis deprædicare potero tuam felicitatem? *Deus es!* quicunque enim secundum regulam veræ dilectionis (quam Christus D. in hod. Eu. præscribit) *vivit, non homo, vel angelus, sed Deus censendus est:* id est, felicissimus, beatissimus, Deo per amorem similis, proinde particeps hæreditatis & gloriæ æt. Aristot. l. de regim. Pr. & l. 9. Ethic. *Simul conjuncta naturaliter gaudent & participant de eisdem bonis. amicorum enim omnia sunt communia.* Quid ergo fructuosius diligi potest, quam Deus!

§. 4. *Diligenti lex d. est facilis.* *Militia est vita hominis super terram.* Job. 7. v. 1. alia lectio habet, *Labor est vita hominis &c.* experiētia docet; præsertim si addamus, voculam, Christiani; observanda sunt varia præcepta; homini dura & ardua. Diligendus est Deus; & omnia erunt levia. ps. 118. v. 97. ait David; *Dilexi legem tuam Domine.* Oleaster. *Nunquid non sexcentæ tredecim leges erant, quas servare tenebaris bone Rex? cur g. legem vocas 613. præcepta.* Respondet David, *quoniam dilexi legem tuam.* (dilexit David Deum, & omnia præcepta fuerunt levia, imo dulcia, ut dixerit eodem psal. vers. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et *legem tuam in medio cordis mei.* S. Aug. l. de natura & gratia, c. 70. *Via Domi-*

Domini duræ sunt timori, leves amori, ut amanti nihil sit difficile.

Quod ipsum testatur sponsa, quæ Cant. 4. v. 6. quidem ait: *Vadam ad montem myrrhæ* ut ibi quæram sponsum meum inter dolores, &c. Sed etiam in arbore myrrhæ, in cruce, *Dilectus meus mihi erit, q. fasciculus myrrhæ.* mirabilis modus loquendi, primũ de dilecto loquitur, veluti monte; mox de eodem, tanquam parvo fasciculo? Monet S. Bern. ponderandam esse voculam, *Mihi*: sensus enim est, legem Christianam sive observationem mandatorum; vivere caste, diligere inimicos, fugere omnia gravia peccata; ferre patienter tribulationes; hæc & similia sunt quasi mons, vel ingens onus, quod hominibus carnalibus sensualibus videtur grave & importabile; sponsæ v. illi, quæ dilexit, mihi, ut illa ait, tale onus est fasciculus. S. Bern. in persona sponsæ ser. 43. in Cant. *Mihi qua diligo, fasciculus est; monstrans dilectionis verbum omnium amaritudinum superare molestias, quia fortis est, ut mors, dilectio.* S. Aug. *Omnia gravia & sæva, dulcia, & levia & prope nihil facit amor.* Montem convertit in fasciculum; fel in mel, myrrham in lac; spinas in rosas; fletum in risum, lacrymas in jubilum cordis, facillima est observatio mand. amanti. Ab hac observatione mandatorum Dei, pendet salus nostra Joh. 14. *Si quis diligit me, sermonem meũ servabit, qui non diligit me, sermones meos non servat.* Quid g. fructuosius esse potest, quam Deum diligere; cui dilectioni connexa est observatio legis, utrique vita æterna.

§. 5. *Probatur ex canticis.*

Econtra ait S. Paul. ad Tim. 3. v. 1. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Si de malis pœnis, de bellis, de incendiis, de pestilentiis &c. hæc verba velimus intelligere vere videmur vivere novissimis temporib. S. Paulus verò clare loquitur de malis culpæ, sive gravibus peccatis; ait enim v. 2. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, ingrati, scelesti sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate.* Vos considerate, an Apostolici concionatores his temp. non uti possint tam acri invectiva, in homines se ipsos amantes &c. Denique S. Paulus ostendit fontem & radicem omnium horum malorum; *Erunt voluptatum* (sive creaturarum) ama-

§. 6. *Quænam sint tempora novissima ex S. Paulo.*

amatores magis, quam Dei. hinc omne malum. ad Rom. 1. v. 21. *Cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cog. suis.* S. Bonav. *quod licet Deum universaliter rationabiliter agnoscerent, tamen in particulari eũ contemnebant, praeponendo amorem creaturae, amori sui creatoris.* Ex eodem praeterea fonte profluunt omnia mala pœnae: punit nos justus Deus pestilentia, quia non diligimus Deum &c. (fiat p. inductio) Gaudeo è contra inter meos auditores esse multos humiles, timentes Deum, benignos, misericordes &c. quia magis diligunt Deum quam creaturas; Diligite g. Deum, nihil est justius, si ipsius personam consideremus: nihil fructuosius, si perpendamus favores, quos amando Deum promeremur.

§. 7. *Amor est omnis virtus.* Preciosissimum fructum divini amoris in homines S. Augustinus expressit his verbis, *amor est omnis virtus.* ego haec verba sic intelligo, qui amat Deum, est humilis &c. sive, ut loquar cum S. Paulo, 1. Cor. 13. v. 4. *Caritas patiens est &c. Tanta enim est vis d. amoris* (S. August.) *ut si desit frustra habeantur caetera*; sine Dei amore, nihil prodest humilitas &c. *quidquid sine caritate fit, pro nihilo reputatur. Si autem adsit, recte & meritorie habeantur omnia.* Midas Rex, optavit omnia, quae tangeret converti in aurum; quod quia factum est, periit fame. Soleo subinde paucis verbis insinuare tantũ doctas fabulas. Amor tamen Dei, ex toto corde &c. habet hanc vim, ut omnia nostra opera vertantur in aurum, ut sint meritoria vitae aeternae. ad Rom. 8. v. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia comparantur in bonum.* Omnia, glossa. *tanta virtutis est Dei dilectio & amor, quod quidquid cogitat; quidquid loquitur, quidquid facit, & operatur habet vitam aet.* ex amore &c. ideo sponsus dixit sponsae, Cant. 4. v. 9. *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui. id est, in uno minimo opere ex amore Dei procedente.* Minimum tale opus, v. g. fuit unicum suspirium Davidis; Miserere mei Deus. Vel illud filii prodigi, pater peccavi. Vel illud publicani: propitius esto mihi peccatori. sed quia processerunt ex caritate, & amore &c. momento Deo placuerunt. Ambr. l. 1. off. c. 10. *Affectus tuus, nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic aestimatur* (premẽdum arcte hoc verbum,

bum; v.g. cum oras, ama, sic Oratio æstimatur &c.) Est qui pauperi dat eleemosynam, si affectus, si intentio sit, ut simul proficiscatur ex corde, ex amore Dei; æstimatur &c.

Acute S. Augustinus observavit, modum sive verba quædam, quibus S. Scriptura loquitur de passione Christi. De patre cœlesti ait S. Paulus ad Rom. 8. v. 32. *Pro nobis omnibus tradidit filium suum.* De filio ad Eph. 5. v. 3. *Tradidit semetipsum pro nobis.* Et suo proditore, ait Christus D. Luc. 22. v. 49. Juda, *Osculo filium hominis tradis.* Quærit S. Aug. tr. 6. in ep. S. Joannis. *Quæ res hac discernit? Nisi quia hoc fecit pater, & filius in caritate: fecit autem Iudas in traditione. Videtis, quia non quid facit homo, considerandum est, sed quo animo & voluntate faciat. Cum sit una res; ex diversis si eam metiamur intentionibus, unum amandum, alterum damnandum; unum glorificandum, alterum detestandum inveniemus.* Eadem prorsus regula mensuranda sunt omnes nostræ actiones; multi orant; multi dant eleemosynam &c. eædem actiones in aliquibus placent Deo; in aliis non. Quæ res hæc discernit: nisi quia aliqui hæc faciunt ex caritate. p. alii ut videantur &c. applica reliqua paulo ante dicta. §. 8. *Affectus est anima dilectionis.*

Idem S. August. advertit, non solum S. Petrum confessum fuisse divinitatem Christi D. scil. cum Matth. 16. v. 17. dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* sed ipsos dæmonas huic veritati manifestum dedisse testimonium Luc. 4. v. 1. dæmonia enim, *exibant clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei.* Confessio autem S. Petri, sic Christo D. placuit, ut dixerit. Beatus es Simon Bar Jona: *& ego dico tibi &c.* altera dæmonum sic displicuit, ut S. Lucas dicat. *Increpans non sinebat ea loqui.* S. Aug. hom. 17. ex 50. *O Domine, quare & dæmones, sicut Petrus non sunt beati?* Resp. *quia dæmones hoc dixerunt ex timore, Petrus autem ex amore:-- affectus & amor hominis nomen imponit operi suo &c.* hinc pendet hominis beatitudo, sanctitas, & meritum; si operetur ex amore. §. 9. *Diversitas inter confessionem Petri & diabolorum*

Itaque Deus est diligendus ex toto corde &c. Quærit auctor operis imperf. in Matth. Quid est diligere Deum ex toto corde? Resp. id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quam ad Dei: nec delecteris in aliqua §. 10. *Quid sit diligere Deũ ex toto corde.*

ſpecie mundi amplius, quam in Deo: non in honoribus, non in auro &c. ſed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo; ut præ his omnibus Deum ames. Sic anima, quæ eſt ſponſa Chriſti Deum debet diligere. Quid eſt, in tota anima diligere Deum? Reſp. id eſt, certiſſimum animum habere in veritate, & firmum eſſe in fide. Quid eſt in tota mente diligere Deum? ℞. id eſt, ut omnes ſenſus tui qui pertinent ad te, Deo vacent, ſic Deum amare voluit S. Anſ. cum dixit: *Mi Deus pedes meos nolo, niſi ut te quærant; nolo manus meas, niſi ut tibi ſerviant, nolo genua niſi ut te adorent, nolo linguam niſi, ut te laudem. Nolo denique cor, niſi ut amantiſſime diligam.*

§. 11. *Ex pſ. 17. Davidis.* Idem fuit deſiderium & propoſitum Davidis in pſ. 17. quem his verbis orditur; *Diligam te Domine, fortitudo mea.* quaſi diceret ex mente Euthymii, *Cum multa & magna beneficia à te receperim & reſpondere illis nequeam, quod valeo id faciam, diligam te.* hoc peto à vobis audit, ut quivis ex toto corde dicat, diligam Deum. Creavit me, diligam &c. (fiat hoc modo p. affectus. v. g. Deus eſt infinit. bonum, diligam; eſt inf. pulcritudo &c. diligam &c.)

§. 12. *Dicta applicantur Chriſto D.* Sed ut veniam ad alteram partem meæ concionis; Auditores amantiſſimi, *Quid videtur vobis de Chriſto:* Mihi videtur ut quæramus, cum S. Chryſoſtomo, Quo amore proſequemur eum, qui tanto amore nos fuit proſecutus? Cur non audimus, non clamores creaturarum in terris, ſed illarum quæ in cœlis ſunt, Angelorum, Arch. &c. Cherub. Seraph. clamantium, O mortales! diligite Salvatorem veſtrum; quocunque ſe vertat homo, admonitionem habet amoris erga Salvatorem. Vitæ ſacroſanctæ myſteria, incarnatio, Nat. Circumciſio, adoleſcentia, vita ejus laborioſa, Paſſio, Mors, Reſurr. Aſcenſio, infinita ejus gloria, pulcritudo, ſuavitas &c. quid inquam hæc omnia, clamant niſi ut Chriſtum diligamus? illum, qui pro noſtra ſalute venit in hunc mundum, illum! qui pro nobis natus eſt, pro nobis paſſus eſt &c. ut illum diligamus ex toto corde &c. *Quid vobis videtur de Chriſto*; mihi videtur, æquum eſſe ut dicamus, holocauſta medullata illi offeremus, id eſt, omnia opera, omnia verba omnes cogitationes, illi offeremus non tamen in ſuperficie, ſed in me-

in medullis nostris, sed ex corde toto, quo diligimus illum. Preces, suspiria, quæ illi offerimus erunt viscerata cum corde & anima. Obsecro vos audit. per misericordiam Jesu, per ejus bonitatem, per ejus erga nos amorem &c. ut exhibeatis &c. Qui est sine corde, qui vivit sine amore Jesu, habeat hoc pro pessimo omine æt. mortis. Qui non diligit Christum Jesum, anathema sit.

Quid vobis videtur de Christo? mihi videtur, æquum esse ut vos alloquar verbis Moysis, & nunc audite, quid Christus petat à vobis (pro omnibus quæ fecit nobis) nisi ut diligatis illum, & sic sit vobis bene. Mihi videtur, quod dicere possim cum S. Bern. ***Diligendus est Iesus; quoniam sive dignius, sive fructuosius diligi nihil potest***; scire debemus, Jesum Christum, esse nostrum centrum, hæreditatem, quietem, imo vitam æternam. Amore Jesu abjicere debemus omnes Deos recentes ut illi soli adhæreamus. preme, si Jesum diligis, quid dicam &c. §. 13. *Prosecutio.*

Quid videtur &c. cum vita nostra sit laboriosa &c. judico diligendum esse Jesum & ejus SS. legem. Si ita diligamus, mandatorū observatio erit facillima. Cum Christo ascendere debemus montem myrrhæ. &c. ut tamen fasciculus sit, diligendus est Jesus. *Quid videtur de Christo?* mihi videtur, quod ejus amor sit omnis virtus &c. est locus pro p. induct. Amor idem est plane meritorius. § 14. *Prosecutio.*

Quid videtur vobis de Christo? mihi videtur, æquum esse, ut illius, qui tam immenso amore nos prosecutus est nunquam obliviscamur. Cum Judithæ, post obtentam populo victoriam Bethuliæ cives, ex spoliis ditissimi exercitus obtulissent, scutum, hastam & gladium occisi Holofernis, attulit illa Heroina in templum, suspenditq; illa ex columna, non tamen ex gratitudine, sed ut scriptura ait Judith. 16. 23. *in anathema oblivionis.* id est, Voluit ut si aliquando etiam posteri obliviscerentur tanti beneficii, illa oblivio secum traheret omnem maledictionem. §. 15. *Prosecutio.*



CONCIO XLVI.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINIT.

Confide fili.

Matt. 9. cap. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquot utilissima documenta ex hodierno Evangelio:

§. 1. *Benignitas Iesu erga paralyticum, & nos.*

§. 2. *Bonus Iesus paralytico fuit bonus amicus: & talis nobis est dum nos instruit.*

§. 3. 1. *Quomodo nos gerere debeamus, in infirmitate, præsertim initio morbi.*

§. 4. *Multi ægri sunt stulti, ut Ieroboam.*

§. 5. 2 *Docet nos Christus D. quid post morbum iterum sani agere debeamus.*

§. 6. *Invectiva in illos, qui recuperata sanitate, Deum iterum offendunt.*

§. 7. *Et in illos, qui non servant bona proposita.*

§. 8. 3. *Placet Christo D. si simus viri misericordes, proponũtur aliqui actus veræ dilectionis erga proximum.*

§. 9. *Alii actus hujus virtutis.*

§. 10. *Invectiva in viros immisericordes.*

§. 11. *Beati sunt misericordes: puniuntur immisericordes.*

§. 12. 4. *Simus misericordes præsertim erga ægros.*

§. 1. Benignitas Iesu erga paralyticum & nos.

O *Miram iterum* Christi D. *humiliatem*! exclamat S. Hieronymus super hod. Evang. Addam ego; O iterum miram dilectionem! O bonitatem! O amabilitatem nostri Salvatoris! nam *despectum ac debilem* paralyticum,

cum, *quem sacerdotes non dignabantur attingere, filium vocat.* duplicem conjecturam apud SS. PP. reperio; prima est, *quod fuerit prædestinatus*, nam alias Christus Domin. illum filium non vocasset. Secunda est, *quod fuerit valde afflictus, & miserrimus, proinde, tantam hominis miseriam, tam blando atq; ineffabili nomine filii, Dominus voluit lenire & consolari.* Atque, ut illum disponeret ad recipiendam salutem corporis & animi, altero verbo, *Confide*, ad perfectam & consummatam fidem; ad perfectam & consummatam fiduciam, aliasque virtutes ad justificationem necessarias, eum excitare voluit, *quia iste homo adhuc erat in peccato.* quod peius est omni paralysi. Sed quomodo vocari potuit filius, si fuit in statu peccati; cùm P. Celada dicat; *Non sunt filii Dei, qui in sordibus peccatorum suorum volutantur, & urgent viscera Patris:* qualis filius fuit filius prodigus, affligens cor amantissimi Patris. quæstioni satisfit, si dicemus, miserum paralyticum antequam peccata illi remitterent, fuisse filium Dei, titulo creationis; de quo ait Deut. 32. v. 18. *Deum qui te genuit reliquisti.* postquam verò credidit, speravit in Christum, postquam ob eximiam caritatem, humilitatem Christus D. illi peccata remisit, factus etiam fuit filius adoptivus, per spiritum sanctum per gratiam quæ est in Christo Jesu, ut & nos simus filii Dei advertere oportet 4. p. documenta, quæ Christus D. in h. Eu. proponit &c.

Paralyticus in hod. Eu. experientia didicit, bene & vere dixisse Ecclesiasticum c. 6. v. 14. *Amicus fidelis, protectio* fortis *Qui autem invenit illum, invenit thesaurum; amico fideli, nulla est comparatio; & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius; amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Talem thesaurum, talem amicum, talem medicum, miram bonitatem fidelis amici, & auxilium invenit in Christo D. miser paralyticus, cum oculis Christi D. in suo grabato fuit propositus; vitam invenit, dum paralysi corporis fuit sanatus; immortalitatem, dum & anima è statu peccati liberata fuit. Age paralytice, fatere veritatem, & dic, cum S. Chrysost. hom. 2. in ep. ad Thessal. *Revera vitæ pharmacum est, fidus amicus:*

§. 2. *Bonus Iesus, paralytico fuit bonus amicus, & talis nobis est, dum nos instruit.*

amicus, multo magis Christus D. *Revera, protectio fortis est talis amicus*, multo magis optimus Jesus. *Quantam utilitatem! quantã securitatem generat! si mille thesauros dixeris; nihil tamen germano correspondebunt amico*, multo minus Christo D. sed bene monet Rabanus, *si est verus amicus, agit etiam de his, quæ ad Deum ac salutem animæ pertinent*. Hoc idem fecit Christus D. amicorum optimus; non corpore tantum sanavit paralyticum. Sed eidem animæ salutem procuravit; de illa fuit maximè sollicitus in variis punctis.

§.3. *1. Quomodo nos gerere debeamus in infirmitate & præcipue initio.*

Primum advertit S. Ans. super verba Christi D. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, dum ait: *Primum peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet, eum propter culpas dissolutionem membrorum meruisse*. Et S. Hier. hic. *Datur nobis intelligentia, propter peccata pleraq; evenire corporum debilitates.* Et idcirco forsitan dimittuntur prius peccata, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Idem confirmat Theophylactus: *Hoc fecit Iesus, declarans, quod paralysis ex præteritis peccatis esset*, & S. Basilius, q.34. *Morbi sæpe numero veluti flagella peccatorum sunt; quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus.* S. Ambrosius l. de Josue c.10. ait, Jesum, antequam Lazarum excitaret à mortuis, Joan.11.v.41. fuisse lacrymatum, & flevisse, ut prius lacrymis suis mortui delicta lavaret. ut ægri & infirmi discant, statim initio morbi inquirere, an in se inveniant aliquod peccatũ, propter quod &c. fac p. repetitionem arg. an sit flagellum, ut deponatur odium &c. si hoc agnoscant, statim sint solliciti &c. ut bene confiteantur peccata sua, ut illa defleant lacrymis cordis: ut tollant causas morbi. Si æger aliquis ut plerumq; fit de pœnitentia non cogitet, & plus desideret salutem corporis, quam animæ, ut S. Hier. loquitur; tali dici potest cum Jeremia c.46.v.11. *Frustra medicamina multiplicas. sanitas non erit tibi.* scilicet antequam convertaris ad Dominum Deum tuum.

§.4. *Multi ægri, sunt stulti, ut Ieroboam.*

Lib.3. Reg.c.13. scelestus Jeroboam offerebat incensum idolis; adest propheta, omnibus sacerdotibus comminatus mortem & combustionem, tanto Zelo ut iratus Rex contra illum extenderit manum suam, quæ momento exaruit. Tum humi-

humiliatus ait, ad Proph. v. 6. *Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi.* ubi p. Theodoretus. *Cum esset valde stultus supplex rogavit Prophetam, ut sibi peteret, non sceleris remissionem, sed manus curationem.* Tales stulti sunt hodie plurimi in suis infirmitatibus quam primum sentiunt se infirmari, cogitant de medico; stultè, prima cogitatio deberet esse de confessario. prima cura est, quærere omnis generis medicinas; stulte, prima cura esse deberet de medicina animæ, de confessione. Sedulo statim inquiritur unde causa naturalis morbi; an à malis humoribus &c. stulte, prima inquisitio fieri debet, an forte sit causa supernaturalis, an in nobis sint aliqua peccata, quæ Deus hoc modo vult punire. Nolo reprehendere illos, qui initio morborum confugiunt ad preces, ad vota &c. Neque ab his erit sanitas, nisi ante omnia tollantur peccata. Hoc est necessarium, & hoc est punctum pertinens ad salutem animæ cujus fidus noster amicus Christus Jesus nos monet in hod. Evang. ex Ecclesiastico c. 38. v. 8. *Fili in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Deum. Averte te à delicto, & ab omni delicto munda cor tuum--tum--dirige manus & ipse curabit te.* Si non fiat, ob alias causas scio, utile tibi fore, si infirmeris. Concernit hæc fida monitio fidissimi amici, illos, qui à morbo periculoso subito obruuntur; in quibus facillime tollitur usus rationis &c. si tales non statim initio morbi confiteantur, si differant, si putent se propterea morituros &c. plerumque discedunt ex hac vita, in æternitatem, sine perceptione sacramentorum; reprehendendi hic sunt illi, qui ægros nolunt monere de instanti periculo: imo indignantur, si alii NN. etiamsi subinde ipse æger petat &c. tamen ipsi differunt &c.

Secundo Christus D. ut ostenderet se fidissimum amicum ut non sanationem corporis tantum largiretur, sed ut etiam de his, quæ ad salutem animæ pertinent, ageret, ostenderetque se de illa sollicitum, ait paralytico, v. 6. *surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* S. Chrys. hom. 30. hanc dat causam, *Ne miraculum videretur phantasticum.* S. Paschasius. *Ut vera sanitas, ac robur corporis, omnibus constaret, & non phantastica ac apparens vi-*

§. 5. *Docet nos 2 Christus D. quid post morbum iterum sani agere debeamus,*

deretur. Ex mente plurium SS. PP. Christus D. paralyticum voluisse monere, ut recuperata sanitate, deinceps bene viveret; prout etiam sanato cæco dixit, *Ecce sanus factus es, Vade & deinceps noli peccare*. De socru S. Petri, postquam Christus D. curasset illam à febri, ait S. Lucas c. 4. v. 39. *Surgens ministrabat illis*. S. Hieronymus. *Illa ministrabat, quæ sanata fuerat, ut videlicet Dei dona in ipsius obsequium refunderet*. Et per *hoc erudivit nos* (Victor. Antioch.) *ne sanitatis beneficium frustra, aut præpostere à Deo expetamus, verum eo præcipue animo ut sanitatem jam adepti, præceptis illius accuratius parere valeamus*. Plinius ep. ad Max. sic nos monet; *Tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi*. 4. Reg. 20. v. 1. Ezechias *ægrotavit usque ad mortem*. ob seriam pœnitentiam & ardentes preces, curat Deus illi dici per Is. c. 38. v. 5. *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanavi te*. *Sed die tertia ascendes in templum Domini*. ut agas Deo gratias, ut deinceps sancte vivas.

Joan. 5. 14.

§. 6. *Invectiva in illos, qui recuperata sanitate Deum iterum offendunt*.

Pauci hodie cum tali gratitudine recipiunt sanitatem; potius de multis dici potest illud S. Aug. in ps. 97. *Salvantur sibi, sed non Deo. Ecce enim quam multi cupiunt sanitatem corporalem, & à Deo accipiunt, & ab ipso sanantur: & tamen non illi sanantur, quia lasciviunt; qui ægroti casti erant, sanati, adulteri fiunt: qui cum ægrotarent, neminem lædebant, receptis viribus invadunt & opprimunt innocentes*. de his ait David ps. 77. v. 34. *Et dilexerunt eum in ore suo* (in infirmitate) *& lingua sua mentiti sunt ei; nec fideles habiti sunt in testamento ejus*. S. Hier. legit; *Nec permanserunt in pacto suo*: multa ægri promittunt Deo, quæ sani non servant.

§. 7. *Et in illos, qui non servant bona proposita*.

Isaias propheta illos depingit p. simili, quot ut intelligatur, meminisse oportet verborum Christi Joh. 16. v. 21. *Mulier cum parit, tristitiam habet: cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium*. Is. sic ait c. 26. v. 18. *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens, clamat: in doloribus suis* (hoc facimus ægri) *& sic facti sumus à facie tua Domine: concepimus, & q. parturivimus, & peperimus spiritum*: quam sancta proposita. &c. sed paulo post, non meminimus pressuræ &c. ps. 77. 34. de iisdem dixit David, *cum occideret eos* (scilicet Deus) *quærebant eum*.

eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum &c. sed &c. similes Pharaoni, de quo Lyranus ait in cap. 7. Exodi. *Sicut Pharao ingravavit cor suum, sic faciunt multi, qui cum in afflictione positi sunt multa Deo promittunt; sed extra periculum positi retractant.* Aliud in hod. Eu. nos monet, fidissimus noster amicus Christus Dominus.

3. Ait textus Eu. v. 2. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, confide.* insigni miraculo commendavit caritatem istorum hominum, qui ægrum portarunt in tectum domus, illudque denudantes, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat. hæc caritas summopere placuit Christo D. si salutem animæ quærimus, & nos viri debemus esse misericordes, benigni, præsertim erga ægros, & afflictos. Die Jovis in f. BB. Ap. Sim. & Judæ multis in communi egi, de necessitate & utilitate mutuę dilectionis; nunc fuit tempus agendi de quibusdã actibus talis caritatis in particulari; hod. Eu. vel caritas illorum virorum nos monet, ut compatiamur ægris, vel constitutis in aliqua afflictione. De Joseph captivo refert scriptura, quod cum in eundem carcerem conjecti fuerunt pincerna & pistor Pharaonis ipse q. ministrarit illis; ad quos cum introisset mane Joseph. Arias Mont. legit, *Venit ad eos diluculo. Tantæ enim commiserationis erat Ioseph circa incarceratos, ut singulis horis visitaret, sciendi gratia, an illis aliquid deesset, & si aliquo indigerent.* David de se ipso ait ps. 51. v. 10. *Ego autem sicut olea fructifera in domo Dei.* (Corn. à L.) *semper pronus ero ad pietatem, & misericordiam.* quæ teste S. Th. *nil aliud est, quam alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire compellimur.* Cum Christus Dom. in cruce mortuus nil amplius nobis dare posset, quod non dedisset, saltem ex corde cum guttis aquæ dedit residuum sanguinem in precium. Vir misericors, cum ipso opere juvare non potest, saltem habet cor plenum compassione &c.

§. 8. *Placet Christo D. fidissimus viri misericordes. Proponentur aliqui actus veræ dilectionis erga proximum.*

De B. V. p. dixit Rich. de S. Laur. de laud. Virg. *Tanta liberalitatis, & misericordiæ est Maria, quod à nulla creatura, quantumvis fæ-*

§. 9. *Alii actus hujus virtutis.*

vis fœtente & sordida, radios avertit pietatis suæ. Exemplo filii qui in h. Eu. nec à paralytico avertit oculos &c. S. Hilarius in S. Matth. *Nunquam homines propius ad similitudinem Dei accedunt quam cum benefici sunt amatores, sic enim imitantur Deum.* Pinna. *Deo proximè accedit ille qui Deum amat, & proximo benefacit, cui proprium est misereri semper.* Clemens Alexandr. l. 3. pædag. c. 6. *Violenti, qui rapiunt regnum cœlorum sunt benefici in proximos, & afflictis veram quietem largientes.* & S. Chrysost. in ps. 1. *Viscera misericordiæ qui non amiserit, qui egenum sine tecto in domum suam induxerit, nudum vestierit, & esurienti panem dederit, sitienti potum, prodibit q. lux justitia ejus.* Puto vos advertere, quinam sint actus Christianæ caritatis. Inquirere, velle scire, ubi habitant pauperculæ viduæ; visitare ægros, sciendi causa, an aliquid illis desit; vel mittere famulos, qui illud faciant, quærere ex confess. hi sunt actus perfectæ caritatis. Christus D. accessit ad lectulum paralytici. Semper pronum esse ad misericordiam, habere semper cor, oculos, linguã, manus plenas oleo benignitatis; si opere succurere non possis, dare saltem sanguine cordis; compati; alloqui saltem tales suaviter &c. hi sunt actus caritatis; cum B. V. à nullo, nullo, quamvis mendicabulo avertere radios pietatis, & suaves oculos; esse amatorem proximi, beneficum; vestire nudos &c. hi sunt actus veræ caritatis.

§. 10. *Invectiva in viros immisericordes.*

Sed quam timeo ne de multis dici possit, quod Amos ait de fratribus Josephi, cap. 6. v. 6. *Et nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* cum gemeret, cum fleret, cum esset in angustiis, quod vellent eum occidere. Videor mihi videre; (fiat p. descriptio) nihil compatiuntur &c. Prov. 12. v. 10. *Viscera impiorum crudelia.* ad Rom. 1. v. 31. *pleni erant invidia, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia.* Theophylactus, *Imitantur immisericordes inhumanosq; diabolos, qui compassionis expertes sunt atque inimice erga nos affecti.* quibus proinde etiam dicetur Matt. 25. v. 41. *Discedite à me maledicti in æt. &c.*

§. 11. *Beati sunt misericor-*

Benedicti v. & beati viri misericordes. S. Greg. Nyss. *Beneficentia est omnium virtutum laudatarum, præstantissima felicitatis comes.*

comes. est hoc mirabile; Non leguntur alia Loth benefacta, quam hospitalitas; hæc illi hostia fuit, hoc sacrificio, sulphur & ignem evasit Sodomorum; tota servata est familia unius meritis. De divite ep. Luc. 16. v. 22. non referuntur alia scelera, quam quod fuerit immisericors erga Lazarum, & mortuus, sepultus in inf. De Jericho ait Josua. c. 6. v. 17. *Sit civitas hac anathema, & omnia qua in ea sunt Domino.* Sola Rahab *meretrix vivat.* Quid egit? exploratoribus misericordiam exhibuit, è contra Jac. *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam,* Pereat. timeo ne locum habeat querela Ezech. c. 2. v. 9. *lamentationis carmen, Væ! tantum abundavit iniquitas & refriguit caritas! Virum fidelem & misericordem quis inveniet?* proinde multi, ps. 108. 26. pro eo quod non sunt recordati facere misericordiam, & persecuti sunt inopem & mend. & compunctum corde (mœstum) mortificere, induunt maledict. sicut vestimentum &c.

des: Puniuntur immisericordes.

Sed alibi de his ago. In 4. Puncto hujus Conc. tanquam fidus amicus, moneo meos Auditores ut exemplo Christi sint misericordes erga infirmos præcipue. S. Gregor. Nyss. *Cum omnes pauperes, fovendi, adjuvandique sint, tamen illi qui ægrotant præcipuè sunt complectendi.* Ecclesiastici cap. 7. vers. 39. *Non te pigeat visitare ægrotum. Ex his enim in dilectione firmaberis.* Tigurina *nam gratiam ex illo colliges.* Pie S. Bonaventur. in stim. d. amoris: *Cur O anima, tota die anxiaris post Christum? indicabo tibi quem diligit anima tua. Certe in infirmaria jacet* (in hospite) *& ibi angustiatur, ibi torquetur* (ibi nudus est &c. p.) *curre g. & illi ministra, & compatere infirmitati.* Hic quivis cum S. Paulo dicere deberet ex epist. 2. ad Cor. cap. 11. vers. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? & ego non uror* igne scilicet compassionis. S. Bernardus. *O pietas Apostoli, à regno cælorum descendit ad cubiculum infirmorum.* Actor. 21. v. 13. ait; *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* S. Chrysostomus. *Quid dices Paule? dic quæso adamantinum tuum animum lacryma emollire potuit? Etiam.* Respondet *nam omnibus resisto, una dempta dilectione & compassione* 1. ad Thessal. cap. 2. versu 7. dixit, *factus sum in medio vestri sicut nutrix sedens,*

§. 12. Simus 4. præcipuè misericordes erga ægros.

& nutriens filios suos. O si Bamb. haberet tales nutrices, beneficentia &c. Comes felicitatis! hoc modo fac p. Epilogum cum brevi repetitione concionis &c.



CONCIO XLVII.

DOMINICA XX. POST SS. TRINIT.

Ligatis manibus & pedibus, projicite in tenebras exteriores.

Matt. 22. cap. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Conatur Auditoribus incutere timorem Inferni.

§. 1. *Concionatores frequenter debent agere de pœnis inferni.*

§. 2. *Damnati præcipitabuntur in barathrum, veluti lapides molares in mare.*

§. 3. *Pium colloquium aliquorum Anachoretarum.*

§. 4. *Unde tantus terror in Isaac, cum intellexit se deceptum, dando benedictionem Iacobo.*

§. 5. *Heu! Domine Deus, quid erit in inferno.*

§. 6. *Non mirabimur hominem æternum ardere in inferno, qui considerat filium Dei propter peccata aliena debuisse mori in cruce.*

§. 7. *Memoria inferni convertit peccatores.*

§. 8. *Deus punit ignibus in hoc mundo, ut timeamus ignes inferni.*

§. 9. *Ex inferno nulla Redemptio.*

§. 10. *Prosopopœia animæ damnatæ.*

Ho-

HOdierna dominica, super lectum Eu. in quo Christus D. tam claris verbis describit pœnas & æternitatem inferni, in plerisque meis concionibus de illis ago. Confirmat me in proposito meo S. Joannes Chrysost. hom.31. in ep. ad Rom. *Vtinam in prandiis & cænis, imo & ubique de gehenna disputaretur, nec enim mærore affecti essemus in vita hujus malis, neque in bonis illius deliciati & lætati.* Quid enim mihi potes objicere incommodi, paupertatem, morbos, captivitatem corporis cæcitatem? Omnia hæc comparatione futuri judicii ridicula sunt! *Continuos itaque sermones de gehenna versemus, non enim sinet in gehennam incidere, gehennæ recordatio.* S. Thomas dixit *consideratio pœnæ æternæ, materia est, sive occasio, patientiæ in adversis*, addere possumus, non patientiæ tantum, sed omnium virtutum, & vitæ sanctæ. Pari ratione eadem consideratio concionatoribus est materia & occasio ferventissimarum concionum; ut auditores, æternarum deinde memores pœnarum, & dolorum sine fine manentium, timore Dei defixi, declinent à malo, & faciant bonum. Iterum S. Chrysost. h.32. in cit. ep. *Non sinet in gehennam incidere, gehennæ meminisse. Ne fugiamus sermonem de gehenna: ut gehennam fugiamus; ne fugiamus pœnæ mentionem; si dives ille, illum ignem cogitasset, non peccasset: quoniam autem ejus nunquam meminit, idcirco in eum incidit.* Arbitror hoc & hodie esse verissimum: multi non arderent actu in inferno, si dum vixerunt in hoc mundo, inferni fuissent memores. Plurimi qui sunt in lata via ad perditionem, statim hoc mom. agerent pœnitentiam, si pœnas inf. haberent ante oculos positas. Ea mihi mens est in præsenti concione, ut auditoribus meis incutiam horrorem inferni, si converti, & ab inferno liberari velint.

§.1. *Concionatores frequenter agant de inferno.*

Apoc.18.v.21. ait S.Joannes, *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens; hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur.* S. Thomas hic; *In mare, id est, in infernum profundissimum, & pœnis amarissimum.* In visione hac S. Joannis, ille Angelus sustinuit personam tremendi judicis, hic est ille fortis, ille omnipotens, ille ira-

§.2. *Damnati præcipitabuntur in inf. veluti lapides molares in mare.*

ille iratus Rex, qui post latam sententiam in valle Josaphat, discedite maledicti, omnes reprobos, veluti lapides, in profundam abyssum inferni præcipitabit, ut ibi æt. ardeant. Rupertus hic advertit causam hujus modi loquendi, quo utitur spiritus sanctus. *Veraciter universa civitas diaboli cum magno impetu in profundum mittetur, etenim sicut lapis magnus in mare missus, non supernatat, neque resilit ulterius, sic illa* (sic damnati) *præcipitata, de inferno non emerget amplius, sed æt. bibent de vino iræ Dei* (apoc. 14. v. 9.) *quod mixtum est mero in calice iræ ipsius; ut crucientur ibi igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum non habentes requiem die ac nocte.* Jer. 17. v. 4. *Ignem succendit in furore suo, usque in æternum ardebit,* in eo tot milliones damnatorum. *Vere equidem nescio,* cum celeberrimo Conc. Diez; *quomodo hæc* (in particula hęc fiat p. præcedentium repetitio, Mitti in ignem instar lapidis, torqueri &c.) *audientes non contremiscimus, & stupefacti atque attoniti remanemus.* Utinam quivis Christianus diceret cum S. Euphemia, ad tempus q. est, *O tyranne, ignis quem mihi nunc minaris, ideoque nequaquam eum extimesco, sed potius illum sane terribilem tota mente formido, qui omnibus impiis à Christo est constitutus in æternum.*

§. 1. *Pium colloquiū aliquorum Anachoretarum.*

Refert Rosvveidus in vitis SS. PP. convenisse aliquando 12. Anachoretas, ad miscendos pios sermones de rebus ad salutem animæ pertinentibus. Convenerunt inter se ut quivis narraret, quod objectum sæpius animo revolveret, cum magno fructu, & cum magna devotione: postquam varii, varia, pia, sancta proposuissent, alii de morte, & jud. alii de misericordia Dei, alii de passione Christi, alii præsertim de gaudiis cœli; ultimus dixit; *Ego non judico me dignum, ut tam sublimia animo meo volvam; hoc ego frequenter ago, vivus descendo in infernum! videre mihi videor, ardentes animas, & cogito, istis fortassis post modicum annumeraberis!* his dictis toto corpore tremens, cum gemitibus & lacrymis, cum suspiriis, tunsionibusque pectoris, se abjecit ad pedes crucifixi, alta voce inclamans, *Domine ne in furore tuo arguas me* (ps. 37. 2.) *neque in ira tua corripias me.* S. Aug. id est, *non sim*

ſim inter illos, quibus dicturus es; Ite in ignem æternum! Præter alia dixit, *Certus ſum me eſſe meritum infernum! & ſæpius! an peccata, quibus illum promerui mihi remiſſa ſint, neſcio: & quomodo potero eſſe lætus? ſpero q. quia amo Ieſum meum &c. ſed ſine timore vivere non poſſum.* Utinam cum piiſſimo hoc Anachoreta talia dicant mei auditores. Cogitationes ſanctæ de inferno, non permittent nos incidere in infernum.

Gen. 7. v. 33. cum audiſſet Iſaac, ſe fraude deceptum, Jacobo dediſſe benedictionem. *Expavit ſtupore vehementi. & ultra quàm credi poteſt admirans* ſeptuaginta legunt. *Expavit Iſaac pavore magno valde.* Pagninus. *Expavit pavore magno vehementiſſimè.* Arias Mont. Cajet. *Et tremuit Iſaac tremore magno valde.* Oleaſter. *Commotus eſt commotione magna vehementiſſime.* Unde tantus metus? unde pavor? indignari potius potuiſſet Jacobo, quod fraude abſtuliſſet benedictionem; contra Rebeccam potuiſſet conqueri; vel condolere Eſau &c. Tanti pavoris cauſam invenit Lyranus ex mente Rabbinorum, & eſt hæc. *Iſaac auditis prædictis voluit retractare benedictionem Iacob; ſed tunc ex voluntate Dei, vidit apertam gehennam, ſi retractaret.* Viſo illo igne expavit, tremuit! Videmus, audimus quam aliqui graviter, & tamen ſine timore offendant Deum; O voluptuoſe! dum de fornicatione vel adulterio cogitas, utinam coram te ſeſe aperiret infernus! O iracundi &c. Utinam; (hoc modo perge patheticè.) Sed veniet tamen hora, qua hoc fiet, cum veluti lapides in igneum mare præcipitabimini, tum expaveſcetis, tum ſtabitis tremebundi, tum ululabitis, tum ſtridebitis dentibus tum igneas fundetis lacrymas; ſed nimis ſero! Vivi deſcendite in infernum! vivi & cito procumbite ad pedes Chriſti &c.

§. 4. *Vnde tantus terror in Iſaac, cum intellexit ſe Iacobo dediſſe benedictionem.*

Inter pœnas, quibus punitus fuit impius Pharao hanc quoq; ponit c. 10. v. 22. Ex. *factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Aegypti.* Hug. Card. hic. *Horribiles! quia Aegyptiis exiſtentib. in tenebris, apparebant eis quædam horrendæ imagines valde eos deterrentes.* tum ſubdit, *Heu Domine Deus quid erit in inferno? terrent nos in hoc mundo feroces beſtiæ, urſi, lupi, leones, ſerpentes! heu Domine Deus, quid erit in inferno? quomodo terrebunt impios*

§. 5. *Heu Domine Deus, quid erit in inferno.*

leones ignei &c. qui vivi descendunt in inf. vident atrociora. Eheu! damnati jam illa patiuntur, & patientur in æt. Terrent nos in hoc mundo dira pœnarum instrumenta, gladii, rotæ, equulei, catastæ, candentes forcipes. Heu Domine Deus, quid erit in inferno; ubi catenæ ignea &c. Terrent nos in hoc mundo, horrendum vel unius domus incendium? qualem terrorem putatis fuisse nuper in urbe Londinensi, quando 4. dierum spatio, aliquot millia ædium conflagrarunt. Heu Domine Deus quid erit in inferno! cum B. Petrus Dam. ser. 60. de S. Nicolao talia consideravit, exclamavit; *Totus tremo! atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis, qui non consumitur; illic, est vermis qui non moritur, illic frigus horrendum, fœtor intolerabilis &c. hoc illic est miserabile & horribile!* ut S. Bern. l. 5. de consider. quærit; *Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit? vellent, & volent in æt. liberari ab igne, sed hoc non erit in æternum.* (hoc modo potest fieri p. inductio) *& semper nolle, quod nunquam non erit, nolent ardere, semper ardebunt &c. In æternum non obtinebunt quod volent: & quod non volent, in æt. nihilominus sustinebunt.* S. Cypr. ad Demetr. *Cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit unde tormenta vel requiem possint, vel finem habere.* Adolescens quidam cum hæc eadem considerasset cum magno fervore exclamavit ad obvios, *Quid ergo agimus, qui cum æternitate ludimus!* Imo non ludere nunc est, sed insanire! agedum, deinceps alius ero aut nullus ero! Moneo vos; superbi, alii estote, vel æternum ardebitis! luxuriosi, quid luditis cum æternitate? alii estote &c. (fiat p. inductio.)

§. 6. *Non mirantur, hominem ardere æt. in inf. qui considerat, Filium Dei propter peccatum alienum*

Stupore defixus hæreo, cum considero tremenda Dei judicia, quod velit tot milliones animarum æt. ardere. Origenes talia non capiens incidit in hæresin, quia putavit ob inf. Dei misericordiam, infernum tandem habiturum finem, omnesque damnatos salvandos, ut simul omnes rationabiles creaturæ Deum æt. laudent. Hoc est diabolos, tam nobiles creaturas æternum ardere, videtur nimis crudele, & alienum à D. misericordia! In aliud prius objectum admiratione dignum oculos ve-

los vestros conjicite, tum cessabit nostra admiratio. Aspicite Salvatorem vestrum pendentem in cruce (sile nonnihil, quasi admirabundus!) Qui pendet in cruce est Unigenitus Dei filius ab æterno; ejusdem naturæ cum patre omnipotens, sapiens, sanctus &c. Ex voluntate Patris venit in terras, factus est homo; Deus homo; Clarior sole, sanctior Seraphinis, impeccabilis, plenus gratiæ; Iste sanctus, iste innocens, capitur, ligatur ut latro, trahitur ad diversa tribunalia, flagellatus, coronatus spinis, damnatur ad mortem, nudus in facie Jerosolymæ suspenditur in cruce, in eadem moritur, morte acerbissima & indignissima. Inter plurimas causas, ob quas Deus hoc voluit, modo meo discursui de pœnis inferni servit illa, quam invenio apud S. Th. 2. p. q. 46. ar. 1. ad 8. *Conveniens fuit Iustitiæ, quia per possessionem suam Christus satisfecit pro peccatis humani generis*: Tantum est odium Dei erga peccatum! Potuissent damnati si voluissent, se participes reddere hujus satisfactionis, ob merita Christi &c. quia sua culpa non fecerunt æt. damnati sunt. Scilicet, hoc est conveniens D. Justitiæ: cui, quia amplius satisfacere non possunt nisi patiendo & ardendo; æternum ardebunt, neque tamen unquam satisfacient. Imo S. Aug. teste, si Deus ex omni rigore justitiæ impios vellet punire, in duplici deberent ardere inferno, in uno, quod ingrati fuerint Deo creatori: in altero, quod injurii fuerint erga Christum redemptorem. Quod duos infernos Deus non fecerit, in hoc est Deus miserorum; ultionum verò Deus est, quod in uno inf. damnatos æternis puniat ignibus, ardent! cruciantur! quia justus est Dominus.

debuisse morti in cruce.

Ps. 54. ait v. 16. David: *Nequitiæ in habitaculo eorum in medio eorum:* vult dicere, sunt multi impii, qui graviter offendunt Deum. Rex piissime! an non superest aliquod efficax remedium, ut convertantur? hoc suggerit eodem ps. v. 16. *Veniat mors, veniat mors super illos: & descendant in inf. viventes.* Ne putetis Davidem tam fuisse immitem, ut impiis optaverit repentinam mortem, vel pœnas inferni, sed optarit, ut meminerint se morituros, ut cogitent & timeant, ne forte damnentur. S. Bern. l. 1. de vita solit. *Ad infernum quippe descendit homo*

§ 7. *Memoria inferni convertit peccatores.*

vivens

vivens per considerationem. Cum scilicet aliquis se ipsum mortuum cogitat, & in sepulcro jam positum putredine & vermibus plenum omnibus nudatum & insuper animam suam considerat divino judicio infernalibus pœnis traditam, quomodo est possibile, ut talis non cogitet, quomodo se eruere possit è tanto periculo. Luc. 13. v. 8. ait Dominus horti ad hortulanum, *succide illam, ut quid terram occupat?* sed ait hortulanus, *Domine dimitte illam & hoc anno, usq; dum fodiam circa illam*. Id est, ait in sensu mystico Vener. Beda, in Luc. *Horrorem perpetuæ damnationis incutiam*. Hæc eadem mea mens est, in præsenti exhortatione, ut meis auditoribus, præsertim illis qui sunt in peccato mortali incutiam horrorem inferni! *Multi gehennæ multum debent*, (S. Basilius) *quia gehenna illos ducit ad paradisum.*

§. 8. *Deus punit ignibus in hoc mundo, ut timeamus flammas æternas.*

Gen. 19. v. 24. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham, sulphur & ignem, & subvertit civitates has*. ubi p. Salvianus l. 2. de Providentia. *Cum enim ad supplicium malorum gehennam in futuro arsuram manifestum sit, Sodomam & vicinas ejus urbes cœlesti flamma consumpsit.* (Contigere sæpe etiam nostris temporibus talia incendia) *sic in præsenti Deus nobis vult proponere aliquam ideam saltem inferni &c. Ut dum tempus est fugiamus. p.* Vidimus heri tristissimum spectaculum; pœnitentis peccatricis cadaver comburi flammis! ego à longe stans elevatis oculis dixi, O mi Jesu, quid erit in inferno! mortuum corpus ardere parum est, fit sine sensu; durat dammum ad horam. O mi Jesu! animas & corpora ardere in inferno! hoc est terribile, & q. illo modo, quem describit D. Cypr. orat. de asc. Domini; *Ardebit purpuratus dives, nec erit, qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundet. In proprio adipe frixa libidines ebullient, &* (illi oculi, illæ manus &c.) *inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur. & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserabitur ultra Deus! & cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo, exclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium.*


§. 9. *Ex inferno, nulla redemptio.*

Talia videtur præ oculis habuisse regius psaltes ps. 68. v. 16. in ardenti illo suspirio. *Ne quando urgeat super me puteus os suum.* Lorinus legit, *Claudat*. quod ideo David dixit (S. Aug. hom. 16. ex 50.)

ex 50.) *quia cum sine pœnitentiæ remedio infelices peccatores exceperit* (ille puteus inferni) *claudetur sursum, aperietur deorsum, & dilatabitur in profundum. Nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus, relinquetur. Detrudentur illuc, valedicentes rerum naturæ, ultra nescientur à Deo, qui Deum nescire voluerunt, morituri vitæ, & morti sine fine victuri.* ps. 20. v. 10. *Pones eos ut clibanum ignis. Nutrimenta ignis non tantum lingua* ps. 30. v. 33. sed ipsi damnati sunt pabulum. *Et flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eos.* ps. 20. v. 10. devorat eos ignis. O mors veni, veni, super auditores meos; O inferne ardens, ignee putee! aperi fauces tuas, ut modo vivi, per considerationem, per actum fidei, descendamus in infernum, & mox reduces per seriam pœnitentiam convertamur ad Dominum Deum nostrum, ut gehenna, id est, memoria & timor ejus nos ducat ad Paradisum: ut statim hac hora incipiamus esse solliciti de nuptiali veste &c.

O inferne! aperi fauces tuas, ut mei audit. videant infelicem illam matrem, quæ ante annos non multos apparuit filiæ, inter flammas igneis ligata catenis, igneis circundata serpentibus, ignea amicta toga: aperi fauces ut illam audiant talia dicentem ad Filiam. *Heu me filia! ecce propter parvam libidinem, propter superbiã &c quantam recipio gehennam & quas sustineo pœnas; ecce, propter exiguas delicias quanta exsolvo tormenta! Apprehenderunt me universa immobilia mala! æternum ardeo.* Et est ex præsentibus audit. pertinax aliquis pater, qui hæc non timet; Adesto mors, veni, succide arborem, ut mittatur in ignem! §. 10. *Prosopopœia animæ damnatæ.*

Non mi Jesu! sustine adhuc hoc anno, hoc mense, hac die usque dum faciam, usque dum horrorem damnationis incutiam.



CONCIO XLIIX.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINIT.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur.

Joan. 4. cap. v.46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEUS permittit tribulationes, ut ad illum recurramus.

§.1. *Dolor filiorum, solet esse dolor parentum: ideo Regulus accurrit ad Christum D.*

§.2. *Absalon, quo medio coegerit ad se venire Ioabum.*

§.3. *Et Christus D. Gerasenos.*

§.4. *Antiochus vexatus dolore viscerum agnovit Dominum.*

§.5. *Ipse Lucifer, ne torqueretur, adoravit Christum.*

§.6. *Quomodo S. Bernard. duobus fratribus persuaserit ingressum in religionem.*

§.7. *Morbi &c. optimum sunt medium, ut qui Dei sunt obliti, illius meminerint. Deus est peritissimus Doctor.*

§.8. *Dictum S. Vincentii Ferrerii.*

§.9. *Declaratur similibus, quare Deus immittat morbos & dolores.*

§.10. *De quo gloriatur Isaias.*

§.11. *Fatetur idem Ieremias, & regius Psaltes.*

§.1. Dolor filiorum solet esse dolor parentum: ideo regulus accurrit ad Christum D.

NOta vobis est Audit. brevis sed affectuosissima oratiuncula Cananææ, qua usa fuit, prosternens se ad pedes Christi Matt.15.v.22. *Miserere mei Domine fili David: filia mea male à dæmonio vexatur.* Sed: si filia torquetur, si filia vexatur, si pro filia petit misericordiam, quî ait *Miserere mei*, & non potius fili David, miserere filiæ meæ? Glossa cau-

causam advertit. *Non dicit, miserere filiæ, sed miserere mei: quia dolor filiæ, dolor erat Matris.* In hod. Evangelio, *quidam Regulus* id est, quidam progenitus de sanguine regio, quidam regius, quidam regalis; secundum alios, quidam gubernator illius civitatis, vel dux exercitus, audiens quia Jesus adveniret, abiit ad eum, & rogavit eum, ut descenderet, & sanaret filium suum; Quid hoc? talis & tantus Princeps se se humiliat coram Christo D. non miremur; *Dolor filii, dolor fuit patris*; tribulatio, periculum & metus mortis filii, illum traxit ad Christum D. Punit Deus frequenter filios, ut id sentiant parentes & convertantur ad Dominum. Cham fuit qui Gen. 9. irrisit nuditatem parentis Noë, quod cum deinde Noë intellexit, ait v. 25. *Maledictus Chanaan.* hic fuit filius Chami, sed quid hic peccavit, cur in filium pronuntiatur sententia maledictionis? Acute respondent S. Ambr. l. de Noë & arca c. 32. & S. Hier. hom. 29. in gen. *Neque hoc absque ratione factum est, quia pater non minorem pœnam ac cruciatum habuit, quam filius; gravius enim est videre filios suppliciis affici, quam si ipsi parentes iis fiant obnoxii.* Hoc fuit expertus Regulus in hod. Evang. & ille dolor in causa fuit quod venerit ad Christum. Discursus hujus exordii nobis insinuat Deum permittere tribulationes &c. ut & nos veniamus ad Christum. Hoc &c.

Thema hujus concionis probabo clarissimè ex pulcris locis S. Scripturæ. l. 2. reg. c. 14. Absalon filius Davidis per diversos nuntios ad se vocavit Joabum, generalem exercitus parentis, sed noluit Joab venire. Puto ego cogitasse Absalonem, juvenem superbum, itane Joab immemor est reverentiæ & obedientiæ, quam debet filio Regis? ut vocatus ad me venire renuat? faciam, ut veniat: itaque ait suis famulis v. 30. *Scitis agrum Ioab juxta agrum meum, habentem messem hordei; Ite igitur & succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalon segetem igni.* Quamprimum Joab vidit ardere suos agros--*surrexit & venit ad Absolon.* S. Eucherius hic. *Cur antea non venit rogatus, & postea venit invitus? nisi quia efficacior fuit ad trahendum damni pressura, quàm urbana Absalonis supplicatio.* Talis est multorum conditio;

§. 2. Absalon quo medio coegerit ad se venire Ioabum.

ditio; vocantur, rogantur quasi à Deo & Christo D. Infinita Dei misericordia innumera confert beneficia; promittit majora ut ad se veniant, ut Deo serviant; frustra omnia! Igni compelli debent; Iratus Deus immittit ignem pestilentiæ; undique ardere incipiunt flammæ novorum bellorum, immittit Deus morbos; tum surgunt & q. inviti veniunt ad Dominum; Pressuræ damnorum &c. efficaciores sunt, ad trahendum, quam sint urbanæ obtestationes.

§.4. *Et Christus D. Gerasenos.* Ex V. T. subinde libenter me confero ad historias N. T. præsertim cum inter utrasque pulcra est connexio, qualem mox audietis. Totus mundus ibat post Christum D. ob ejus admirabilem in conversatione suavitatem, ob sanctitatem, ob miracula, & præsertim inexplicabilem efficaciam in dicendo. Pauci aliqui Geraseni & illorum subulci noluerunt Christum sequi Luc. 8. v. 35. In transitu ex homine obsesso Christus D. expulit legionem dæmonum, qui obtenta licentia à Christo D. ingressi porcos, omnes præcipitarunt in mare; territi subulci, currunt ad civitatem, narrant incolis factam stragem porcorum, sive illatum damnum; *Et egressi sunt videre quid esset factum & venerunt ad Iesum.* S. Th. in catena aurea. *Illos autem ad Salvatorem adduxit damni necessitas; frequenter enim, cum Deus homines damnat in rebus possessis, confert beneficium animabus*, ut convertantur &c. Jonas de semet fatetur c. 2. v. 8. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* S. Hieronymus in Jonam. *Tempestate & totius mundi contra se saviente naufragio compulsus est sentire Deum.*

§.5. *Antiochus vexatus dolore viscerum agnovit Dominum.* De impio Antiocho ait l. 2. Machab. c. 9. v. 5. *Apprehendit eum dirus dolor viscerum, & amara internorum tormenti. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionē sui venire, divina admonitus plaga, &c. ait Iustum est, subditum esse Deo.* ob defectum tamen veri doloris &c. cognitio sola illi non profuit. De aliis verò p. ait S. Bernardus, *Compelluntur multi variis necessitatibus, & oppressionibus afflicti, qui mira Dei providentia, dum temporalem pœnam si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.* quod non contigisset, nisi fortassis incidissent

ſent in gravem morbum, vel aliud grave infortunium illos apprehendiſſet. pſal. 15. verſ. 4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates illorum, poſtea acceleraverunt,* Hugo Card. *acceleraverunt, quia tribulationes ſunt quaſi compendium veniendi ad Deum.* S. Auguſtin. *Multiplicatæ ſunt infirmitates, non ad perniciem, ſed ut Medicum deſiderarent; Vnde poſt multiplicatas infirmitates, acceleraverunt, ut ſanarentur.* Graſſatur variis in locis peſtis! non ad perniciem, ſed ut Medicum deſideremus (ſic de aliis &c.)

Rem admiratione dignam advertit Origenes de ipſo Lucifero. Iſ. 14. verſ. 14. ait, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Gravium Theologorum opinio eſt Luciferum & aſſeclas talia dixiſſe, cum Deus illis propoſuit Deum hominem adorandum, quod facere recuſarunt, & ideo de cœlis dejecti ſunt in tartarum. Nihilominus poſtea cum filius Dei vixit in terris, S. Lucas cap. 8. verſ. 28. ait de uno qui miſerum hominem poſſederat; *Is, ut vidit Ieſum procidit ante illum, & exclamans voce magna dixit; Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? obſecro te ne me torqueas.* Sanctus Marcus cap. 5. verſu 6. ait, *Videns IESVM à longe cucurrit, & adoravit eum.* Quomodo O ſuperbiſſime Spiritus? unde illa metamorphoſis? quod coram eo ita te humilies, quem ita odiſti? Pulcre Origenes, *Vide in Evangeliis, quomodo verberatus hanc vocem emendet; Vbi tormenta ſenſerunt, ſciunt Dominum.* Multo magis de hominibus hæc vera ſunt, verberati, admoniti divinis plagis, ſe emendant. Ubi tormenta, ubi morbi &c. ibi ſſæ. cogitationes, ibi excellentiſſimi actus virtutum. §. 5. *Ipſe Lucifer, ne torqueretur, adoravit Christum.*

S. Bernardus non tantum ipſe mundum deſeruit, ſed voluit idem facere fratres ſuos. Alter erat Quido, nobili deſponſatus dominæ, quæ nullo modo voluit conſentire, ſed (ſic refert Guilh. Ab. in vita S. Bern. l. 1. cap. 3.) flagellatur infirmitate gravi, & cognoſcens, quia durum ſibi eſſet contra ſtimulum calcitrare, accerſito Bernardo veniam deprecabatur, §. 6. *Quomodo S. Bernardus duobus fratribus perſuaſerit ingreſſum in Religionem*

& prior ipsa conversionis petiit assensum. Sic etiam muliebrem animum morbi possunt immutare. Alter frater S. Bernardi fuit Gerhardus insignis miles, videns salutaria consilia & exempla fratrum; ait itaque S. Bern. *Quod preces obtinere non possunt, extorquebant plagæ,* & manum imponens pectori fratris inquit, *Veniet dies, & cito veniet, cum lancea lateri huic infixa, pervium iter ad cor tuum faciet, consilio salutis tuæ, quod aspernaris, & timebis q. sed minimè morieris.* post paucos dies Gerhardus incidit in manus hostium, à quibus lancea vulneratus fuit, eodem loco, quod S. Bernardus monstrarat; & subito pavidus & tremebundus exclamavit, *Monachus sum! Monachus sum, sequar consilium fratris;* quod etiam fecit. Simili plane modo hodie per lanceas, per vulnera, per morbos &c. compelli debent, ut cogitent de Deo & salute animæ.

§.7. *Morbi &c. optimum sunt medium, ut qui Dei sunt obliti illius meminerint. Deus peritissimus Doctor.*

Certum est, subinde aliquos, maxime illos, quos benigne fortunæ filios vocare solemus, ita vivere, ut *Deum qui servat illos, derelinquant; & obliviscantur Domini creatoris sui.* Deuter. 32. v. 15. *Obliviscuntur benefactorum ejus,* ps. 77. v. 11. *Non sunt memores multitudinis misericordiæ suæ. Obliviscuntur Deum qui salvavit eos.* ps. 105. 7. 11. S. Thomas Aquinas sic loquitur, *Cor totum habent in temporalibus defixum, & à Deo elongantur,* secundum quod dicitur, populus *hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Is. 29. v. 13. Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus impinguatus, dilatatus dereliqnit Deum factorem suum ac recessit à Deo salutari suo.* Conciones Prophetarum plenæ sunt similibus querelis; Quid medii, ut tollatur hæc oblivio; ut tales recordentur Dei sui igne, gladiis, sagittis, vulnerib. aliisq; plagis est opus. Peritissimus medicus est, Christus D. Salvator noster, ex illis, *qui austeras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem* S. Aug. ser. 1. de temp. *Medicus noster omnipotens est* (adde; sapientissimus) *consuevit plagas nostras curare.* modo mirabili, per plagas, per morbos, per dolores &c. iterum S. Aug. in ps. 93. *Vere medicus fidelis, medicinali ferro instructus.* Procopius. *Tā est salutis nostræ peritus artifex Deus, ut vel plagas incutiens, nos ad pietatem provocet.* Job. c. 5. *Vulnerat & medetur, percutit &* manus

manus ejus sanant. Elegantissimè hunc discursum pulcerrimis verbis exornat S.Greg.M. l.6.mor.c.14. *Omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat: carnem percutit, & mentis duritiem, suo pavore tabefacit. Vulnerando q. ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interius vivant.* Paulò post. *Idcirco foris verbera admovet, ut intus vulnera delictorum sanet,--terrores suo jaculo,*-vel gladio, ut per Is.c.1.v.19. minatur, *Quod si nolueritis, & ad iracundiam me provocaveritis, gladius devorabit vos,* tali inquam terrore, territos, & confixos ad sensum rectitudinis revocat: Itaque auditores, quæso ne miremur, cum subinde & nos Deus suis flagellis visitat, cum morbos immittit, cum à longè nos torret Virga pestilentiæ, cum novorum bellorum flammæ videntur erumpere, Medicus est, Vulnera animæ vult curare &c. (poterit fieri priorum p.repetitio.)

Cum duo fratres, valde ægri peterent sanitatem à S. Vincentio Ferrerio, vir sanctus illis dixit; *Ite dicite matri, ut tria gravia peccata, in quibus vivit, confiteatur &c. mox eritis sani,* quod & factum est. Fiunt in variis locis consultationes, quomodo possit averti pestis &c. in hunc finem adhibentur custodiæ, & verbera. Sed etiam memini versus ps.126.v.1. *Nisi Dominus &c.* Ut custodiat, ante omnia illi, qui vivunt in statu peccati &c. confiteantur, agant pœnitentiam &c. Hoc intendit Dominus per morbos &c. **§. 8. Dictum S. Vincentii Ferrerii.**

Deus Opt. Max. ad optimos fines utitur morbis & tribulationibus. Pulcrum est simile S.Bernardini Jenen. ser.8.sab. post cin. solent homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi (obruti à lethargo uruntur laminis ignitis) ut per dolorem corporis, redeat sanitas mentis; sic utique qui à sui cognitione alienati sunt, à Deo qui flagella ad se ipsos recognoscendos misericorditer coarctantur. Thomas Fienus in curioso & doctissimo opusculo de viribus imaginationis, refert, quandam fuisse illius phantasiæ se non habere caput: Insignis quidam medicus faciendo eam gerere magnam laminam plumbi super caput, sanavit eum. Hoc facit Deus &c. applica p. Lamina plumbi, est calculus &c. sic multi **§. 9. Declaratur similibus, quare Deus immittat morbos & dolores impii per illos convertuntur.**

quoad animam sanantur & adducuntur ut memores sint Dei, quod Is c.17. v.7. prædixit. *In die illa* (qua &c.) *inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israel respicient*. S. Th. *Hic ponit pœnæ fructum*. Orig. hom. 5. in Ex. *Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus, ante verbera Dominum negat, verberatus supplicari pro se dominum rogat*. Idem hodie multis contingit; sani duri sunt &c. ægri! quam pii! Eleganter Philo Judæus l.17. antiq. c.7. de impio Herode & scelerato Antiocho; *Is enim est mos malorum omnium, ut quoties nefarium aliquod facinus aggrediuntur, nihil non sibi permittant. Cum autem nihilominus inciderunt in periculum, tunc demum in mentem illis venit Deus*. De Nabuch. vide c.4. Dan. v.31. p. locus. De Manasse 2. Paral. c.33. v.6. fuit impius Rex &c. *Multa operatus coram Domino, ut irritaret eum. tamen postquam coangustatus est, oravit D. Deum suum, egit pœnitentiam valde.*

§.10. *De quo gloriatur Isaias.* Cap.26. v 15. Isaias in conspectu Domini, quasi gloriatur de hoc, dum ad Deum ait, *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti, nunquid glorificatus es? Domine in angustia requisierunt te.* O dilectissimi mei Bamberg. Verè indulget nobis hactenus Dominus, avertit hactenus pestem &c. anne ideo glorificatur. p. scilicet sic quidam terrentur à longe & currunt ad dominum, timeo fore ut aliqui non emendent vitam, nisi veniat pestis nisi corā &c. sic spero: quosdam puto id non facturos, nisi in angustia &c. de quibusdam ait S. Hier. *Sola formido, & tormentorum metus illos corriget ad salutem, & mala intelligere faciet*. Idiota. l.2. de pat. *scio quod sicut in medicamentis, illa communiter sunt meliora, quæ amariora sunt: sic mundi attritio, correptio, & tribulatio quantumvis sensualitati & carni, sit medicina amara tamen animæ & spiritui est utilis, & proficua medicina, & fructuosa.*

§.11. *Et fatetur Jeremias & regius Psaltes.* Thren.3. de se ait Jerem. v.15. *Replevit me amaritudinibus.* (S.Th.) copiosis angustiis diversis. *inebriavit me absynthio* abundanter intulit. Quid inde? *Novi diluculo, pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.* Sani, quam parum de Deo cogitamus, præsertim nocte &c. Ægri, in doloribus; tum sæpius oculos & mentem elevamus ad cœlum. David ps.119. v.1.

Ad Do-

Ad Dominum, cum tribularer clamavi. S. Hier. in ps. 107. *non dixit cum essem in deliciis, clamavi, aut dormiens clamavi: vis exaudiri à Domino* (vis ferventer orare?) *esto in tribulatione! clama! & exaudieris.* ps. 84. v. 17. *Tribulationes cordis mei multiplicata sunt; de necessitatibus meis erue me.* S. Hier. ex hebraico. *Tribulationes cor meum sursum ferri fecerunt.* S. Joannes Fer. *Quando adversa ingruunt, tunc cogitamus, & Deum & patriam cœlestem; incipimus odisse & fastidire mundum, ut infidum & incertum.* An non bene dixit Theodoretus. *Hæc ultio* (per morbos &c.) *misericordia plena est, qua impietatem facit cessare.* S. Aug. in ps. 55. *Ira videtur, sed paterna!*



CONCIO XLIX.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINIT.

Sic & Pater meus coelestis faciet vobis.

Matt. 18. cap. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUo continet puncta. 1. est; Quam eximium opus sit, quam perfecta Dei & Christi D. imitatio, dilectio inimicorum. alterum punctum proponit auream praxin, qua Christum D. in hac virtute imitari possumus.

§. 1. *Arduum quidem est, diligere inimicos.*

§. 2. *Sed hoc faciendo, perfectissima Dei imitamur attributa.*

§. 3. *Dei hæc est propria virtus.*

§. 4. *Proinde, diligere inimicos, est opus divinum.*

§. 5. *Qui illos diligunt, sunt filii Dei.*

§. 6. *Ideo centurio sub cruce exclamavit; Vere filius Dei erat iste.*

§. 7. *Dilectio inimici, est victoria & triumphus.*

§. I. *Arduum q. est diligere inimicos.*

NOn dubito, quin mei auditores, audita parabola hod. Evangelii, cogitaturi sint, dicturum me hac Conc. de condonatione injuriarum & dilectione inimicorum, fateor: utilius nihil prædicare possum; præsertim cum in hac materia necesse sit prædicare simul Christum & hunc crucifixum, sed timeo ne mihi contingat, quod contigisse sibi refert, Marcellinus, discipulus S. Augustini, dum scribit. Instanter inter Ethnicos prædico Evangelium Christi; & audiunt avide; de ejus Humanitate, Deitate, Nativitate, Vita, morte, causa mortis &c. Verum cum hisce diebus illis proposui præceptum Christi, de diligendis inimicis &c. palam clamarunt, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* hoc hodie clamat mundus, hoc clamat diabolus, hoc clamat corrupta nostra natura: adeo, ut teste S. Hieronymo, aliqui ausi fuerint dicere Christum D. hoc mandato præcepisse aliquid impossibile; ut alii judicarint illo everti naturam; prout enim ignis reluctatur aquæ, agnus lupo, leo gallo, ita contra naturam est, diligere inimicum. S. Aug. ait t. 8. in ps. 118. ser. 6. *Recole in omnibus justificationibus domini, nihil mirabilius & difficilius est, quam ut suos quisque diligat inimicos.* In V. T. gen. 9. nudatus Noë in ebrietate ridetur à filio, evigilans & rem audiens ait, v. 25. *Maledictus Canaan, servus servorum erit fratribus suis.* 4. Reg. 1. v. 12. missi à Rege milites captivũ deducere voluerunt Eliam sed de cœlo evoc●it flammas, quibus statim fuerunt absumpti 4. Reg. 2. v. 24. Elisæus ridetur à pueris, sed è sylva advocavit ursos, qui illos dilacerarunt. In N. T. aliud docuit Christus D. verbo & exemplo; nudatus fuit, irrisus fuit, &c. sed siluit. Duo ostendã hac Conc. 1. quam eximium, quam divinum opus sit, quam perfecta Dei & Christi imitatio diligere inimicos. 2. auream praxin, qua in hac virtute Christum imitari poterimus.

Con-

Condonando injurias, perfectissima Dei attributa imitamur 2.Reg.9.cap.vers.3. David post devictos omnes hostes, & vim quietus in regno Israelis, ex proceribus & consiliariis suis quæsivit; *Nunquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei.* Vatablus legit. *Beneficiorum optimum & maximum, & quod erit Deo gratum.* Videtur hic modus loquendi sapere aliquam arrogantiam, quod se jactet David, non regiam tantum se posteris Saulis exhibiturum benevolentiam, sed misericordiam Dei. Videtur David velle esse Deus quidam in terris. Et quomodo homo, homini poterit facere misericordiam Dei? Modum advertit Oleaster in cap.18. gen. *Expende, quare vocet misericordiam Dei, quam erga domum Saulis volebat exercere, nostra enim in hoc à divina distare videtur misericordia quod nostra ad nostros tantum se extendit, diligentes solum eos, qui nos diligunt, amicos, non inimicos. Misericordia verò Domini, præcipue est ad inimicos.* Itaque dum David posteris, capitalissimi sui hostis, Saulis, non tantum ignovit, sed benefacere voluit per maxima & regia beneficia, misericordiam Dei fecit, id est, perfectissimum illud Patris cœlestis attributum perfectissimè fuit imitatus, & nos imitamur, cum conservis nostris, à quibus fortassis offensi sumus ex animo ignoscimus. Dilectio inimicorum est divina virtus; nec misericordiæ tantum, sed ipsius divinæ omnipotentiæ æmula & imitatrix.

§.2. Sed hoc faciendo perfectissima Dei attributa imitamur.

Non in hoc, quod condonando injurias novum creemus mundum, vel alias creaturas ex nihilo producamus, sed in alio opere, quod adeo commendat cap.11. v.18,9. Sapientiæ. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum, immittere* -- in hostes tuos -- *multitudinem ursorum, aut audaces leones; spirantes ignem, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes &c.* Virtuti brachii tui quis resistet? Et quia insuper, misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam *& ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim ostendis tu.* latet emphasis in particula *tu*, q.v.3. dicat sapiens: Homines, præcipue Nobiles & Aulici, putant se fortes, vel existimant fortitudi-

§.3. Dei hoc est propria Virtus.

tudinem in hoc consistere, ut se vindicent, ut adversarium exterminent; aliud de Deo nostro asserit sapiens, quod in hoc maximè ostendat potentiam & dominium suum, quod omnium etiam hostium misereatur. quod Ecclesia confirmat in notissima oratiuncula, Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maxime, & miserendo manifestas; & S. Paulus ad Rom. 9. v. 22. *Quod si volens Deus--notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum &c.* Addit c. 12. Sap. v. 1. spiritum Dei propterea simul esse suavem & bonum. Itaque ex hoc, quod Pater cœlestis nobis remittat injurias, certo colligimus illum esse omnipotentem & bonum. Utrumque suo modo imitamur in terris, cum conservis nostris, licet injuria affecti simus, ignoscimus. Ostendimus, nos cooperante divina gratia posse operari opus maximè arduum atque difficile. In hoc, virtutem nostram, & bonitatem, & perfectionem maximè ostendimus, & notam facimus, si in patientia toleremus adversarios nostros, & adhuc multò magis, si illis benefaciamus, sæpe, cum possemus exterminare. Tum misereri, tum parcere, est divinum opus, & nobilissima virtus, qua Deo reddimur similes.

§. 4. *Proinde, diligere inimicos, est opus divinum.*

Divinum opus est, sive, hoc solus Deus potest, & Christus D. Salvator noster, ut homini remittat peccata. unde Luc. 7. v. 48. tum Christus D. (quem Pharisæi putabant purum hominem) Magdalenæ dixit, *remittuntur peccata tua*, murmurarunt inter se, *Quis est hic, qui peccata dimittit?* tanti ponderis negotium est, peccata remittere. Nihilominus ipse filius Dei nos monet, ut per condonationem injuriarum in tam augusto opere imitemur. ait enim Luc. 17. v. 3. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Quæ verba eleganti periodo circumscribit S. Chrysologus ser. 139. *Age homo, mandante Deo dimitte; dimitte peccata: esto misericors ad delicta, in te commissa, tu remissor esto peccatorum: tu modo ne perdas in te divinæ infulas potestatis;* Eximia hominis excellentia est, quod condonando injurias, præcipua Dei attributa potuit imitari.

Sicu-

Si cupimus esse filii Dei, diligamus inimicos, cum dico, filii Dei, non dubito mentibus vestris occurrere illud testimonium centurionis sub cruce, quo altum exclamavit in monte Calvariæ, astantibus adhuc Principibus sacerdotum, *Vere filius Dei erat iste.* & quid hominem militarem inter tot blasphemias circumstantium crucem movere potuit ad confessionem Christo crucifixo tam honorificam? unde illi radii, quibus illuminatus venit in cognitionem divinitatis latentis in Christo, licet penderet in cruce? hoc respondent aliqui B. Patres. Cum primum Christus D. affixus in altum erectus fuit, cum jam staret & firmata esset elevata crux; *Omnis creatura* (ait S. Bern.) *armata fuit ad ulciscendam sui injuriam creatoris, horribiles tenebræ factæ sunt super faciem terræ, terra tremuit &c.* tanto crucem circumstantium torpore, ut cogitare potuerint se vivos hiatu terræ absorbendos, & sine dubio ultæ se fuissent creaturæ, nisi Christus Dominus de cruce ad patrem orasset, Luc. 23. cap. v. 34. *Pater ignosce illis.* poterat Christus etiam de cruce se ulcisci, sed &c. §. 5. *Qui diligunt, sunt filii Dei.*

Cum centurio hæc audivit exclamavit, *Vere filius Dei est iste* q.d. tanta pati, & pro illis, qui causa sunt, orare, illis ignoscere, non posset nisi esset Deus: nisi esset potens, nisi esset misericors, nisi esset bonus & longanimis. Idem plane cogitare & dicere possumus si v.g. videamus aliquem graviter offensum, non cogitari de vindicta quam corrupta suadet natura, quam docent leges mundi; quæ in schola Satanæ prima est maxima, cui subscribunt aulæ, quam sequitur Nobilitas; sed loco vindictæ, ignoscere inimico, bene illi facere, honorifice de illo loqui, pro illo orare; si inquam hæc miracula gratiæ in aliquo videamus, dicamus libere; Vere filius Dei est iste: talia non posset homo, nisi per gratiam & amorem Dei, elevatus esset ad statum filiorum Dei. §. 6. *Ideo Centurio sub cruce exclamavit Filius Dei est iste.*

Tam augustum opus est, hosti ignoscere, ut S. Cyprianus tr. de passione Christi, vocet eximiam victoriam, & gloriosissimum triumphum, ait enim. *De impietate & ma-* §. 7. *Dilectio inimici, est victoria & triumphus.*

& malitia Iudæorum, suavitas, pietasq; Christi triumphat. placuerunt hæc verba S. Isidoro Pelusiotæ lib. ep. 169. *Lædendo vincere Satanicarum legum est, pietate vero vincere Christi & Christianorum est.* Modum verò quo Christus D. ita vicit & triumphavit potissimum in cruce affectuosissimè descripsit S. Petrus Dam. ser. 47. *Magnum quidem & ultra hominem est, asperitatem verborum & verberum, non solum pati, sed & non reddere; Illud vero majus est, & divinum quidpiam sapit* (ut supra ostendi) *benefacite his qui oderunt vos. Magister noster, & Dominus Christus Filius Dei & lædentes, patienter pertulit, & benefecit lædentibus.* Jam notate verba quæ sequuntur. *Considera beneficium, dum fel ori, clavi manibus, lancea lateri apponerentur ab inimicis, os, & manus, & latus agebant pro inimicis.*

§. 8. *Duo inculcat auditoribus; præsertim, quomodo Christum D. in exercitio hujus virtutis debeamus imitari.*

Auditores mei amantissimi, hæc duo cupio animis vestris hac concione inculcare. 1. ut advertatis, quam nobilis & excellens virtus sit dilectio inimicorum. divinum quidpiam sapit. 2. praxin auream, qua Christum crucifixum in hac virtute imitari possumus & debemus. Tripliciter plerumque lædimur à conservis nostris. 1. interiori odio, quo adversarii nostri nobis pessimè volunt, (possunt describi aliqui effectus odii) sed est ne Christianum, tales vicissim odisse? hoc diabolus suadet, sed aliud Christus D. ore & exemplo nos docet; conjicite quæso oculos in Judæos, qui crucem Christi in monte Calv. circumstant; astantes ut viperæ, ut aspides, ut serpentes, corda illorum plena sunt veneno odii erga Christum, gaudent illi esse tam male, optant illi esse peius. O si vicissim cor Christi inspicere liceret; in amaritudine mortis fuit plenum melle, plenum dilectione erga suos hostes, plenum ardentissimis scintillis & suspiriis pro suis inimicis. Talia corda cordi Christi unire debemus, quod fit dum corde amamus illos, qui nos odio prosequuntur. 2. lædimur plerumque Ore & lingua, calumniis, convitiis, detractionibus (est locus pro pulcra descriptione) Estne Christianum vicissim calumniari? &c. Hoc suadet mundus; aliud docuit Christus D. in cathedra crucis, dum impii crucifixores ori applicant fel, mel fluit de lingua ejus; mellea illa verba, Pater igno-

ignosce. Christus D. pendens in cruce nihil audivit nisi blasphemias, & maledictiones; sed aliud non respondit, quam pater &c. sic pietas Christi triumphavit. discamus, quomodo de inimicis debeamus loqui. 3. Lædimur opere ipso, illatis damnis, concernentibus honorem, vel corpus vel divitias. Ad similia vindictam nos allicit diabolus. Christus in cruce passus extrema, horrenda, in fama, in honore, in corpore; patri cœlesti, pro illis à quibus patitur, obtulit non tantum verba sed vitam & sanguinem. Sic triumphavit. Nobilissimi triumphi reddimur participes, si ejus exemplo, opere ipso diligamus inimicum. Si faciamus bene illis, qui nobis faciunt male. Adeo subinde sentimus illatas injurias, ut illæ videantur clavi, qui molestissimæ cruci nos affigant, ut videamur potari felle, ut sentiamus quædam acutissima vulnera cordis; verba & opera adversariorum, videntur esse spinæ, quæ penetrant cerebrum & ipsa viscera; audiri solent gemitus, qui sanguineas optant fundere lacrymas, præ angustiis videtur cor velle dissilire. Sic utique communicamus passionibus Christi; Dei voluntate hæc patimur, si triumphum cœlestis gloriæ obtinere volumus, in hac cruce, inter clavos & spinas, exemplo Christi pro illis oremus &c. hæ actiones sunt claves quæ paradisum aperiunt:


Hoc solatium promisit S. Petrus ep. 1. c. 4. v. 13. ***Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*** S. Chrysostomus hom. 39. in c. 18. act. citata verba sic explicat; si inimicus aliquis te lædat, communica Christi passioni, ejus exemplo nihil tu contra illum molire; quod si feceritis, aliquando gaudebitis, exultabitis, nam eritis participes illius gloriæ, quam Christus in cruce tam nobili actione, sibi & nobis promeruit. in agone, ingens nobis erit solatium, dilexisse inimicos. §. 9. ***Cum magno nostro solatio.***

Finio hanc conc. pulcerrimo monito D. Nazianzeni, ***cum tamen dolore læsus ardes maximo, Christi memor sis vulnerum, pars & quota sint hæc dolorum, quos herus tulit tuus, sic nempe, ut undis obrutus, mæror perit.*** quibus aurea verba subjungit Nicetas Nazianzeni Scholiastes; ***Cujuspiam in te contumelia effervescens,*** §. 10. ***Pulcra monita.***

 inge-

ingestam in te furoris flammam excitavit, animumque tuum ulciscendi cupiditate incendit? fac protinus tibi Christus in mentem veniat; da operam ut contumelias, illusiones, flagra & vulnera ea, quæ ille salutis tuæ causa, in cruce pertulit, quamprimum recorderis. sic fiat ut hujusmodi cogitationibus, tanquam aquis, animum tuum leniens & irrigans, mærori atque iracundiæ æstum extinguas.

§. 11. Epilogus. Apoc. 9. ait S. Joannes. *Vidi subtus altare animas interfectorum & clamabant voce magna dicentes, usquequo Domine Sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum &c.* Pauca illis reposuit vox quæpiam de cœlis, & siluerunt. Hic est effectus corruptæ nostræ naturæ, ut facile clamemus vindictam; facillimè cor hominis effervescit desideriis ultionis, ut ardeat instar fornacis, sed ecce altare sacrosanctæ crucis; hanc aram accedite &c. Sanguis Christi extinguit &c. potest fieri affectuosus Epilogus.



CONCIO L.

DOMINICA XXIII. POST SS. TRINIT.

Cujus est hæc imago, & superscriptio.

Matt. 22. cap. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de diversis imaginibus, Virtutum & Vitiorum, in anima alicujus hominis.

§. 1. Aureæ catenæ cum numismate gratiæ, sunt dona Principum.

§. 2. Anima hominis est nummus.

§. 3. Cu-

SOlent reges & Imperatores, sibi caris, & fidis amicis donare aureas catenas, ex quibus plerumque pendent nummi cum Regis, vel Imperatoris imagine. Cum Pharao Gen.41. vers.42. Josephum summo honore voluit afficere, *tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, & collo torquem aureum circumposuit.* Refert S.Scriptura alios ab aliis simili honore fuisse affectos. Longe excellentiori modo Dominus Dominantium, Deus hominem honoravit; dum illius animæ vivam & perfectissimam sui impressit imaginem, non tantum naturalem, per ipsum suum esse, sive per animæ potentias, per memoriam, intellectum & voluntatē, quibus Deo creatori in esse naturæ, reddimur simillimi; sed etiam supernaturalem, per gratiam, per caritatem, per dona Spiritus Sancti, per excellentissimas virtutes, quæ imaginem DEI in nobis naturalem, admirabili pulcritudine & excellentia exornant, & augustiorem reddunt. Christo Salvatori, Regi Regum, hæc applicare volumus, memores simus sponsi, qui sponsæ, quam amat, præter alia dona, præter purpuram & byssum, gemmas & uniones &c. eidem offert sui imaginē. Sponsus animarū nostrarū est Christus D. in bapt. offert annulū fidei, ornat nos bysso. S. Agnes de illo dixit; *Dexteram meam &c.* (vide in horis) Ornamentū v. omnium pulcerrimum, est sui imago, quàm suo sanguine in nobis depinxit

§.1. *Aurea catena, sunt dona Principum.*

nummos & animas; ſcrutabitur in lucernis. quid ſi reperiat imagines vituli per laſciviam, hinc & porci per luxuriam, tauri per arrogantiam, leonis & apri per iram, hyenæ per crudelitatem, aſpidis per invidiam, vulpis per aſtutiam, cameli per onera rapinarum & uſuræ; quod fiet in illis, quos regius pſaltes pſ. 31. 9. ait factos fuiſſe ſicut equos & mulos, quibus non eſt intellectus. Dicet juſtus judex, non ſunt hæ meæ imagines, ſed diaboli; ergo, diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus, & vobis, vos ſuperbi! vobis, vos avari &c. vobis omnibus, qui per vitiorum imagines eſtis numiſmata diaboli.

Diligentiſſime morientium nummos & animas examinabit ſtrictus Judex. Si reperiat imaginem Agni, per humilitatem & manſuetudinem, columbæ per ſimplicitatem & puritatem, turturis per pœnitentiam, paſſeris per ſanctam ſolitudinem & habitationem in cavernis maceriæ, in Vulneribus Salvatoris, Pelicani per miſericordiam erga egenos, aquilæ per ſtudium orationis, & elevationem mentis à terrenis ad cœleſtia; Phœnicis per ardentem Dei amorem; tum Judex agnoſcet ſuas imagines, & dicet Matt. 25. v. 34. *Venite benedicti, Venite* humiles N. N. N. § 4. *Et virtutum.*

Auditores mei, ſimus prudentes ut ſerpentes, præveniamus hoc ſtrictum examen, modo inſpiciamus nummos noſtros, & videamus quales impreſſæ ſint imagines. Leones, hirci &c. delendi ſunt, & ſubſtituendi agni, turtures &c. ut ſimus numiſmata Dei & Chriſti.

Beſtiis bonis & malis, adjungo fœminas ſive Virgines bonas & malas, ut illarum imagines diſcurſum meum amplius declarent. Illas mihi ſuggerit *Vox de cœlo;* quæ c. 8. v. 8. dixit Ezechieli: *fili hominis, fode parietem,* ſcilicet templi, *ingredere & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic.* Has verò vidit abominationes. 1. in parietibus & muris ſimilitudinem reptilium & animalium. 2. depicta idola. 3. peccata quæ domus Iſrael fecit in tenebris, dicens, *non videt nos Dominus.* 4. varias mulieres plangentes Adonidem. Scio me alibi alio modo uti hoc § 5. *Væ! ſi in nummo anima inveniantur abominationes.*

hoc loco; modo insinuo cum S. Paulo, animam cujusvis hominis, quam Christus D. in hod. Evangelio comparat nummo, esse etiam *templum Dei*, & q. *templum vivum, & sanctum.* 1. Cor. 3. v. 17. O si (verba fere erunt S. Cypriani) possemus oculos inserere secretis cordium, si recludere obductas fores, si penetralia abocculta conscientiarum reserare, quas fortassis videremus abominationes, quæ reptilia, vermes, serpentes, bufones; quæ animalia, tigrides, leones, ursos, quæ idola, quæ peccata occulta, quas formas & imagines pessimarum Virginum & mulierum. Doctissimus Cæsar Ripa in suis emblematis & nummis aliquas eleganter depinxit.

§. 6. *Superbia.* Unam in aurea & purpurea veste, ornatam gemmis & lapidibus preciosis; dextera gestat illa pavonem, sinistra speculum v. g. in quo pulcritudinem & divitias suas admiratur. Ex ore pendet schedula, cui inscripta est superbissima Luciferi vox, ex Is. 14. c. v. 13. *Ascendam in cælum.* Facile agnoscere potestis, non esse hanc imaginem Christi, sed superbiæ, quam Lucifer imprimit suis nummis. O pavones! superbi juvenes, comptæ Virgines, aperite oculos, inter vestras gemmas, de vestris capillis, de illorum funiculis, de armillis, de murænulis, quibus superbitis, pendet imago diaboli. In vestris speculis, inspicite bene, eandem videbitis. Si strictum Christi examen evadere vultis in agone, diruite hanc statuam, aliam substituite Virginem, in vili sed mundo habitu; oculis illa respicit terram, pedibus calcat coronas & sceptra, dextera gestat Agnellum, è cujus collo hoc Christi lemma dependet, Matt. 11. v. 20. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Hæc scilicet est imago Humilitatis & mansuetudinis, quam Christus D. suis nummis imprimit. Omnes nos aliquando diligenter examinabit, an illam in nobis inveniat.

§. 7. *Avaritia, Invidia &c.* Videor in aliquorum cordibus videre quasdam vetulas, luridas, pallidas, macilentas. Ex unius collo pendet marsupium plenum auro, insidet lupo, ex cujus collo pendet tabella cum his vocibus, Affer Affer. Altera, cujus capilli sunt venenati serpentes, insidens leoni dextera gyrat gladium, cui inscripta

ſcripta eſt hæc vocula, *Vindicta*; oculi ardent inſtar ignis. Tertia, priori tota ſimilis, in hoc ejus crudelitatem ſuperat, quod dentibus ſuis rodat cor humanum. lateri aſſiſtit ingens moloſſus, cum immani rictu. Quales hæ ſunt imagines? Diaboli. Una vetula eſt avaritia, altera ira, 3. Invidia. illos nummos, illas animas, in quibus in agone Chriſtus inveniet has mulieres, hæc idola, has abominationes, illa peccata, quæ ab illis committuntur, projiciet in infernum. Citò citò in cordibus noſtris hæ ſtatuæ diruendæ ſunt, ut alias ſubſtituamus.

v. g. Inter varias Virgines una formoſior hilari vultu reſpicit, in dextera, corbem plenum floribus, in ſiniſtra, ciſtulam gravem gemmis. ex corbe & ex ciſtula varii decidunt flores & gemmæ. In pectore depictum præfert Pelicanum, cum hoc lemmate Chriſti, *miſereor ſuper turbam.* Marc. 8. v. 2. juxta pedes diſcurrit gallina, quæ congregat pullos ſub alas ſuas. Toga hujus Virginis eſt cærulea radians ſtellis. Sertum ejus ex olea, de labiis diſtillat favus mellis. Nomen hujus Virginis nunc eſt, miſericordia, nunc liberalitas, nunc patientia, nunc Manſuetudo, nunc caritas proximi, nunc Modeſtia &c. In agone Chriſtus D. agnoſcet has eſſe ſuas imagines, nimirum pulcerrimarum virtutum, per quas nummi Chriſti, dignoſcuntur à nummis diaboli.

§. 8. Amat Christus D. in ſuis nummis imaginem miſericordiæ &c.

Alterius fœminæ imago eo eſt periculoſior, quo pulcrior, exteriori aſpectu; blandis arridet oculis, per aera volant capilli, vertex eſt coronatus roſis, dextera præfert telum igneum, ſiniſtra arcum. Turpe eſt, quod inſideat hirco vel draconi, S. Joannes Apoc. 17. v. 8. vocat illam meretricem magnam. *eſt circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo* & margaritis, ſed poculum aureum quod habet in manu ſua, plenum eſt abominatione & immunditiis. Væ nummo, in quo in agone Chriſtus judex inveniet hanc imaginem; eſt imago luxuriæ, &c. matris abominationum terræ! dicet enim, Apoc. 18. v. 8. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *In una die*, una hora, *venient plagæ ejus, mors & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis eſt Deus qui judicabit il-*

§. 9. Imago babylonia meretricis eſt turpiſſima: pulcra vero imago caſtitatis.

bit illam & flebunt & plangent qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus dicentes, Va, Va ite formosæ Helenæ, ornate vos &c. lapides preciosi, aurum, purpura, byssus &c. vertentur in cinerem. Diruenda itaque est in cordibus nostris imago hujus meretricis, & substituatur statua castitatis, sive Virgo, in toga ex candido bysso, ornato aureis liliis, succincta lumbos suos, pedibus calcans cupidinem armata flagello, cui lemma addidit S. Paulus 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum &c.* Hanc imaginem Christus judex in agone quæret in nummis suis; bene si inveniat.

§. 10. *Digressio ad fœminas.*

Non dubito quin adverteritis ingens discrimen, inter has duas ultimas mulieres, quod una sit impudens, altera verecunda; illa projectis oculis, hæc, modesta &c. eandē differentiā hodie videmus inter fœminas & Virgines hujus urbis (possunt hic laudari p. fœminæ & Virgines modestæ, econtra acris potest fieri invectiva in superbas & petulantes.) Non possum absolvere hunc discursum per imagines reliquorum vitiorum & virtutum; si vultis, facile advertetis, quænam sint imagines Christi, & quænam imagines diaboli.

§. 11. *Statua diaboli sunt diruenda.*

Si quæ tales fortassis starent in cordibus nostris, diruamus illas nos ipsi, antequam severus Judex in agone nostro id faciat. Nicephorus refert hæmorrhoissam, quæ tactu vestis Christi D. liberata fuit à diuturno fluxu sanguinis in memoriam accepti beneficii in civitate Cæsareæ erexisse illius statuam velut animi grati monumentum. Et stetit illa imago usque ad tempore tyranni Juliani, cujus jussu caput Christi abscissum fuit, substituto alio, quod referret sceleratum Apostatam. Non tulit æther inultum hoc nefas, sed in fulgura, in tonitrua, in ultrices flammarum globos erumpens, disrupta nube emisit fulmen, in nefandum caput, soloque prostravit: ut sciret posteritas, imagines Christi etiam ex ligno vel metallo, non esse violandas.


§. 12. *Id facit divina gratia.*

Simile quid facit divina gratia in anima hominis; dum baptizaretur.. per gratiam sanctificantem homo fit filius Dei, hæres cœli, cohæres Christi, sponsa spiritus S. Per excellentissimas virtutes, fidem, spem, caritatem &c. in tali anima, veluti vivo

Dei-

Deitatis templo, erigitur quasi ſtatua & imago Chriſti; ut illam indies ornemus magis, ſive ut Chriſto D. per imitationem virtutum reddamur ſimillimi. Et vivit in nobis Chriſtus, ut loquitur S. Paulus, quam diu nos vivimus in gratia Dei. Non Julianus Apoſtata, ſed Imperator inferni, Princeps tenebrarum, imaginem hanc ferre non poteſt, laborat ut ſuam ſubſtituat, quod homo facit, cum ſciens volens labitur in peccatum mortale. hoc diruit imaginem Chriſti. per hoc aula Dei convertitur in templum diaboli. inducuntur reptilia & beſtiæ, fiunt abominationes peſſimæ. Verbo, gravibus injuriis afficitur imago Dei & Chriſti. Silet ad tempus cœlum, diſſimulat æther. ſed veniet hora, quâ in agone iratus judex horribili fulmine tremendis verbis, diſcedite &c. imagines diaboli, vos inquam ſuperbos, vos avaros &c. præcipitabit in æt. flammas. Imago Dei nobis ſemel impreſſa, & Chriſti Salv. non afficitur injuria, ſine ultione & vindicta. Olim capitis fuit reus, qui tyranni alicujus imaginem apud ſe geſtaret. Et tu O impia (verba ſunt S. Ambr. l. 1. off. c. 49.) *Et tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis?* imò multi deturpant, conſpuunt, conculcant pedibus, & de ultione dubitatis?

Referunt hiſtoriæ Indicæ, Brachmanes populorum illorum Sacerdotes induxiſſe aliquod ſignum ſanctiſſimæ Trinitatis. *In hoc.* Poſt annum ætatis ſeptimum, parentes de filiorum collis ſuſpendunt triplicem funem, ante pectus uno nodo colligatum. habetur hic funis pro magno ornamento, qui illum aliqua macula ſordidant, vel lacerant, vel aliqua injuria afficiunt ſevere & acriter caſtigantur. Tres funiculi denotant P. F. & Sp. S. Unus nodus Unitatem. O Chriſtiani! agnoſcite excellentiam veſtræ naturæ! non propter aliquem funiculum &c. Triplex animæ potentia memoria, intellectus, voluntas in nobis referunt P. F. & Sp. S. Unitas unitatem &c. verbo. Portamus imaginem SS. Trinitatis &c. Ex his verbis fiat p. affectus. Caveamus maculare &c. niſi. §. 13. Epilogus.



CONCIO LI.

DOMINICA XXIV. POST SS. TRINIT.

Domine, filia mea modo defuncta est.

Matt. 9. cap. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Hæmorrhoissam sanavit Christus D. Animam peccatricem idem solus sanare potest. Idem dicendum est, de suscitatione filiæ defunctæ, & justificatione ejusdem animæ. Afferuntur multa in laudem Christi Salvatoris.

§. 1. *Christus D. hodie duplici miraculo manifestavit suam omnipotentiam.*
§. 2. *Propositio Concionis.*
§. 3. *Quemnam denotet hæmorrhoissa: quem defuncta filia.*
§. 4. *Christus D. est Salvator gentium.*
§. 5. *Hæmorrhoissa est imago peccatricis animæ, quam solus Christus Dominus curare potuit.*
§. 6. *Cur defunctam filiam tetigerit manu sua.*
§. 7. *Infinita Christi Domini bonitas.*
§. 8. *Pii affectus supra hodiernum Evangelium.*

§. 1. *Christus D. duplici miraculo manifestavit suam omnipotentiam.*

IN exordio hujus concionis cupio ut duo præcipue advertatis ex lecto Evangelio. Primum cedit ad magnam Christi Salvatoris nostri gloriam; alterum, magnæ nobis est causa consolationis. Ad gloriam Christi Domini cedit, quod duplici insigni miraculo, suam confirmarit omnipotentiam & divinitatem. Matth. 9. cap. vers. 29. 30. *Ecce, Mulier quæ sanguinis*

guinis fluxum patitur annis duodecim, accedit retro, tangit fimbriam vestimenti Iesu, dicens, *intra se,* (id est, corde pleno fiducia) *si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* hæc dicens, tangit, & triplicis gratiæ facta est particeps. 1. Ex illa hora facta est salva; 2. recreata insuper dulci Jesu aspectu, *videns eum*, 3. & suavissimis ejus verbis, *confide filia, fides tua te salvam fecit.* Cum verò Medicorum judicio hic morbus fluxus sanguinis præsertim diuturnitate temporis per annos duodecim firmatus naturaliter sit incurabilis, & tamen infelix mulier, erro; felix mulier ab illo à Christo D. liberata fuerit, non aliquo verbo vel facto, sed solum quod Christus D. permiserit tangi vestem suam; & hæc sanatio contigerit, ut S. Marcus addit, *confestim*, sine dilatione, uno q. momento; quæ omnia vires naturæ longè excedunt, sequitur, Christum D. talia operatum fuisse virtute altiore, & illa omnipotentia, qua Deus est, quæ Christi D. est summa gloria. Quam longè excellentiore modo manifestavit, cum paulò post filiam Archisynagogi mortuam ad vitam suscitavit, quod est solius Dei. Sapientiæ 16. v. 13. *In cujus manu mors est & vita,* ad Rom. 4. v. 17. *qui solus vivificat mortuos.* Deuter. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* 1. Reg. 2. v. 6. *ducens ad inferos & reducens.* Ecce, filia Archisynagogi jacet in lecto spolium mortis. Jesus fugat mortem, filiæ restituit vitam. O mi Salvator! ideo credo, credite & vos Aud. quia Deus est! Ecce, formosa filia jacet in feretro sine anima, sine motu, sine sensu! verbo, *mortua.* Momento Jesus illam vivificat. O mi Jesu; quam propterea gaudeo; gaudete & vos Audit. Christus Deus est! Ecce Aud. dives filia; mortua in florida adolescentia; jam jam deportanda est ad inferos; adsunt mortuales musici; ut lugubres decantent cantus, adest turba ut comitetur funebrem pompam; adest quoque Christus D. sed momento, duabus voculis; *surge puella,* mutat & invertit omnia; filiã quam mors occidit, facit vivere, & reducit ex sepulcro. Plaudite, gaudete, qui creditis, qui diligitis Christum; Deus est! Exeat hæc fama in universam terram, Jesus Salvator mundi est, Deus! hæc summa ipsius est gloria.

Nimis

§.2. *Propositio.* Nimis longum erit exordium, si ostendere velim, quanto nobis sit solatio, duplex miraculum hodierni Evangelii; patebit id in fine concionis præsentis, quam in duas dividam partes in prima explicabo Evangelii sensum allegoricum, quid denotetur, per hæmorrhoissam, quid per filiam mortuam. Alterius partis materia erit, sensus moralis. Spero benevolam auditorum attentionem.

§.3. *Quidnam denotet duplex femina, Hamorrhoissa & defuncta filia,* Duas mulieres oculis nostris proponit hod. Evangelium Unam ad Christum D. accurrere fecit gravis morbus, fluxus sanguinis, quo misera per annos 12. infirmata fuit. Altera fuit, filia Archisynagogi, non infirma, sed plane mortua. S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieron. Eusebius & Vener. Beda fuse & doctè tractarunt, quid per utramque significetur. Hæmorrhoissam dicunt fuisse fœminam gentilem, unde gentilitatem, sive populos sine vera fide in Deum, & idololatras, sive cultores falsorum Deorum nobis repræsentat. Filia vero defuncta Synagogam, sive populum Judæorum, quia ipsa fuit Judæa, utpote filia Archisynagogi. Utraque gentilitas & synagoga indiguerunt Christo Domino. Fundatur hæc explicatio SS. PP. in gravi ratione, fundata in sacris literis. Fluxus sanguinis, est morbus turpissimus! morbus fœtidissimus! morbus incurabilis! morbus abominabilis. Rem turpem, fœtidam, abominabilem cum proponere vult sacra scriptura, proponit nobis fœminam menstruatam. Proinde in eadem sacra scriptura idem hic morbus symbolum est vitii, omnium turpissimi, fœtidissimi, abominabilissimi, quod est idololatria; radix, mater, fons, cloaca turpissimorum scelerum, quæ S. Paulus enumerat & describit. ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus, secundum desideria cordis eorum in immunditiem, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (castam linguam pudet vel nominare sanguinea illa scelera) *tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, in reprobum sensum, -- repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, plenos invidia &c.* Itaque fœmina secundum literam hæmorrhoissa, turpis, fœtida ob abomi-

abominabilem morbum fœmina, in ſenſu allegorico, fuit gentilitas, ſive omnes populi, qui tempore Chriſti in toto terrarum orbe vixerunt graviſſimis ſceleribus dediti. Vah! turpis fœmina; maledicta gentilitas; abominabilis idololatria, abominabilis beſtia & quid accurris ad Chriſtum? eccur ad pedes ejus te abſternis? & tu tuis manibus, quæ ſanguine ſtillant, fimbriam ſacroſanctæ veſtis puriſſimi JESU tangere cogitas? Inſpice, manus tuæ plenæ ſunt ſanguine. quid intus in corde murmuras? tangam fimbriam & ero ſalva. tu impia, tu impura, tu ſcelerata? apage à ſacroſanctis his pedibus. Ni fallor; immitiori vultu me reſpicit piiſſimus Salvator, quod afflictiſſimam fœminam, durius alloquar. aliter itaque alloquar. Afflictiſſima fœmina, miſerabilis eſt conditio tua! abominabilis eſt morbus tuus! graviora & abominabiliora ſunt ſcelera tua; ſed confide; accede CHRISTUM, proſterne te ad ejus pedes; humilia te quantum potes, & clama intus in corde, clama lingua tua, ardenter, cum perſeverantia & importunitate, dic, cum aliis, JESU fili David, Miſerere mei. hic ſolus ſanguinis fluxum ſiſtere poteſt. hic te juvare poteſt. Ipſe enim eſt Salvator gentium. Accede; manibus tange fimbriam veſtimenti ejus; ſed intus in corde tange illum viva fide, DEUS tuus eſt. tange illum tenera fiducia; Salvator tuus eſt. Tange illum caritate; advenit, ut de tenebris te & tuos populos ducat in lucem magnam & admirabilem; ut ſanet vulnera, ut ſiſtat fluxum ſanguinis, ut te liberet ex captivitate ſcelerum, & quod inde ſequitur, è tyrannide diaboli.

§. 4. *Chriſtus Dominus eſtque Salvator gentium.*

Hæc eſt illa gratia, quam à tot ſæculis DEUS promiſit gentibus per Patriarchas & Prophetas. Geneſeos vigeſimo ſecundo cap. verſ. 18. dixit DEUS Abraham; *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* benedictum hoc ſemen eſt Chriſtus Dominus Geneſeos 49. cap. verſu. 10. ait Jacob. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat*

qui

qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Accede afflicta mulier; procumbe in genua, tange fimbriam; hic est, qui missus est à Patre in hunc mundum, ut salvet mundum. hic est, quem tot sæculis expectarunt Patriarchæ & Proph. ps. 21, 28. ait David. *Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. quoniam Domini est regnum & ipse dominabitur gentium*, cogitate auditores prophetiam hanc Davidis etiam in hod. Evang. fuisse impletam. Ecce, mulier gentilis, mulier hæmorrhoissa, id est, gentilitas accedit Christum, inflectit se, tangit fimbriam, agnoscit Deum suum, adorat medium, & petit sanitatem: alii psalmi, prophetiæ Is. Ezech. Jerem. & reliquorum plenæ sunt illis promissionibus quibus Deus promittit missurum se Salvatorem gentium. Et venit cum in utero Virginis verbum Patris, Filius Dei factus est homo. Venit visibiliter cum parvulus natus est in stabulo; qua eadem hora lucidissima nova stella Magos, & per Magos totam gentilitatem vocavit ad præsepium ad adorandum Salvatorem mundi. Eundem in hod. Evangelio agnovit, adoravit, imploravit hæmorrhoissa gentilis, & salva facta est. Christus D. est Salvator gentium. Qui salvantur in Europa, salvi fiunt per Christum &c. hoc per reliquas partes mundi. Simili discursu modo deberem ostendere, filiam defunctam repræsentare nobis Synagogam Judaicam, quæ moriente Christo in cruce, ipsa immortua est gravissimis sceleribus, quibus pertinax, obstinata etiamnum jacet insepulta (pauculis exceptis) & jacebit usque ad finem mundi, cum à Christo Domino eadem filia excitabitur, id est, plurimi Judæi convertentur ad Christum. Et hanc filiam, filiam miseram! filiam mortuam deberem vocare & adducere ad Christum, si sanari velit. Sed ne frustra clamem & tempus perdam, venio ad alteram partem meæ concionis, sive, sensum moralem hodierni Evangelii.

§. 5. Hæmorrhoissa est imago peccatricis animæ.

Hæmorrhoissa est quævis anima hominis impii, quæ variis concupiscentiis veluti sanguine diffluit, quæ variis sceleribus veluti turpi & fœtido sanguine in oculis Dei maculatur: Ezechiel. 16. v. 6. *nuda, confusione plena, conculcata in sanguine suo. forni-*

fornicatrix, adultera. hi enim sunt pestiferi effectus peccati mortalis in anima hominis, quod modo tantum insinuo. Imo peccatum m. est plane mors animæ; unde defuncta filia Archisynagogi in hod. die nil aliud est, quàm viva imago peccatoris, cujus anima, misera, infelix, abominabilis, filia sepulta jacet in sepulcro scelerum: Infelix mulier! misera filia, te appello, peccatrix anima, surge, accurre, ad Christum Salvatorem tuum, hic solus fluxum sanguinis tui sistere, hic solus te curare, hic solus ad vitam terevocare potest, & q. manu forti.

Ideo Christus D. antequam puellam ad vitam excitavit, sua manu tenuit & apprehendit manum puellæ! causam adverto ex ps. 88. v. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei.* q. d. alia manus auxiliari non poterit. Nisi Christus D. arripuisset manum puellæ, non surrexisset à mortuis; ideo frequentissime Incarnatio filii Dei & redemptio h. generis, justificatio impii, & similia vocantur Opera manuum Dei. teste B. Virgine, in his operibus, Luc. 1. v. 51. *Fecit potentiam*, fecit mirabilia, redimendo hominem, sed *in brachio suo* & in manu forti; cum magno labore; ita est; sanavit fluxum sanguinis hæmorrhoissæ, sed copiosissima effusione preciosi sui sanguinis. ita est, resuscitavit filiam mortuam, sed & ipse in cruce mori debuit. Turpissimus sanguis coram DEO est superbia? ab hoc sanguine liberat & mundat nos sanguis CHRISTI copiose fluens ex vulnerato CHRISTI capite. Advertite superbi, ubi debeatis quærere medicinam. Turpis sanguis, fluxus, morbus sanguinis est avaritia. Mundat nos Salvator noster, sed videte, ut expandit vulneratas in cruce manus, quam copiosus ex illis effluit sanguis, advertite &c. Turpissimus sanguis sunt sanguinea peccata luxuriæ. Et eheu! hic plerumque *sanguis sanguinem tangit*. Oseæ. 4. cap. vers. 2. Mundat nos Christus Salvator noster, sed videte illum alligatum ad columnam videte rivulos divini sanguinis ex toto vulnerato corpore defluentes, in emundationem nostrorum scelerum. Attendite luxuriosi, attendite hæmorrhoissæ, fontem in quo

§. 4. *Cur Christus D. tetigerit manum puellæ, iterum vide.*

lavari debetis. attendite cujus fimbriam debeatis tangere, sic discurrere possumus per alia crimina; de ira & sanguine cordis Christi. à quibus nemo nos liberare potest, nisi Christus. Bene g. fecit hæmorrhoissa, quod ad ipsum confugerit, bene, quod coram illo prociderit &c.

§. 7. *Infinita Christi bonitas.* Quod v. Christus D. tam cito illius preces exaudierit; quod illam sanarit, quod suaviter fuerit illam allocutus; quod benignis oculis respexerit; quod tantam de vestibus permiserit emanare virtutem, hæc gloriosa sunt signa infinitæ ejus omnipotentiæ & misericordiæ, & nobis motiva, ut similiter magna fide, fiducia & caritate opem ejus imploremus; Ingens nostrum debet esse solatium & gaudium, quod tam potentem & tam misericordem habeamus Salvatorem.

§. 8. *Pii affectus super hod. Evangelium.* Historia hod. Evangelii, prout modò, illam à me explicari audivistis, movere nos debet ad ferventes aspirationes & preces ad Christum Salvatorem nostrum, & ad salutaria quædam proposita. v. g. mihi, in mea devotione Spiritus S. talia suggerere fuit dignatus. Mi Jesu, ex intimo corde ago tibi gratias, quod miseram fœminam liberaris à tam turpi morbo. Ago tibi gratias quod def. filiam excitaveris ad vitam. Multo magis ago tibi gratias, quod genus humanum tuo sanguine, tua passione, tua morte liberaris à morte æterna. ago tibi gratias quod quotidie hæc miracula renoves in conversione peccatorum. Sed ecce mi Salvator! vide iterum filiam tuam Ecclesiam tuam, quam in cruce peperisti, heu! quot ejus membra fluunt turpi sanguine vitiorum; Domine, miserere filiæ tuæ; munda & sana eam, lava illam in calido balneo sanguinis tui; Mi Salvator, nolo modo mundissimis tuis oculis objicere, membra plane putrida & mortua filiæ tuæ, Ecclesiæ tuæ. tu omnia intueris, sed miserere filiæ tuæ; cogita te redemisse tuo sanguine; surge, tange illã, sana & vivifica. Innuit Evangelii textus fuisse jam omnia parata, ad efferendum cadaver def. filiæ ad sepulcrum. Quid si aliqui sint ex præsentibus auditoribus in tam miserabili statu, in illo fluxu sang. in illo fœtore, ut proxi-

proximi sint, ut infeliciter etiam moriantur corpore, & à diab. portentur in inf. O mi Jesu horum miserere! his succurre, extende manus, apprehende illos, & reduc ex portis inferni ad vitam.

Finio: animæ piæ faciamus hodie, quod hæmorrhoissa fecit; tetigit fimbriam & sanata fuit. Dixit, si tetigero &c. & si tam salutare illi fuit tangere fimbriam, quid erit tangere ejus Vulnera? itaque cum hodie sit Dominica Congr. Agoniæ, sic dicam: Si tetigero Vulnera pedum, per &c. salva ero &c. fac p. Epilogum.



CONCIO LII.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINIT.

Cum videritis abominationem.

Matt. 24. cap. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PArs prima explicat triplicem abominationem: altera ostendit, Deum, etiam dum minatur, non oblivisci misericordiarum.

§. 1. *De libris Ezechielis & Zachariæ.*

§. 2. *Prosecutio.*

§. 3. *Triplex præsertim Ierosolymis stetit abominatio: 1. Impietas zelotarum.*

§. 4. *Quam descripsit Iosephus l. 6. antiq.*

§. 5. *Similis hodie impietas est hæresis.*

§. 1. *De libro Ezechielis.* IN cap. 2. v. 9. prophetiæ Ezechielis, Deus illi ostendit mirabilem librum, ait enim: *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris, & scripta in eo erant lamentationes, & carmen & væ.* Zacharias cap. 5. v. 2. ait se vidisse librum volantem: *longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum, & dixit ad me, hæc est maledictio quæ egredietur super faciem omnis terræ.* Scio esse interpretes, qui dicunt agi hoc loco per spiritum sanctum de libro magno conscientiarum, in quo à divina Justitia, & à propria cujusque conscientia, stylo ferreo notantur omnes abominationes, omnes maledictiones, sive gravia scelera, quibus homo Deum suum offendit. Modo involutus est hic liber, aperietur aliquando in valle Josaphat, ut totus mundus possit inspicere, & sequentur lamentationes & Væ per vallem Josaphat. Scio alios putare, agi de libro mortis, cui inscripta sunt nomina improborum, qui opponitur libro vitæ, in quo Christus Dominus suo sanguine descripsit nomina electorum, quorum caput est, Rex & Princeps; Alibi ex his libris meis Auditoribus saluberrimas prælego lectiones.

§. 2. *Prosecutio.* Placent mihi modo illi interpretes, qui per hos libros intelligunt illas S. Scripturæ paginas, quæ plenæ sunt minis, maledictionibus, & væ, væ, quibus justus & iratus Dominus minatur se velle punire impios. Hoc sensu hod. Evang. est pagina hujus libri, plena horrendis minis super scelestam Jerosolymam. Aperuit illum Christus D. dum cum discipulis exiret ex templo. Elevans oculos, aspexit muros, superba illa saxa, cum admiratione,

tione, videtis hæc omnia, & dum ait, quasi legeret illa ex libro iratæ Justitiæ, *amen dico vobis non relinquetur &c.* In urbe discipuli nō fuerunt ausi quærere ex magistro, de tempore quo hæc futura essent, extra urbem in monte Oliveti respicientes urbē, dixerunt, quando hæc erunt? tum Christus illis reposuit notissima hæc verba, *cum videritis &c.* His verbis Christus D. expressit gravia scelera, quibus tam graves minatur plagas. Ostendam prima parte, quænam illa sint, in altera, Deum, licet minetur, tamen esse misericordem. Minari ut pœniteamus.

§. 3. Triplex præsertim Ierosolymis stetit abominatio. Scelera zelotarum.

Post crucifixionem & mortem Christi Domini triplex præcipuè desolatio & abominatio stetit Jerosolymis, ob quam urbs impia justo Dei judicio tam misere fuit devastata. hoc est propter immane illud scelus, quod filium Dei cruci affixissent, triplicis generis peccata justus Deus inter Judæos ulterius tolerare noluit, sed acriter punivit. Tempore Christi, & præcipuè post sanctissimam ejus mortem, fuerunt multi scelerati Judæi, homines scelestissimi, qui ex impio zelo patriæ & legis se nuncuparunt zelotas. Impii hi homines occupato templo, illud muniverunt instar castri, ex quo in urbem contra concives, veluti hostes eruptione facta illos spoliarunt, multos mulctarunt; multos vi pertraxerunt ad templum, ut occiderent in loco sancto, ut ipsa altaria, ut parietes sacri, ut pavimentum & saxa loci sancti ruberent sanguine peremptorum civium. In atriis templi stabant veluti stagna effusi sanguinis & fluentis ex tot cadaveribus; *Dei locus non erat, neque manere poterat, domesticorum funerum factus sepulcrum.*

§. 4. Quæ Iosephus descripsit l. 6. antiq.

Josephus Jud. postquam similia & atrocia alia scelera zelotarum descripsit, dixit l. 6. antiq. cap. 16. *Puto si Romani contra tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse urbem, aut diluvio perituram, aut fulminum, instar Sodomæ, incendia passuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit, quam ea fuit, quæ illa supplicia postularat.* Tandem ergo justo DEI judicio venerunt Romani, post arctam obsidionem occuparunt urbem, in templo trucidarunt hos impios homi-

nes, & in eodem Romana collocarunt vexilla, cum imaginibus Jovis, aliorumque Numinum, donec exusta urbe magnificentissimum etiam conflagravit templum, ut nec lapis mansérit super lapidem. Et sic impleta fuit prophetia Christi in hodierno Evangelio de abominatione desolationis. Scelera Zelotarum Deus tandem punivit.

§. 5. *Hodie zelus zelotarum est hæresis.* Hodie (ex mente sanctorum Patrum & interpretum sacræ scripturæ) Zelus Zelotarum est hæresis. hæc est idolum quoddam abominationis in conspectu Dei; hoc vitium est fœcunda mater tot crudelium scelerum, causa tot bellorum, bestia, continuo humanum sitiens sanguinem, non contra homines tantum crudelis, sed audax & temeraria contra Deum & Christum, ut templa occupet, violet, polluat horrendis & innumeris sacrilegiis, ut crucifixi statuas comminuat, ut sanctissimo altaris sacramento non parcat. De illa loquor hæresi, quam sancti Patres dicunt *esse sedem Satanæ, colluvionem errorum, seminarium discordiarum, Lernam omnium malorum, licentiam ad omne peccatum*, itaque hæresin tandem punit Deus. probatione non est opus. Anglia, Gallia, Germania, Polonia, regna amplissima, provinciæ ditissimæ suo damno id sunt expertæ. Tam terribilem abominationem bonus Deus ad tempus tolerat, tandem punit, quia justus est.

§. 6. *Secundo gravia scelera commissa in templo.* Secundo in loco sancto, in templo Jerosl. stetit abominatio desolationis, non tantum ob scelera zelotarum, verum, quia & alii Judæi in eodem loco sancto varia & gravia commiserunt crimina, sine ulla reverentia & cultu, qui loco tam sancto & habitationi Dei secundum legem debebatur. Ideo prophetiæ Jesaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, aliorumque plenæ sunt gravibus querelis, quibus Deus deplorat scelera sui populi commissa in loco sancto, potissimum idololatriam. quam Judæorum impietatem etiam Deus tam diversis plagis & flagellis, fame, peste, bello, captivitatibus, & tandem totius urbis excidio castigavit. Si fortassis contingat, quibusdam locis, inter Christianos, imo Romano-Catholicos in loco sancto stare similem abominationem

nem desolationis; id est, si forte alicubi à Catholicis in templis gravia committantur scelera, gravida ob sanctitatem templorum sacrilegia; non dubitemus, justus Deus non fert has abominationes, sed gravissimis, & publicis pœnis punit.

Felle sunt pleni sanctorum Patrum sermones, homiliæ, conciones, & libri, quibus hanc in templis peccandi licentiam insectantur, nemini, nec aulis, nec Principibus, nec nobilibus, nec Clero, nec Sacerdotibus parcentes. Exemplar concionatoribus esse potest S. Hieronymus. Intellexerat vir sanctus quendam nomine Sabinianum venire in Ecclesiam intentione non ita pura, sed in gratiam alicujus fœminæ, quam deperibat. fortassis annumerandus fuit illis, de quibus ait S. Ambr. l. 3. de virgin. *Qui docti sunt in templo ludere oculis, rotare cervicem.* fortassis illis de quibus scribit Bellarminus in gem. col. l. 2. cap. 12. *Quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacra æde, dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærunt, & oculis ac corde mœchantur.* Vel illis, de quibus S. Cyprianus ausus fuit dicere, de singul. Cler. *Diabolo peiores sunt, qui in templo fœminarum aspectibus feriantur.* §. 7. *Digressio ad Auditores ex sanctis Patribus.*

Tale aliquid de Sabiniano intellexerat. S. Hieron. itaque divini honoris zelo accensus, cathedram ascendit, & his cum verbis publicè fuit allocutus: *Infelicissime mortalium, tu speluncam illam in qua Dei filius natus est, de stupro condicturus ingrederis?* (O abominationem desolationis!) *non times ne de præsepi infans vagiat; ne puerpera Virgo te videat, ne mater Domini contempletur? pro nefas! non possum ultra progredi, prorumpunt lacrymæ, antequam verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenis? nunc profecto muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventa est res, repertum est facinus, quod nulla eloquentia explicare queat.* Hæc fuit mens S. Hieronymi de hac abominatione. Commotior S. Hieronymo fuit S. Chrysost. hom. 24. in Matth. *Multi ad formas mulierum aspiciendas,* §. 8. *Acris invectiva sancti Hieronymi.*

ciendas, ad adolescentulorum pulcritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam veniunt: mox ait: *Non miraris quomodo undique fulmina non deferuntur? quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio dignissima sunt.* Itaque Auditores, cum in aliqua urbe gravia scelera committuntur in templis, cum (sunt verba Philonis Judæi l. de Cherub.) turpitudo torrentis in morem, populans omnia, vel sacratissima templa irrumpit, tum stat abominatio desolationis, tum Deus punire cogitur.

§.9. *Scelera impunita sunt abominatio.*

Abominatio desolationis stat in loco sancto, cum in aliqua urbe inter Christianos & Catholicos abominabilia committuntur scelera, impune, ut à Magistratu, vel Ecclesiastico, vel Politico non puniantur. Cum tolerantur publica & gravia scandala, Deus solet minari & punire. Verum cum nihil sciam de hac urbe, ne tempus perdam, progredior ad alteram partem meæ concionis. Cum Deus minatur se puniturum; sæpe etiam dum jam punit, misericordiæ tamen non obliviscitur.

§.10. *Ob talia scelera minatur Deus ut tamen sit memor misericordiæ, quod ostendit in diluvio.*

Abacuc. 3. v. 2. *Cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur.* Ps. 76. v. 10. *Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?* Diluvio, quo iratus Deus mundum delevit, quo omnes eradicavit arbores, non tamen eradicavit olivam, unde columba retulit, Gen. 8. v. 11. *Ramum olivæ virentibus foliis*, ut mysticè innueret, Deum plane iratum etiam in diluvio, misericordiæ non fuisse oblitum. Alium conceptum materiæ huic accommodum suggerunt illi, qui quærunt, ubinam tempore diluvii Oliva hæc fuerit; an in terra fixa permanserit, & aquis fuerit tecta, an verò ab aquarum impetu fuerit eradicata; & aquis supernatarit, ut columba ramum decerpere potuerit. hæc opinio mihi placet: Diluvium Symbolum est iræ & Justitiæ Divinæ, quæ punit; Oliva, Symbolum misericordiæ; licet cœlum pluat, licet tonent nubes, licet fulmina decidant, hanc olivam demergere non possunt; inter aquas diluvii oliva permansit viridis; viret inter ignes Justitiæ misericordia.

Dum

Dum Deus punit, misericors est, præcipuè in hoc, quod diu ante minetur, ut si velimus, pœnam per pœnitentiam avertere possimus. ut si velimus esse columbæ, & volare ad Olivam sanctissimæ crucis, ramum virentem misericordiæ facillimè inveniamus.

Talis columba fuit David l. 2. reg. c. 24. v. 16. ex arrogantia quadam jussit numerari populum, & numerata sunt de Israel octingenta millia virorum. De Juda quingenta millia pugnatorum. adeo superbia & fastus hic regis Deum offendit, ut statim miserit prophetam Gad ad Davidem, jusseritque in pœnam eligere, vel famem septem annorum, vel vim hostium per tres menses, vel pestem trium dierum. hanc elegit, & vidit Angelum cum gladio super civitatem, cecideruntque subito plurimi ex populo peste, sed vix medius dies transierat, & *misertus est Dominus super afflictione*, & ait, *Angelo percutienti populum, sufficit, nunc contine manum tuam*: Sed cur triduum minatus est Deus, si per medium diem tantum punire voluit? cur Angelum tam iratum cum terribili gladio monstravit, si mox illum vaginæ immittere debuit? quæstioni ad rem nostram respondit S. August. Jubente Domino apparuit angelus, *non quod Dominus civitatem* planè *delere vellet, sed ut ostensus, in procinctu vindictæ Angelus, dignam videnti regi pœnitentiam incuteret.* & hoc contigit quamprimum David vidit angelum, ruens in terram, exclamat, *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi.* O pulchrum cœlo, terræque spectaculum! Angelus vibrat gladium in cœlo, David plorat, gemit in terris, & statim misericordia involat in angelum sive Justitiam, & gladium in olivam commutat. O Auditores, quales gladios & flagella à multis annis Dei justitia ob scelera nostra super nos vibravit? vibrat etiamnum! itaque timete, cavete, justus, iratus est Dominus. Sed hoc agite cum Davide, ruite in genua, pœnitentiam agite, & misericordiæ suæ recordabitur. Dignam nobis pœnitentiam vult incutere.

§. II. Idem expertus fuit David.

§.12. Pulchre loco probatur ex psalmo 74.

Psal. 74. pro gladio ponitur calix v. 9. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto; & inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen fæx ejus non est exinanita.* S. Ambrosius ait, Davidem loqui, de calice divinæ Justitiæ, quo impios punit. Talis calix est bellum, talis calix est pestilentia. Sed pulchrè ait citatus S. Ambrosius. *Ad terrendum plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus. plenus erat calix cum mors per triduum mandaretur; sed occurrit misericordia Dei; tenuit manum Angeli, priusquam calicem istum exinaniret.* Sed quis misericordiam in cœlis ad hoc movit? Pœnitens David in terris. Et hodie super nos, Auditores, Calix in manu Domini; calix bellorum & in manibus irati Domini. Cavete, jam inclinat, jam guttæ decidunt, succurre O misericordia, hoc faciet, sed & vos pœnitentiam facite. Calix hic iræ divinæ dignam nobis vult incutere pœnitentiam; quod magnæ est misericordiæ. *Nisi* (verò) *conversi fueriis* (ps. 7. v. 13.) *gladium suum vibrabit*, non per medium diem, sed triduum. Non inclinabitur tantum calix, sed planè evertetur, & exinanietur. Certum quidem est Deum æqualiter esse infinitum in omnibus attributis & perfectionibus, infinita est ejus omnipotentia, infinita sapientia; hoc tamen non impedit quo minus aliqua nobis, quoad extrinsecos effectus magis elucescant, potissimum Justitia & misericordia, toties inclamante sacra scriptura, *misericors miserator & justus.* Addo, inter hæc duo etiam eminere misericordiam, juxta illud Jacobi 2. vers. 13. *Superexaltat misericordia judicium.* in græco est, *gloriatur, exultat misericordia adversus judicium*, in materia præsenti, in hoc, quod dum etiam iratus Dominus minatur se velle punire, hoc faciat, ut impii agant pœnitentiam, ne puniat. Is. 30. vers. 18. *Expectat Dominus ut misereatur vestri*, hebraica lectio habet: *Suspirat, anhelat Dominus ut misereatur*, S. Chrysologus ser. de B. Philog. explicat hæc verba pulchro simili. *Benignus est, & quemadmodum parturiens cupit emitti fœtum, ita & ille cupit effundere misericordiam.* etiam super impios, dummodo pœniteant.

Finiam

Finiam hanc concionem aliquot pulchris dictis sancto-rum Patrum, D. Basilius inquit, *clementiæ Dei hoc erga homines est, non clam aut silenter ingerit supplicia* (ideo in hodierno Evangelio multis annis Jerosolymæ suam cladem prædixit) *sed intendens comminationes ea prædicit affore, per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam.* D. Cypr. Alexandr. *Hanc igitur ob causam vaticinationes gravium malorum instituit Dominus, ut timentes eum offendere, ab illis periculis liberentur.* D. Chrysostomus *inter minas — occasionem reis præstans, ut fugiendo malitiam, & apprehendendo virtutem pœnas non experiantur.* D. Ambrosius: *terret ut corrigat, admonet ut emendet, prævenit ut ignoscat.* D. Chrysostomus *propter minas non desperemus, sed mutemur.* Propter minas Jonæ non desperavit Ninive, sed mutata est; ideo (inquit S. Hieronymus) *Deus libenter mutavit sententiam, quia vidit opera commutata.* hoc promisit per Jeremiam cap. 18. v. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* § 13. *Testimonia sanctorum Patrum.*

Si verò impii de pœnitentia audire nolint, & tamen pergant vivere in suis abominationibus, tandem Deus punit & improviso & celerrimè. Ideo S. Joannes in Apocal. cap. 14. vers. 18. in manu Christi Judicis vidit falcem acutam, & alii prophetæ, volantem, ad denotandam vindictæ celeritatem. Semper, omni hora, omni momento, supra caput impii volat falx & gladius iræ divinæ. Diu detinetur à misericordia ne puniat; cum adest præstitutus terminus, cum impleta est mensura malitiæ, tum volat, tum involat in peccatores, perinde ac flamma ignis in horreum, quod momento stat in flammis. impius in puncto sepelitur in inferno. perinde ac fulgura, fulmina cœlestesque sagittæ, quæ altissimas turres momento accendunt & evertunt. Deuteron. 32. cap. vers. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Cavete impœnitentes, peccatores! Habet Divina Justitia præter falcem, præter gladium, præter calicem, plenam maledictionibus clepsydram, ex qua tandem effluit tempus misericordiæ; tandem nomen boni, miseri- § 14. *Epilogus.*

ricordis Salvatoris, mutatur in nomen ſeveri Judicis, cujus nomen eſt, *Abſque miſericordia.*

NB. Si eſſet Dominica Congregationis agoniæ, poterit fieri pulchra digreſſio ad ſodales, ex illis verbis; Benignus eſt JESUS Crucifixus, cupit effundere miſericordiam ex ſanctiſſimis Vulneribus &c. modo ferventer petamus.

FINIS
PARTIS SECUNDÆ.



Alvei


Alvei Tertii,

SIVE

CONCIONUM,

In Festa ab Adventu usque ad Pentecosten.

PARS III.



CONCIO LIII.

FESTO S.P. FRANCISCI XAVERII. INDIARUM APOSTOLI.

Sint lumbi vestri præcincti.

Luc.12. cap. v.35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INter septem conciones, de vita S.P. Francisci Xaverii, est hæc ordine quarta; & agit, de insatiabili ejus desiderio, ingrediendi in Chinas ad prædicandum Evangelium. Sed vix, amplissimum illud regnum fuit ingressus, cum per beatissimam mortem, ad cœleste brabeium, indefessus cursor & pugil, fuit evocatus.

§.1. *S. Xaverius fuit Apostolicus prædicator, succinctis lumbis. Varius verborum horum sensus ex sanctis Patribus.*

§.2. *S. Xaverius confertur cum sphæra Archimedis.*

§.3. *Cordi suo, totum mundum inclusit.*

§.4. *Circumtulit secum cœlum. Fuit globus solis.*

§.5. *Fuit Aquila. Vnde indefessa ejus fortitudo?*

§.6. *Magna fecit; ardua pertulit: omnia tamen reputavit pro nihilo.*

§.7. *Sensit se evocari in Chinas.*

§.8. *Et constituit tentare aditum. Rediit ergo ex Iaponia in Indias.*

§.9. *Rediit in Iaponiam; ibi conscendit*

§. 1. S. Xaverius fuit Apostolicus prædicator succinctis lumbis. Varius verborum horum sensus ex SS. Patribus.

S*Int lumbi vestri præcincti*, id est, ex mente Theophylacti; *Semper estote proclives* (vel parati) *ad exequenda opera Domini. Sint lumbi vestri præcincti,* id est, *estote prompti ad quodcunque iter quod vobis imperaverit* Dominus. S. Bernardus, *quis sicut David fidelis, ingrediens & egrediens ad præceptum regis.* Tob. 5. *Invenit juvenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Sint lumbi vestri præcincti,* id est, secundum Cyrillum, *Prompti sitis ad sustinendas asperitates.* secundum S. Athanasium, *Parati obedire voluntati ejus.* S. Augustinus sic explicat, lib. 2. qq. Evang. c. 25. *Ille lumbos habet præcinctos, qui amorem suum præcingit, à terrenisq; rebus arcet; ut totum conferat in Deum. Sint lumbi vestri præcincti,* id est (sic ait S. Chrysologus ser. 22.) *Cincti castitatis balteo, quod est insigne militia Christianæ.* De Jove ait Perianus, *Ad pugnam accingitur, & gigantes perimit fulmine.* Omnibus his modis S. Franciscus Xaverius lumbos habuit præcinctos, semper enim paratus fuit ad exequenda opera Domini; opus Domini prædicare Evangel. opus Domini convertere animas &c. Opus Domini, peragrare varias regiones: opus Domini evertere idola plantare ubique vexillum S. Crucis. Et quando ad hæc non proclivis fuit S. Xaverius. simul promptus ad quodcunque iter, ingrediens & egrediens ad præceptum regis. Semper promptus ad sustinendas asperitates. Paratus in omnibus obedire voluntati ejus. Amorem suum ita præcinxit, ut totum contulerit in Deum. Pugnavit quoque feliciter, non contra gigantes, sed idololatriam & Satanam in Oriente veluti fulmine prostravit.

Sed

Sed antequam præſentem panegyrin proſequar, moneo me totam hiſtoriam vitæ S. Xaverii diviſiſſe in 7. partes (repeti poſſunt breviſſime priorum trium propoſitiones.) Hodie ordine quarta inſatiabile deſiderium ingrediendi Chinam, & feliciſſimam ejus mortem vobis proponet.

§. 2. *S. Fr. Xaverius confertur cum ſphæra Archimedis.* Non dubito quin aliquid audiveritis de artificioſa & admirabili machina ſive ſphæra Archimedis. Serviet meæ panegyri de laudibus S. Franciſci ejus deſcriptio, quàm invenio apud Caſſiodorum l. 1. ep. 45. *Parvam machinam, gravidam mundo, cælum geſtabile, compendium rerum* (ſolis, lunæ, ſtellarum, orbium cœleſtium, planetarum, elementorum &c.) *ſpeculum naturæ ad ſpeciem ætheris, incomprehenſibili mobilitate volutavit.* Talis machina vel ſphæra fuit S. Franciſcus Xaverius. Parvus, ob profundiſſimam in heroico viro demiſſionem, parvus quia omnium ſervus. Franciſcus parvus, inter parvulos & puſillos, quos in Chriſtiana catecheſi inſtruebat, parvus in hoſpitalibus inter pauperes, parvus in navibus inter nautas quos omnes, oratione, verbis & exemplo, Chriſto lucrabatur. Machina parva S. Franciſcus, quæ tamen diaboli & idololatriæ regnum in Oriente labefactavit & evertit.

§. 3. *Cordi ſuo totum mundum incluſit.* Parvum mundum in ſe continuit ſphæra Archimedis, eundem & meliorem partem omnes homines in corde ſuo intra ſe concluſit S. Franciſcus; non tota Europa ejus deſideriis ſatis ampla fuit Indias, Japoniã, Chinas quęſivit ut in ampliſſimis illis regnis innumerabiles Chriſto acquireret filios. gravidꝰ mundo, ut illum eidem pareret. Omnes incluſerat viſceribus ardentis caritatis. Quam grave illi fuerit hoc onus, patuit, cum in ſomniis ſub pondere unius Æthiopis ingemuit & ſuſpiravit, ſed leve onus fuit, cum in vigiliis illos humeris ſuis tulit in ovile Chriſti. Sphæra itaque fuit cor S. Franciſci, cui totum mundum deſideriis ſuis incluſit.

§. 4. *Circumtulit ſecum cælum: fuit globus ſolis.* Nec ſolum mundum terreſtrem, ſed cœleſtem, ſive cœlum S. Xaverius in corde ſuo, imo & manibus per diverſiſſima regna circumtulit. Cœlum ſecum ferebat, quia converſatio ejus

ejus potius in cœlis quam terris fuit. Cœlum circumtulit, ob ſuaviſſimam animi pacem & tranquillitatem, qua continuo fruebatur. Cœlum circumtulit, ob ſalutares influxus, quibus innumeris profuit. Cœlum circumtulit, quia plurimis illud largiebatur, parvulis per baptiſmum, adultis per prædicationem, peccatoribus per pœnitentiam, ignorantibus per cognitionem Chriſti. Cœlum denique erat cor S. Xaverii, ob cœleſtes delicias & voluptates, quibus ejus animus dies noctéſque diffluebat adeo, ut ſæpius exclamarit, Domine ſatis eſt, Domine &c. Compendium creaturarum pulcerrimarum, ſolis, lunæ, ſtellarum, id eſt, ſol fuit Xaverius, luna fuit, ſtella fuit, quæ diſſipavit tenebras gentilitatis in Oriente. Sphæra Archimedis fuit ſpeculum naturæ, & ſpecies ætheris. S. Fr. ſpeculum fuit ſanctitatis & virtutum. lucidus ut æther, ſed luce divinarum illuminationum; ardens ut æther, ſed ignibus & flammis divini amoris. purus ut æther; ſed puritate illibata, & angelicæ virginitatis. Denique globi illius incomprehenſibilis fuit mobilitas, ſed major & incomprehenſibilior ille motus & curſus fuit, quo globus Xaverianus ſe volvebat & movebat, de urbe in urbem, de provincia in provinciam, de regno in regnum, currens globus fuit, inſtar ſolis, qui ſua luce & ardore omnia illuminavit calefecit & accendit.

Curſum & motum hujus ſphæræ ſub alia metaphora videtur prævidiſſe Iſaias c. 40. v. 31. ubi de viris Apoſtolicis, per totum orbem prædicantibus Evangelium Chriſti, ait: *Mutabunt* (ſive, ut eſt in hebraico *integrabunt*) *fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Talis aquila fuit S. Xaverius. Roma ex Italia, evolavit Olyſſiponem in Luſitaniam; nec defecit. Inde per maria avolavit Goam in Indias, nec defecit, fatigari non potuit. Goa, per oram piſcariam, per regna Travancoridis per mille pericula alis incenſi amoris avolavit Malacam, Malaca in Japonicam, ex Japonia rurſum in Indias, neque defecit, ſed quotidie de aliis provinciis & regnis, præcipuè Chinenſi, Chriſto acquirendis cogitabat. Aquila, ſol, ſphæra fuit Xaverius in-

§. 5. *Fuit Aquila. Vnde indefeſſa illius fortitudo?*

comprehensibili mobilitate volubilis. Sed unde illa fortitudo hujus Aquilæ, sive generosi & excelsi animi in S. Francisco? quæstioni respondet Emblema, in quo ex caverna petræ, à specioso fonte, quo petra stillat, avolat aquila cum hac epigraphe *hinc fortior*, id est, quies in petra, & refrigerium fontis conservant fortitudinem aquilæ. S. Francisco caverna petræ fuerunt sacrosancta CHRISTI Vulnera, in quibus quotidie mysterium aliquod passionis meditabatur. ex his quotidie fortior evolabat; cum indies consideraret, animas Christi sanguine redemptas, indies illo sanguine accendebatur, ut plures juvaret &c. fons illi fuit oratio, cui vir Apostolicus adeo erat deditus, ut dies noctesque etiam inter gravissimos labores ardentibus suspiriis versaretur in cœlis. hæc vires illi novas addidit. Totis noctibus hærebat in oratione veluti cœlo; mane redibat ad labores; similis S. Paulo, de quo Cyr. Hieros. *descendit rursus* (ex tertio cœlo) *non quod dignus non esset conversatione cæli, sed ut gustatis supercælestibus — Christum prædicaret.* Fons præcipuè illi fuit sanctissimum sacramentum Eucharistiæ, à quo recedebat instar ignei leonis, vel igneæ aquilæ, quæ in via crucis quiescere non poterat. ut dici de illo possit, quod Eusebius Emyss. dixit de S. Maximo hom. de eodem: *Quanto amplius de ipso sapientiæ fonte libabat, tanto ardentius æstuabat*, talia dicens: *O fragilitas humana! exiguum est quidquid agis propter spem æternorum. quantalibet acquisitione non desistas, quia adhuc superest quod requiras, ac totum ei videbatur parum, quidquid adhuc recipiebat augmentum.*

§. 6. *Magna fecit Xaverius; pertulit ardua: quæ omnia pro nihilo reputavit.*

Talis fuit Maximus Xaverius! quidquid agebat pro gloria Dei, & salute animarum, erat illi exiguum. fecit magna; intra decennium confecit duodecim millia leucarum, nec tamen quiescere poterat. indies de aliis regnis cogitabat. Integra regna convertit ad Christum, in centum sexaginta provinciis illum prædicavit, Millionem & ducenta millia hominum convertit, reges, sed parum fuit, quia videbat plures, præcipuè Chinensem pop. cōverti posse, baptizavit, in Indiis, in Molucis, in Japonia, sed totum hoc videbatur parum. plures in Chinis deside-

desiderabat baptizare. Sustinuit ardua in via crucis; sed parum fuit; rogos, flammas, cruces desiderabat in Japonia vel China pro Christo.

Genesis 12. v. 1. dixit Dominus ad Abraham, *Egredere de terra tua & domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* terminum à quo Abraham egressus est, nominat sacer codex, sed non terminum ad quem, sive terram, quæ illi erat parata. causam dat S. Basilius or. 7. *Locum occultat, ut animi constantiam exerceat; metam celat, ut cursum contendat.* hoc est mysterium. Zelus viri Apostolici non agnoscit terminos, vellet totum mundum Christo lucrari. Eia Xaveri egredere Roma, & veni in Lusitaniam, quam tibi Deus monstrat. Egredere Lusitania, aliam terram, Indias monstrat Deus; Egredere ex Indiis, Malacam monstrat Dominus. Egredere, in Japoniam te vocat Deus. Egredere Xaveri, China opem tuam implorat. China regnum amplissimum, & florentissimum totius Orientis, civitates in eo plurimæ; O Francisce! animæ innumerabiles, pro quibus Christus tuus mortuus est, quibus tamen infernus ibi impletur, tuum adventum expectant! His internis vocationibus crescebat indies in animo S. Francisci ardor & desiderium penetrandi in Chinas, præcipue cum adverteret Japones facile accepturos legem Christi, si id Chinenses facerent.

§. 7. S. Xaverius sensit se evocari in Chinam.

Sed iter hoc judicavit aptius ex Indiis adornari posse quam ex Japonia. Ergo alta hyeme reditum adornat; In via aliquando equiti se famulum obtulit; iter fuit difficillimum, per montes, per nives, per vepres; tanta tamen erat vis cœlestis dulcedinis, ut victis voluptate illa sensibus, subinde calcaret vepres, subinde pedes nudos illideret in saxa. sed nec spinas, nec vulnera, nec saxa, nec nives sentiebat amor. Injuriam fecerunt amori, qui illum pinxerunt alatum, Xaverius sine alis quasi volabat, quia amabat. Sanguine & cruore ex vulneribus defluente ita pingebat nives, ut purpureas rosas spargere videretur. ex his rosis deinde in Japonia creverunt tot rosæ Martyrum. Sed si inter has nives in Japonia hæsero, Chinensem portum cum Francisco, Oratio mea non attinget. Postquam M CCC.

§. 8. Et constituit aditum tentare. Redit ergo ex Jap. in Indiam.

 leu-

leucas confecisset, incredibili omnium gaudio Goæ exceptus fuit; omnium vox erat; ah rediit sanctus pater, rediit magnus Xaverius; non tamen gaudium illud fuit diuturnum. Quamprimum legationem à Vice Rege obtinuit ad Regem Chinensem, nomine Regis Portugalliæ, cum legato abiit Malacam, cujus urbis Gubernator honorem tantum invidens Antonio Vegæ, totã illã legationẽ disturbavit; incredibili Francisci dolore.

§. 9. *Redit in Japoniam ibi conscendit scapham, & abiit in Chinas.*

Postquam omnia frustra tentasset, Gubernatorem tanquam Legatus Apostolicus excommunicavit, nautæque Japonensi se credidit, rediitque Malaca in Japoniam. Ibi, totus anhelus ad Chinas, cũ alia occasio se non offerret, Chinensis nautæ scapham conscendit. dissuaserunt amici, sed nihil obtinuerunt, conjici advenas in carceres, spoliari vita, cremari, secari &c. talia accendebant desideria Francisci. Navis illi fuit fiducia in Deum; remi, alacritas. Vela ventis inflata, pia desideria; malus, divina providentia; Vexillum Crux, Navarchus amor. In hac navi post mille labores & pericula, sed ingenti solatio, Xaverius attigit Sancianum Insulam & portum in conspectu regni Chinensis. Ingenti gaudio & solatio!

§. 10. *Sed in ingressu moritur mors ejus similis fuit morti Moysis.*

Sed breve illud fuit! accidit illi quod accidit Moysi Deut. 34. v. 4. In monte excelso dixit illi Dominus; *Hac est terra quam promisi Abraham & semini ejus;- Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini,-- jubente Domino*, vel ut alia habet lectio, *in osculo Domini:* O Francisce, gratulor tibi de adventu in hanc Insulam, ecce hæc est terra tot tuis votis expetita, ecce hoc est regnum, in quod legi Christi occluserunt Satan & idololatria, hæc est terra, in qua tot animæ pereunt; Vides tuis oculis Francisce; ingredere, aggredere arcem superstitionis, ingredere ut plantes vexillum crucis; sed aliud placitum fuit cœlo. Non transivit ad illam; exigua febricula virum sanctum affixit lecto, in quo intra paucos dies, solus, derelictus ab omnibus inter dulcissima nomina, Jesus Maria, oculis in vulnera crucifixi defixis mortuus est servus Domini, in osculo sui Salvatoris. O vile tugurium, O palmarum rami, qui morientis corpus obumbrastis, dicite, si potestis, inter quæ gaudia & cœli solatia vir piissimus exspirarit. dicite,

qua-

quales fuerunt flores, quibus emortui cadaver resperserunt, quæ poma, quibus cum sponsus, quia languebat amore, stipavit? dicite qualis odor, quem virgineum corpus exhalavit? dicite quales coronæ delapsæ sunt de cœlo? dicite, qualis fuit musica, qua cœlestes spiritus Francisci animam è corpore ad cœlum deduxerunt? Musica Francisci fuit, *Iesu fili David miserere mei, Maria memento mei.* puto accinuisse Angelos, *Francisce satis, satis est*; *Veni de libano veni coronaberis,* ad aliud regnum te vocat Dominus. Et moritur S. Xav. geme China, obiit Xaverius qui cogitabat te Christo lucrari. geme India, occubuit &c. plange Oriens &c.

Sic mortuus est Xaverius. sic sol ortus in Occidente, occubuit in Oriente. Sic tandem navicula Xaverii plena mercibus in portu passa est naufragium, & per naufragium attigit portum cœlestis gloriæ. Sic tandem illa columba, quæ tot millibus portavit ramum Olivæ, ex ergastulo corporis evolavit ad montes gloriæ. Sic tandem combustus & Phœnix, inter flammas amoris, redivivus in gloria. hic Deus Indiarum Herculi posuit columnas, quibus ejus amor & zelus inscribere debuerunt, non plus ultra. hic tandem Indianus Atlas oneri succubuit; hic invenit laborum finem, & felicitatis initium, Sancianum insula fuit ager, in quo vir Apost. preciosa morte invenit preciosam margaritam, quam tot inexhaustis laboribus & gravibus itineribus quæsivit. Ut gratus sit, aliam preciosam margaritam terræ illius agri vel insulæ restituit, scilicet sanctũ suũ corpus & cadaver, quod Lusitani Mercatores magno fletu & luctu, piisque lacrymis ibi sepelierunt. Meum est ut meo Xaverio piissimo parenti & patrono mortuale mausolæum erigam, eique epitaphium inscribam. Sed quis saxa, quis colores, quis calamum in deserta insula mihi dabit? Auxilium variis aliunde spero. §. 11. *Quam fortunata ejus mors.*

Quæso vos O felices fluctus & undæ quæ toties exultantes vexistis Xaver. conchas, sed pulcerrimas, sed candidissimas advolvite, ex illis conficiam tumulum, illisque inscribam, *Hic jacet Franciscus Xaverius, magnus Orientis Apostolus.* eia fluvii, vel Chinæ, vel Japoniæ, vel Indiæ, huc fluite, ut vobiscum fluant aureæ arenæ; illis tegam tumulum Francisci §. 12. *Erectio tumuli S. Fr. cum Epitaphio.*

& hanc epigraphen inscribam; *Hic jacet Xaverius, cujus generosæ mentis* (locus floridus & Rhetoricus in laudem S. Fr.) *amplitudinem, cujus virtutis ardorem nec Europa, nec Africa, nec Asia, claudere potuisset, hic triumphalis mors brevi urna conclusit.* Commodè adestis divites undæ ex ora piscaria, video quos advehitis nitidissimos uniones, ut illis ornem tumulum Xaverii; iisdem hos characteres efformabo: *Quot uniones Indicum numerat mare, tot mira, tot magna patravit Xaverius, tot animas intulit cœlo; tot centenorum millium pater & pastor, hoc tumulo sepultus jacet.* Eia Indici maris Nymphæ vos gemmas afferte, Smaragdos, pyropos, adamantes, sed lucidissimos ut luceant in tumulo Xaverii, in illis hoc elogium; *hic jacet Fr. cujus potentiæ elementa omnia, cujus integritati mors ipsa victa cesserunt.* Eia Indici montes, per sylvestres deas, mittite frusta marmoris, de optimo, frusta auri, de optimo, frusta argenti, de optimo, ego inde Francisco erigam monumentum, & hoc lemma insculpam: *hic vir ille jacet, cujus virtuti nihil fuit arduum, magnitudini nihil amplum, animo nihil magnum, labori nihil impervium, nil onerosum constantiæ, nil difficile caritati, qui tranavit maria, adivit incognita, penetravit inaccessa, vicit Iaponiæ frigora, Indiæ superavit ardores, ut animas Christo lucraretur.* Eia Chinenses palmæ, folia, ramos, elatas pulcerrimas dejicite, inter illas, hæ gemmæ, hi uniones radiabunt clarius. Tu cœlum radiantes depluе stellas, ut velluti lampades luceant coram hoc tumulo, ego illas ita disponam, ut hæc forment verba, *hic jacet sanctus pater, magnus Xaverius.*

§ 13. *Pius erga S. Xaverium affectus.* Revoco omnia mea desideria, non cupio conchas, concha cor meum erit; unio amor Xaverii. Non cupio uniones, unio cor meum erit, inscribam, cor servi Xaverii. Non cupio gemmas, cor meum gemma erit, imperabo amori, ut insculpat, filius Francisci. Non cupio folia vel flores. flos, cor meum erit; floris venustas, nomen Xaverii. Non desidero stellas, stella cor meum erit, ut luceat, ut ardeat radiis amoris, Deo & S. Francisco Xaverio.

Finio

Finio O S.Francisce, sed ardenti desiderio. Aquilam ante te vocavi, & merito, aquila es, quæ suis alis totum Orientem inumbravit; &c. ego pullus tuus sum, eia Xaveri, me tuis humeris impone, & perduc ad solem &c. est locus pro pulcro epilogo. §. 14. *Ardens petitio authoris ad S. Xaverium.*



CONCIO LIV.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B.M. VIRGINIS.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

Matt.1. cap. v.16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars proponit insignes aliquas congruentias, sumptas ex diversis locis S.Scripturæ, pro Immaculata Virginis Conceptione. Altera, ex SS.Patribus aureum colligit Alphabetum eximiorum elogiorum. in favorem ejusdem immaculatæ conceptionis.

§. 1. *Secundum axioma Iuris; in dubio, potius favendum est reo, quam actori.*

§. 2. *David liberatus à gladio Goliath, fuit figura liberatæ & præservatæ Virginis à peccato Originali.*

§. 3. *Prosecutio. David potuisset prius à Goliath vulnerari, deinde sanari; sed alterum fuit gloriosius.*

§. 4. *Quod commendat, tanquam peculiare beneficium.*

§. 5. *Sic aliqui sentiunt, B. Virginem in conceptione fuisse quidem vulneratum, sed sanatam.*

§. 6. *Nos asserimus contrarium glorio-*

gloriosius enim est Virgini nunquam fuisse læsam.

§.7. *Aliud axioma Iuridicum, in favorem B. Virginis.*

§.8. *Prosecutio.*

§.9. *Debetur eidem gloria montus Libani. Quænam illa sit.*

§.10. *Quare Maria, à sponso ter dicatur pulcra.*

§.11. *Quare sponsa lectulum suum vocet floridum.*

§.12. *In prima conceptione, B. V. fuit thronus, custoditus à fortissimis leonibus.*

§.13. *Alphabetum excellentiarum B. Virginis, respectu SS. Trinitatis, ex quibus confirmatur Immaculata conceptio.*

§.14. *In A. B. C.*

§.15. *In reliquis literis.*

§.16. *Epilogus ex hoc Chronographico. TV spe CVLVM es DEIpara.*

§.1. Secundum axioma juris in dubio potius favendum est reo, quam actori.

EST ex Jurisconsultorum & Canonistarum regulis, una, quæ hodierno immaculatæ conceptionis festo, mihi cumprimis placet. sic autem habet. *Cum de alicujus libertate judicatur, semper in libertatis favorem sententia proferenda est.* Si de quopiam. v.g. promovendo ad dignitatem, vocetur in dubium, an sit natus liber, nec ne, an servus, & mancipium, tum si rationes contra reum allatæ, non concludant evidenter, volunt Jurisperiti in ejus favorem pronuntiandam sententiam; nam, *cum jura partium sunt obscura, reo potius favendum est, quàm actori, ut ait glossa.* Post tot pontificum decreta, ut ultimam Bullam Alexandri VII. vix opus est, amplius revocare in dubium; an Beata Virgo, concepta fuerit in peccato Originali, nec ne; sive, an concepta fuerit in utero Annæ, libera ab omni noxa, an verò serva & mancipium infernalis serpentis; si tamen alicui placeret, mihi nihilominus quæstionem illam proponere, libere respondeo cum Jureconsultis, in favorem Virginis, & Dominæ, & Reginæ, & Matris Dei dicendum esse, illam in primo conceptionis momento, ab omni cujuscunque peccati servitute fuisse liberrimam. Præterquam, quod etsi verum esset, jura partium esse obscura, (quod tamen non concedimus) reæ nihilominus favendum sit potius, quam actoribus. Novi animos vestros Auditores; novi non injucundum fore

fore pietati vestræ, si Virginis patrocinium suscipiam, afferendo, eximia aliqua argumenta ex sacris literis, & copiosum numerum elogiorum Magnæ Matris, ex quibus clare patebit, Mariam fuisse immaculatè conceptam; itaque dum illud hac panegyri facio, ut me benevolè audiatis, enixè rogo.

§. 2. *David liberatus à gladio Goliath, fuit figura liberatæ & præservatæ Virginis à peccato Originali.*

In eum finem, ut dixi, mea hæc dictio collimabit, ut recreem vos pulcerrimis, tum rationibus & congruentiis ex sacra scriptura, desumptis, tum eximiis magnæ Matris elogiis, in favorem Virginis immaculatè conceptæ. Et inprimis, illius protectionis, custodiæ, sive, ut scholæ loquuntur, præservationis, qua Maria à lue peccati originalis in primo conceptionis momento liberata & præservata fuit, figura fuit David, dum psalmo 143. ob peculiare beneficium DEO gratias egit, his verbis: versu 1. ***Benedictus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*** Versu 2. ***Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus.*** Versu 3. ***Protector meus, qui subdit populum meum sub me.*** & tandem versu. 10. ait; ***Qui redemisti servum tuum, de gladio maligno.*** Quis non cogitat, de quo gladio locutus fuerit regius Psaltes; sed dudum dixerunt varii Interpretes, locutum Davidem de gladio Goliath. Nimirum malignus fuit ille gladius, quem adeo maligna sustinuit dextera. maligna profecto arma, quæ innocentis Pastorculi sanguinem sitiebant. Sed vicit malignitatem Bonitas, prostratus jacet Goliath, David victor triumphat; hinc DEO laudes meditatur, hinc concinit gratiarum actiones, hinc erumpit in voces lætitiæ, hinc gaudens exclamat, ***Redemisti servum tuum*** O Deus, ***de gladio maligno.***

§. 3. *Prosecutio. David potuisset à Goliath prius vulnerari, deinde sanari, sed alterum fuit gloriosius.*

Cum verò David nunquam fuerit læsus ab illo gladio, cum à Goliatho vulneratus non fuerit, multò minus lethale vulnus inflictum illi fuerit, quare agit gratias, quomodo se ait redemptum? Subtilius latet mysterium, quàm primo intuitu perspiciamus. Enimverò, nunquid fieri potuisset, ut Da-

ut David, licet vincere hostem oportebat, & Goliathum prosternere, tamen prius ipse læsus fuisset? nunquid contingere poterat, ut Goliath prius sua lancea, vel gladio, Davidi vulnus infligeret; ut tum eximius pugil & athleta viso suo sanguine, factus animosior, arrepta funda projecisset lapidem in frontem Goliathi? Certe hoc connaturalius videbatur; Erat siquidem Goliath armatus, David inermis; erat exercitatus in præliis, versatus in duellis, dexter in conflictibus Goliath, inter arma enutritus; rudis è contra David, imperitus, ignarus; Erant Goliatho arma ejusmodi, quæ vel solum eminus visa terrorem heroi cuicunque incuterent; Davidi, præter fundam pastoritiam, & pauculos lapides, nihil. Goliath erat statura grandis, & ut loquitur S. Chrysostomus, *turris carnea*; pusillus David, verbo, nulla hujus erat, ad illum comparatio. Itaque nemini mirum videri poterat, si David à Goliatho læsus fuisset. Præterea, si vulnus illi inflictum fuisset, an non idipsum arte medica curari potuisset? an non hoc ipsi gloriosius extitisset, certè vulnera in bello ab hoste accepta sunt honoris & gloriæ, fortitudinisque symbola. Hic noster est discursus Auditores.

§. 4. *Quod commendat, tanquam peculiare beneficium.*

Verum David agnovit longè majus beneficium sibi præstitum fuisse, quod plane à vulnere & periculo mortis fuerit præservatus; quod nullum à maligno Goliathi gladio, vulnus fuerit inflictum, & hanc gratiam vocat redemptionem, dum ait *Benedictus Deus,--qui redemit me.* Cassiodorus super hæc verba; *Intelligendus est, de gladio Goliath, non quod vulneraverit illum prius gladio suo Goliath, sed quia præservavit eum Dominus de tali gladio, ait, Redemisti servum tuum.*

§. 5. *Sic aliqui sentiunt, B. V. in conceptione fuisse quidem vulneratam, sed sanatam.*

Ecce, pulcerrimam historiam, ex qua cognoscere possumus, qua ratione beatissima Virgo, à Filio suo, ab omni peccato, etiam originali fuerit redempta. Vulneratus! acutus! penetrans! devorans gladius est peccatum Originale; hoc gladio infernalis Goliath aggreditur, ferit, lædit, dejicit omnes, qui de Adamo descendunt. Putant aliqui, etiam Mariæ, in primo conceptionis momēto hunc gladium, lethale vulnus inflixisse; sed mox oleo & balsamo divinæ gratiæ illud fuisse sanatum; & hoc

hoc titulo Redemptionem B. Virginis fuiſſe ſingularem; potuiſſet enim uſque ad nativitatem, more aliorum hominum per novem menſes, relinqui ſauciam, veneno infectam, turpi macula turpem, ſervam, mancipium, captivam, in manibus Goliath. Sed per eximiam prærogativam placuiſſe Deo, ſtatim illam redimere, & ſanare.

Nos verò aſſerimus, talem & tantam Virginem, non debuiſſe eſſe pejoris conditionis, quàm fuerit David. Alio modo hic fuit redemptus & liberatus à gladio Goliathi, cuſtoditus enim fuit ſub ſcuto altiſſimi, ne unquam læderetur, & ideo gloriatur de illa protectione, tanquam de beneficio plane ſingulari; potiori jure idem dicamus de Regina Orbis, de Matre Dei, ita fuiſſe redemptam, ut à peccato originali prorſus & ſemper, etiam primo conceptionis momento fuerit illæſa: dicamus, Benedicta ſit ſanctiſſima Trinitas, quæ filiam, Matrem, ſponſam nobiliſſimo modo redemit, & ſub pedibus ejus ſubdidit infernalem ſerpentem. Hoc fieri potuiſſe, quis dubitat obſecro? cur igitur factum non aſſeremus? Imò aſſerimus! primo conceptionis momēto lethalis ille ictus, venenati gladii, vi ſanguinis Chriſti, averſus ab illa fuit, & ſic liberata atque redempta eſt, Maria! ideo Caſſiodorus in perſona Virginis ſic loquitur. Redemit me, non quod Goliath, ſive, peccatum originale, vulneravit me prius, ſed quia de hoc gladio, me Dominus præſervavit.

§. 6. *Nos aſſerimus contrarium. Glorioſius eſt Virgini, nunquam fuiſſe læſam.*

Ne in hoc loco ſacræ ſcripturæ, & iis quæ allaturus ſum, mihi continuo quiſpiam in aurem dicat; dici hoc poteſt in commendationem Virginis, ſed & contrarium. Hactenus utraque opinio fuit probabilis; nihil enim ab Eccleſia eſt determinatum; concedam ego modo hæc omnia; ſed tantum in memoriam his revoco, axioma hoc Juriſtarum, *Quod mihi prodeſt, & tibi non nocet, teneris id facere.* Cajus v.g. apud Judicem prætendit nobilitatem; Judex ob juſtas utrimque cauſas, cuique relinquit, liberum, an talem velit nobilem credere, nec ne; idque citra omnem obligationem. *Certè, qui eum non nobilem, ſed ignobilem, vel plebeium nominat, ſignum dat inimi-*

§. 7. *Aliud axioma Iuridicum in favorem B. Virginis.*

citia, quia cum alteri prodesse possit, absq; proprio nocumẽto, non facit.

§. 8. *Professio.* Apud supremum Ecclesiæ tribunal multis jam annis litigatur, de suprema nobilitate B. Virginis; id est, an immaculatè concepta credenda sit Regina Virginum, decretoria super hac re, necdum est lata sententia; in favorem tamen illius, præludia facta non pauca; usque adeo, ut stantibus à parte immaculatæ conceptionis, sacri indulgentiarum thesauri à summis Pontificibus sint concessi. Quid agimus Auditores? quid? si contra eam, vel sentimus, vel loquimur Virginem, si eam primo conceptionis momento ignobilem, imò mancipium Cacodæmonis, dicimus, credimus, an non signum damus inimicitiæ? Absit hoc à me, purissima semper Virgo, absit hoc à servo clementissima Domina, à cliente & filio tuo, amantissima Mater! amoris, affectus, benevolentiæ, amicitiæ, fidelitatis signa exhibere cupio; absit à me umbra alicujus malevolentiæ. Alia mihi de te, mens est; alia sententia; nam cum mihi non obsit, imò verò plurimum expediat, tuam propugnare conceptionem immaculatam, ingratus omninò sim, ne dicam impius, si illud non faciam.

§. 9. *Debetur eidem gloria Montis Libani Quenam illa sit.* Cum suavitate eructat cor meum, cum dulcedine labia mea pronuntiant, & calamus linguæ meæ scribit velociter, gloriosa, de virgine immaculate concepta, & magna, quæ illi fecit, qui potens est. Dicam ergo cum S. Isaia cap. 35. v. 2. *Gloria Libani data est ei.* id est, montis dealbati, vel candidissimi. Et quænam illa gloria hujus montis? quænam hæc eximia illius prærogativa, & eminentia supra reliquos colles? Gloria montis Sinai est, quod in illo Moysi data fuerit lex; gloria montis Horeb est, quod Deus in illo locutus sit Abraham; gloria montis Thabor, quod in illo fuerit transfiguratus Rex gloriæ. Gloria montis Sion, quod in eo Salomon exstruxerit regiam suam &c. Et quænam est illa gloria, ob quam B. Virgo comparatur cum monte Libani? fortassis illa, quod in hoc monte crescant nobilissimi Cedri, de quibus Salomon scripsit ad Regem Sidonis l. 3. reg. c. 5. v. 6. *Præcipe igitur, ut præscindant mihi servi tui Cedros de Libano, quia cogito ædificare templum Domino*; adeo, ut Dei

mater,

mater, sub typo nobilissimæ hujus arboris de se dicat Ecclesi. 24. v. 17. *quasi Cedrus exaltata sum in libano.* Sed mitto similia: inquiro montis Libani gloriam singularem, quæ mihi serviat pro stabilienda immaculata conceptione, ut cum jubilo dicere possim, Mariæ detur gloria montis Libani. Et est hæc: quod nulli serpenti, vel aspidi aut venenato busoni, ad hunc montem patet aditus, neque patuit in primis ejus fundamentis, quæ Deus posuit, cum semine & radicibus Cedrorum, quas animalium venenum inficere non potest: solus harum radicum, Cedrorumq; odor pellit & fugat serpentes; his positis excipite verba S. Bon. ser. 4. de concept. *Ideo B. Virgo frequenter Cedris Libani comparatur, quia serpentes fugant & occidunt; quia ipsa statim in conceptione contrivit draconis caput.* Concipi, & conteri hunc serpentem, idem fuit. Prima Radix Cedrorum in monte Libano fuit sancta, plena odoribus cœlestibus quos ille buso ferre non potuit; sed conversus est retrorsum, & fugit. Gratulor tibi, O Domina, quæ quasi Cedrus exaltata es in Libano, teste Spiritu S. procul proinde à te, omne serpentum genus, omne fel draconum, omne venenum aspidum, omne busonum virus. Debetur, & ideo detur tibi gloria Libani!

Perge cor meum, eructa gloriosa! pergite labia, pronuntiate magna; perge, calame linguæ meæ, scribe eximia, pro justa defensione, im̃aculatæ conceptionis. Id me facere docuit cœlestis sponsus & sapientissimus Salomon, cum Cant. c. 4. v. 7. Sponsam, sive Mariam his verbis cõpellavit. *Ecce tu pulcra es; tu pulcra es, & tota pulcra; & macula non est in te.* Non sine mysterio Maria ter dicitur pulcra, cum illud vobis exposuero, una mecũ exclamabitis, itaq; gloria & decus pulcritudinis absolutissimæ, detur Virgini immaculatè cõceptæ! subtilissimè advertit Idiota triplici potissimum macula infici & maculari animas homin. peccato originali omnes; mortali, multas; veniali plerasq; illorũ scilicet qui ad usum rationis pertingant; nisi gratia aliqua extraordinaria, qualis fuit in Apostolis & eximiis sanctis, aliud operetur. Sola Maria, inter omnes puras creaturas pulcra fuit, quia macula peccati mortalis non fuit in illa. Iterum pulcra

§ 10. Quare Maria, à sponso, ter dicatur pulcra.

fuit, & pulcrior, quia neque macula peccati venialis unquam illam infecit. Tertium pulcra eſt, & tota pulcra, & pulcerrima, quia nec peccati originalis labes, vel primo conceptionis momento pulcerrimam illam animam maculare potuit. Totum diſcurſum paucis verbis Idiotæ vobis proponam. *Tota pulcra es Maria*: hoc eſt, *non in parte, ſed in toto; & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive, Originalis non eſt in te.* Pulcra eſt Maria, pulcra eſt, & tota pulcra. Ite Mariani Clientes, nectite coronam ex elatis Cedrorum; ego apponam lemma, *Detur pulcerrimæ*; ut corolla hæc ſit ſymbolum gloriæ, quæ ſoli Mariæ debetur; ſi cui placet, ſignum inimicitiæ erga illam oſtendere; auferat illi hanc coronam. A me illud abſit longiſſimè. amo, amo, amo, pulcram, pulcram, pulcerrimam Mariam.

§. 11. *Quare ſponſa lectulum ſuum vocet floridum.* Encomio ſponſi, quo pulcra ab illo appellatur, ecce tu pulcra es, reſpondet illa Cant. 1. v. 15. *Ecce tu pulcer es dilecte mi, & decorus.* Subdit ſtatim, *Lectulus noſter floridus eſt.* Quid pulcritudini cum lectulo, cum floribus? reſpondet Salatinus l. 7. cap. 8. Virginem voluiſſe dicere, *Lectulus noſter, id eſt, conceptio noſtra eſt florida, atque odorifera, absque peccati corruptione.* Hoc eſt, *verbum caro factum*, ſive Deus homo & parvus infans, obumbrante virtute altiſſimi, in utero Virginis, in primo Incarnationis ſive conceptionis momento, fuit puriſſimus, innocens, impollutus, ſanctus, imò ipſa ſanctitas, cui repugnat omnis macula etiam leviſſimi peccati, & talis fuit eſſentialiter, ex eſſentia, abſolutè, neceſſario; Ex privilegio verò, & decreto benevolentiæ ſingulis, Patris erga Filiam, Filii erga Matrem, Spiritus S. erga ſponſam, ejuſdem lectulus in prima conceptione fuit floridus; conceptio ejus fuit ſancta. Debetur, proinde detur Mariæ hæc gloria.

§. 11. *In prima concept. thronus, cuſtoditus à leonibus.* Inſiſto Mariano meo affectui; atque ut adhuc ſemel loquar glorioſe de immaculata Virginis conceptione, dico ex l. 3. reg. c. 10. v. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, veſtivitque eum auro fulvo nimis*; Sex habuit gradus, & duas exhibebat manus, hinc inde tenentes regium ſedile; duo leones

ſtabant

ſtabant circa manus ſingulas; deinde duodecim alii minores ex quovis latere ſex, juxta numerum graduum. Glorioſiſſima Virgo in prima conceptione fuit eburneus hic thronus; non Salomo, ſed tota ſanctiſſima Trinitas illam formavit; ex ebore, materia candidiſſima, veſtivitque auro gratiæ precioſiſſimo; ſed his circumſtantiis modo non inhæreo: gaudeo ejus formationi adfuiſſe fortiſſimos leones, ſive cœleſtes ſpiritus ad cuſtodiam regii throni. Quis dubitat? cum hodierna die, in utero Annæ hic thronus præparatus fuit, id eſt, cum creata fuit anima B. Virginis, unienda corpori; infernalis coluber per rimas peccati originalis, conatus fuit thronum illum conſcendere; quod jam in cœlis tentaverat, cum thronum altiſſimi voluit conſcendere; ſed mox adfuere fortiſſimi leones, cœleſtis militiæ archiſtrategus, qui ut exclamavit: Quænam ut Maria, Mater Dei, inſtar fulguris venenatus draco in inferos dejectus fuit. Non! non! non permiſere cœleſtes leones, Angelici Spiritus, virginalis & regii throni Cuſtodes, ut vel momento diabolus in illo conſideret. Piiſſimus Spinellus ſic ait: *Sancti Michaelis, & Angelorum prælio, infernalis coluber, ne originaria labe tangeret Virginem, victus, captusque eſt.* Albertus M. *Cautum fuit, ne præparatum æterno Regi hoſpitium,* (vel momento) *alienus hoſpes,* (& talis hoſpes) *invaderet.* Detur hæc gloria Mariæ.

Non poſſum in una concione, innumeris ſimilibus locis ex ſacra ſcriptura, ſanctorumque Patrum ſcriptis, diutius inhærere; dixi innumeris, collegi enim plurima, & quidem integrum Alphabetum illarum excellentiarum B. Virginis; & quidem illarum tantum; quæ ad ſanctiſſimam Trinitatem peculiarem dicunt Ordinem, ideoque, peculiares involvunt analogias, comparationes, & congruentias, ob quas audacter aſſerimus B. Virginem fuiſſe immaculate conceptam. Referam aliquas.

§. 13. Alphabetum excellentiarum B. Virginis, reſpectu SS. Trinitatis, ex quibus confirmatur immaculata conceptio.

In A, v.g. Maria, dicitur, *Aula, Altare, Arca* SS. Trinitatis, Amica! Cogitet, qui volet, in illa *Aula* habitaſſe olim dæmonem; ſub illo *Altari* delituiſſe infernalem colubrum; in illa *Arca* concluſum extitiſſe bufonem peccati Originalis: illam

§. 14. In A, B, C.

Jam Amicam fuisse Deo inimicam. Ego timeo signum inimicitiæ; & proinde liberè, sine ullo timore pronuntio; in primo conceptionis momento, *aulam* illam fuisse sanctam; illud *altare* mundissimum; illam *arcam*, cui deinde includi debuit manna verbi incarnati, fuisse inductam auro caritatis, & plenam gratia amicam semper amicam. In *B.* dicitur Maria, *bona*; *bona filia Patris, bona Mater Filii, beata sponsa Spiritus Sancti*; par erat, ut primo conceptionis momento, ab illa bonitate abesset malitia peccati Originalis. *In C.* est *cœlum, civitas Dei*, de qua dicta sunt gloriosa! & quæ gloriosa, si in eam infernalis Sennacherib, cum ab altissimo fundata fuit injecit sagittam peccati originalis? quæ gloriosa, si isti serpenti, apertæ fuere portæ hujus urbis? ego eloquor gloriosa, dum assero, nunquam talia contigisse, sed Mariam in principio creatam fuisse veluti serenissimum cœlum.

§. 15. *In reliquis literis.* In litera *D.* Mariâ est, *Domus, domicilium, Dulcedo, Domina, Dilecta, Dilectissima Trinitatis, Dominatrix, Debellatrix*; *Deliciæ Orbis*. Cogitet iterum qui volet, in illa *domo* & *domicilio* habitasse infernalem tyrannum; illam *dulcedinem* fuisse mixtam tam amaro felle; illam *Dominam, Dominatricem, Debellatricem* ingemuisse sub turpi jugo, illam *Dilectissimam* jacuisse in utero matris dignam odio; illas delicias potuisse cadere inter spinas. Ego timeo signa inimicitiæ; quia mihi non obest, assero contraria &c. *In E.* est *Eva cœlestis*, est *exaltata* super omnes Angelorum choros. *In F. Ferculum, flos, fons, forma*, SS. Trinitatis. *In G.* illius amœnissimum *gaudium*, & *gloria*. *In H. habitaculum, hospitium, honor, hortus* SS. Trinitatis *In I.* illius *idea, & imago* perfectissima. *In L.* Trinitatis *Laus, lætitia, liber, lectulus. In M. Mediatrix inter Deum & homines, miraculum miraculorum miraculosissimum. In O. ornamentum, oblectamentum. In P. Paradisus, Palatium, prodigium, Pulcerrima. In Q. quies. In R. radius, Rosa, Reclinatorium Verbi Incarnati. In S. Sacellum, soror, sacrarium, sigillum, simulacrum, splendor, statua, sponsa* SS. Trinitatis. *In T. tabernaculum, templum, Thronus, Thalamus, Thesaurus. In V. Vas, Vallis, Vmbra. In Z. Zelatrix Patris,* Filii,

Filii, & Spiritus S. Ecce sexaginta quatuor elogia in aureo alphabeto excellentiarum B. Virginis ob quas mihi certissimum est, imò, tam certum, ut animam, vitam, & sanguinem ausim certando deponere, B. Virginem fuisse immaculatè conceptam, quod modo fusius explicare non possum; sufficiat piis cogitationibus & affectibus erga B. Virginem illas insinuasse.;

Unum titulum ex litera *S.* pro Epilogo mihi reservavi, ut eleganti Chronographiæ, immaculatæ Virgini applaudam, & dicam, *TV, speCVLVM es DeIpara*: & quidem sine omni macula etiam peccati Originalis. Ita, una mecum dicite hodie millies, ut dicere possim cum S. Anselmo, Celebrantibus festum conceptionis Virginis, datur à Filio suo Domino nostro Jesu Christo, pax & longa salus. Amen! §16. *Epilogus in hoc Chronographico, TV speCVLVM es DEIpara.*



CONCIO LV.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Affer manum tuam, & mitte in latus meum.

Joan. 20. cap. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat S. Thomam fuisse Apostolum sapientissimum, ditissimum, pulcerrimum, fortissimum. Afferuntur deinde varia emblemata in honorem lanceæ, qua occubuit.

§. 1. Breve Exordium conglobat sex eximia elogia S. Thomæ.

BEnedictus Fidelis, eximius concionator, in suo Paradiso sanctorum, S. Thomam vocat, Apostolum sapientissimum, ditissimum, pulcerrimum, ardentissimum, fortissimum, felicissimum. Sex eximia sunt isthæc elogia. Ego mecum constitui auditores, thesauros, fontes, venas, scaturigines, in quibus S. Thomas tantam sapientiam, tantas divitias, tantam pulcritudinem, talem ardorem, fortitudinem & felicitatem invenerit, brevi hac panegyri ostendere; ut si velimus eadem omnia ibidem inveniamus. De vestra interim attentione, piisque erga ea, quæ audituri estis affectibus, nullus dubito.

§. 2. Ioannes unde sapiens, Petrus unde dives, Stephanus pulcer, Magdalena ardens, Simeon fortis, latro felix.

S. Joannes Evangelista, Joan. 21. v. 20. vocari solet sapientissimus, eo quod supra pectus Domini in ultima cœna recumbens hauserit inde fontes sapientiæ; præcipuè altissimam cognitionem, altissimi mysterii SS. Trinitatis, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Item, incarnationis, verbum caro factum est. S. Petrus Apostolus, dici potest ditissimus, quia à Christo D. accepit claves regni cœlorum Matt. 16. v. 18. Stephanus in suo agone inter saxa & lapides, visus fuit pulcerrimus velut Angelus, quia vidit Christum D. sedentem ad dexteram Patris in gloria sua Act. 7. v. 55. Magdalena pœnitens in conversione fuit ardentissima in amore, quia tetigit & lacrymis rigavit pedes Magistri sui; Luc. 7. v. 42. Simeon senex, accipiens Jesulum in ulnas suas, factus est adeo fortis, ut mortem non timens dixe-

dixerit, *nunc dimittis servum tuum in pace.* Luc. 2. v. 29. Bonus latro fuit felicissimus, quia jam morti vicinus Jesum aggressus, ex manibus ejus rapuit paradisum. De S. Thoma, qui sanctissima vulnera, benedictum latus, & dulcissimum cor Jesu, tetigit atque palpavit, quid dicemus?

§. 3. *Thomas fuit sapientissimus, quia tetigit vulnera Salvatoris.*

Dico fuisse sapientissimum; nam (S. Thomas de Villa Nova) *ab illo pectore arcana cœlestia hausit Joannes dormiendo; in illo, Thomas grandes thesauros reperit, scrutando.* Itaque si felicem dicimus virgineum illum Mariæ filium, & dilectum Christi discipulum, qui supra Domini pectus recubuit in cœna; quid ni & felicem dicamus D. Thomam, cui amplius aliquid indulsit divina clementia; si Joanni de singulari sua prærogativa, quod in gremio, ut ita loquar, divinitatis dormiverit, & quieverit, congratulamur; quidni & hodie D. Thomæ congratulemur, qui in ipsa divinitatis Christi adyta manum immersit? si Joannes thesauros sapientiæ & pulcerrimarum cognitionum invenit quiescendo, quid invenerit palpando D. Thomas? si etiam ex clausis portis, cœlestes eruit opes Joannes, quid ex apertis extraxerit Thomas noster? præ omnibus Apostolis, sanctissimis Christi Domini vulneribus, & ipso cordi vicinior, atque conjunctior.

§. 4. *Jesus gloriosus fuit sol, illuminans omnes Apostolos, multo magis S. Thomam: quare?*

Cum Christus D. se sisteret in medio Apostolorum, apparuit splendor in corpore ejus glorioso, quantum oculi potuerunt ferre mortales. Stetit Jesus in medio velut fons luminis, veluti sol Justitiæ. Radiarunt præsertim quinq; SS. Vulnera, veluti totidem radiantia sidera; & ideo discipuli, viso Domino, omnes illuminati fuerunt non radiis tantum gloriosis, à radioso corpore evibratis exterius; sed intrinsecus, radii fidei, spei, caritatis, sapientiæ &c. O quid igitur de tuo dicemus splendore, beatissime Thoma! Tu, tu, divinissimum illum solem non aspexisti tantum oculis aquilinis, ut Joannes; tu, tu! non evolasti solum ad lucidissimã solis illius sphærã; sed, ut ita loquar, etiã in illã involasti, quãdo manº immisisti in benedictũ latus. Et quis porro dubitet de radiis tuæ sapiẽtiæ, de radiis virtutũ, de radiis fidei, spei, caritatis, de radiis altissimarum cognitionũ, ob quas radiosa tua

lingua in illas voces mox erupit, Dominus meus & Deus meus! Quomodo potuit non luere totus, & ardere, qui semet ipsi lucis atque ardoris fonti immersit?

§.5. *Mirabilis fons Epiri.* In Epiro dicitur esse fons, qui flammeis scaturit & fluit aquis, in quas si extinctas immergas faces accenduntur. Fax extincta in fide erat Thomas; extinxerat illam, mors tam ignominiosa sui Magistri. extinxerat furor & rabies Judæorum; extinxerat incredulitas; sed momento quo hæc fax admota fuit ad fontem solis, quamprimum Thomas manum immersit in ardentem fornacem benedicti lateris, ita exarsit, ut ex ardenti pectore, flammeas illas voces expresserit, Dominus meus, Deus meus! S. Antonius de Padua Dominica prima Adventus, cor Christi vocat *civitatem solis*, per quam effulsit splendor æternæ lucis, Tali splendore, ejusmodi radiis hodie illustratus fuit S. Thomas; præsertim dum solem hunc, non solum aspiceret, sed veluti alter cœlestis Prometheus contingeret, ut factus fuerit illuminatissimus & sapientissimus Apostolus, sive, ut S. Petrus Damianus loquitur, *Thomæ digitus factus est magister mundi*; vel alter Joannes Baptista, digito suo, non tantum monstrans Christum, sed contingens, & dicens, ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi! Ecce Deum! Ecce hominem! Fons hujus sapientiæ, fuerunt Vulnera Christi.

§.6. *S. Thomas in Vulneribus Christi invenit magnas divitias.* In quibus præter altissimam sapientiam ingentes quoque invenit divitias. S. Bernardus cor Christi vocavit, Arcam totius boni, vas dives. S. Chrysostomus, Marsupium Divinitatis. Dum ergo liberalissimus Salvator Thomæ dicendo, Affer manum tuam, infer digitos in latus & cor meum, illi arcam istam, & cistam thesaurorum quasi aperuerit, quod miramur; si Thomas inde rapuit ditissimos virtutum, & gratiæ thesauros. Quam similitudinem præ oculis videtur habuisse S. Bonaventura ser. 3. Dom. 1. post Pascha, ubi ait: *O Thoma! felicem habes licentiam à Salvatore tuo, ut manum mittas in latus, cujus beneficio in gratia & gloria sublimaris*, manus Christi resurgentis sponsa vocavit tornatiles, id est perforatas in cruce; sed addit nihilominus esse aureas & plenas hyacinthis. O rutilos hyacinthos, quibus

quibus cœlestis sponsus ornavit coronam gloriæ, qua coronatus est Thomas; ut ipse Christus Dom. dixerit S. Brigittæ lib. 7. revel. c. 4. *S. Thomas Apostolus meus est thesaurus*, q. d. credi vix potest, quales divitias Thomas hauserit ex benedictis meis vulneribus. Ut piè suspiraverit idem S. Bonaventura, *O bone Iesu! quàm mihi vilescunt omnes creaturæ! Domine, tollo universa, omnia tibi restituo; tu mihi da vulnera tua.*

Hyacinthi vel carbunculi, qui S. Thomam eximia ornarunt pulcritudine, fuerunt guttæ preciosissimi sanguinis, ex cujus contactu in SS. Vulneribus, à lepra incredulitatis mundatus, eodem momento ardere cœpit flammis pulcerrimi amoris erga Deum & Dominum suum. Non occurrunt mihi modo nomina illorum SS. Patrum, apud quos legi, cor Christi fuisse & esse Regiam, Sedem, sive Domicilium amoris: idem elogium merentur manuum, pedumque sacrosancta vulnera; certè S. Thomas hic subito reperit amorem. De cicatricibus S. Seraphici Patris Francisci ait S. Bonav. cum quidem illas tetigit, tantus in eum intus & extra calor advenit ac si quædam in eum vis flammea, ex fornacis spiraculo processisset. Historia vitæ S. Francisci ait: frigescente mundo, in corpore S. Francisci sacra stigmata Christus D. renovavit, ad inflammandum corda nostra igne divini amoris. Nimium frigebat cor Thomæ Apostoli; extincta in eo erat fidei lucerna; frigescebat focus divini amoris; at quamprimum sol ille divinus, sua in resurrectione redivivus, non solum spectandum, sed palpandum etiam se præbuit, confestim exardescere cœpit divini amoris flamma: confestim ignis ille, quem mittere venit in terras Salvator, flagravit. O S. Thoma, gratulamur tibi de, & magis adhuc, de illa prærogativa, quod Christus D. quasi de novo aperuerit latus suum, ut tibi demonstraret, *quod tibi tribuit cor suum.* ut loquitur S. Bonaventura, O cœleste & pulcrum munus.

§. 7. S. Thomas fuit pulcerrimus, ob D. amorem, quem reperit in SS. Vulneribus.

Divinus amor, timidum antea & pavidum apostolum, mox reddidit fortem, magnanimum & impavidum. ser. 61. in Cant. ait S. Bernardus. *Ubi tuta, firmaq; securitas & requies nisi in Vulneribus Salvatoris? tanto illic securius habito, quanto ille potentior est*

§. 8. S. Thomas fortissimus. Unde?

ad salvandum. Tremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cedo. Prô! quanta persecutionum moles adversum D. Thomam concitavit infernus? non cecidit. Quantis illum laboribus animarum zelus obruit? nox cecidit. Quot illum periculis barbarorum crudelitas objecit? stetit. Quot illum ærumnis, vita in periculis, in itineribus, in tormentis exacta confecit? perseveravit! Ajunt Achillem ex fortissimorum fuisse heroum numero, ut qui lædi non potuerit, eo quod stygiis fuisset aquis immersus. Sed apage fabula: clarius emicat Evangelicæ lux veritatis; Achilles ille est D. Thomas noster; ille heros Christi Jesu, ille constans in adversitatibus discipulus; ille fortis in ærumnis athleta, ille invictus Dei Apostolus, ille tyrannorum victor; ille novi Orbis salus; ille Martyr Christi generosus. At unde hæc illi universa? eo quod cœlestis fuit Achilles, eo quod non stygiis aquis, sed sanguineo Jesu Christi lateri, immersus fuit. O Achillem! O heroem! O athletam! non ego jam miror illius robur, non constantiam & fortitudinem, non laborum tolerantium; non pericula quæ subiit, non tormenta quæ sustinuit, non mortem, quam exanthlavit; in promptu ratio est; fuit novus Achilles, divino sanguini immersus: & denique suo proprio cruore purpuratus & gloriosus Martyr.

§. 9. *Cur S. Thomas occubuerit perfossus lancea.*

Verùm cur S. Thomas perfossus lancea occumbere debuit? erro, si hoc genus lethi & martyrii caret mysterio; ecce illud. Nimirum quia lancea divinum Christi latus in cruce reseravit, lanceam quoque sentire debuit S. Thomas, ut qui ante manus in sanctissimum lanceæ vulnus, jubente Christo immiserat. Prodite in medium purpurata capita; prodite & si quæ vobis sunt de lanceis symbola, conferre; explicate emblemata vestra, adducite insignia; adducam & ego D. Thomæ mei decora perquam gloriosa.

§. 10. *Varia Emblemata in laudem S. Thomæ.*

Age tu, totius ductor agminis, Scotiæ Rex Joannes Secunde, edissere, quod tibi fuit symbolum? Corona, quam sua cuspide pervadit lancea, cum lemmate, *Hac ornari, aut mori.* Rectè. Et tu Siciliæ Rex Renate, quid affers? Brachium armatum

matum cum lancea, adjecta insuper epigraphe, *Fecit potentiam in brachio suo*. Tu verò, Carole Borboni, quem illustre Navarræ regnum extollit, quid præ te fers? Palladem, una manu hastam, altera ramum olivæ portantem; cum hemistichio, *Requies hæc certa laborum*. Bellissimè! sed tamen, nemo mihi succenseat, obsecro, si hisce vestris ornamentis divum quoque Thomam Apostolum condecorem. Illius honori, & lancea debetur, & corona; nam hisce ornari voluit, & mori. Illius fortitudinem, & brachium juvat armatum, & lancea; fecit siquidem gloriosa in brachio suo, mira patravit apud Indos & Brachmanas, ubique dedit suæ specimen virtutis. Denique gloriosa ejus certamina coronavit Olivæ ramus cum hasta, & requiem certam laborum in illustri morte invenit.

præsertim quod lancea occubuerit.

Sed ecce alii adsunt Heroes, qui suas & ipsi lanceas cum symbolis suis in præsidium D. Thomæ adducunt. Adest fortissimus Austriæ Dux, Gidelbertus, & leonem exhibet, qui lanceam confringit, cum lemmate, *Væ illi*: Quis non expavescat? Adest Rex Neapolitanus Robertus, qui dum regia manu lanceam vibrat, serpens, cui in ore corona est, adrepit cum epigrapha, *His ducibus*. Quis non horreat? Adest Rex Angliæ Wilhelmus, dextera lanceam tenens, adversum quam in pedes erectus, stat animalium princeps Leo, cum lemmate; *Fortiter resistendum*. Quis hic iterum non contremiscat. Ita hi duces & Reges hostes suos terrere voluerunt. Sed tamen nihil est, quod hic metuamus adversi. Sunt hæ lanceæ honoris potius, quam furoris instrumenta. Exponunt D. Thomæ mortem; leones ejusdem repræsentant fortitudinem, serpentes, vel prudentiam, vel hostium quos vicit insidias; coronæ, illud quod reportavit bravium. Sed needum finis.

§. 11. *Alia.*

Supersunt adhuc coronata capita, supersunt Archiduces, Marchiones, Comites, & invicti heroes, atque belli duces, qui sua quoque symbola conferent, è quibus D. Thomæ virtus & gloria elucescit. Testatur hoc Petrus Rex Legionis & Castellæ, cujus emblema fuit, dextera cum hasta, & lemmate sequenti, *Hoc opus est*. Testatur & Philippus Rex Catholicus,


§. 12. *Alia.*

Equi-

Equitem exhibens lancea instructum, & veluti ad ludicrũ certamen equestre instructissimum, quod colligo ex binis adjunctis voculis, *Qui volet.* Testatur Galliarum Rex Capetus, qui sepositis liliis, maluit præferre armatum lancea brachium, cum his voculis, *Labor viris convenit.* En quot Regibus symbola lancearum placuerunt. Tua sunt hæc quoque emblemata, O gloriosissime Apostole Thoma: tua hæc insignia, tua decora; accipe quæ tibi Reges offerunt symbola, accipe, quæ tuis virtutibus laudibusque instruuntur elogia. Lanceam tibi suam offert Castellæ Rex Petrus, *quia hoc opus est*, Opus ad gloriam, Opus ad virtutem, ad fortitudinem. Lanceam donat suam Rex Catholicus, quia *qui volet*, vincet; Voluisti, vicisti! Lanceam tibi suam dedicat Rex Christianissimus, quia *labor viris convenit.* Hic vir, hic est: Vir eras, hinc stetisti in adversis. Vir eras! hinc animo semper invicto injurias tolerasti. Vir eras! hinc nulla tyrannorum tormenta formidasti. Vir eras! hinc viriliter fortiterque ipsa cum lancea, mortem excepisti. O egregium decus lanceæ tuæ; hæc tuas loquitur laudes, virtutes commendat, fortitudinem extollit. O lancea! nobile Principum Regumque insigne! O lancea, Apostoli gloriosi, gloriosus honor, imo ipsius etiam Filii Dei, dum ea latus suum, post mortem in cruce aperiri voluit, instrumentum!

§. 14. *Alia.* Ad finem jam decurrimus Auditores, & tamen adhuc plurima in lanceæ laudem dicenda supersunt. Nihil enim hactenus adhuc dictum de Jacobo Trevirensium Archipræsule, qui palum cum vite florida cum inscriptione, *semper fertilis*, habuit in emblemate. Ego pali loco lanceam defigo, honori D. Thomæ; & semper, atque in omne ævum fertilissimam hanc lanceam pronuntio. Nihil commemoratum de Maximiliano Serenissimo Austriæ Archiduce: nam is Ducem medio in exercitu spectabilem proposuit, cum lemmate, *Militemus, pugnemus.* Ego spectandum vobis offero D. Thomam Ap. cum sua lancea, illustrem, triumphantem, gloriosum! ut nos Auditores, ejus fortissimo incitati exemplo pariter in hac vita militemus & pugnemus, ut pariter in altera cum eodem coronemur.

mur. Nihil allatum in medium de milite quodam anonymo; nam is cum lancea in pectore defixam hanc habuit insignem epigrapham, *Honestum pro patria.* nimirum, sic occumbere. Ego defixam vobis alteram ostendo lanceam; lanceam qua confossus cecidit nobilis Christi victima Thomas; an non hoc est, honestum pro patria, pro salute animarum, pro cœlo, pro veritate, pro fide, pro Deo mori? Nihil denique ut finem dicendi faciam, de Petro Ernesto Comite Mansfeldiæ; nam ejus symbolum fuit eques lancea draconem interimens, adjuncto lemmate: *In hac fortitudo.* In hac quoque lancea, tua eluxit fortitudo, S. Thoma! in hac tuus in Christum amor, probatus fuit fidelis; in ejus cuspide stetit tua virtus immota, constans, illustris, admiranda.



CONCIO LVI.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI DOMINI.

Hoc vobis signum: invenietis infantem, positum in præsepio.

Luc. 2. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc, & binæ sequentes conciones Natalitiæ, nectunt catenam auream, suavissimarum cogitationũ de excellentia parvuli de Bethleem. Miscentur varii affectus devotionis, amoris, admirationis, erga beatissimum infantem.

§. 1. *Filius Dei, ex Virgine matre, sic nasci voluit, ut plus amaretur.*

§. 2. *In parvulo de Bethleem, duæ naturæ diversissimæ sunt conjunctæ, divina & humana.*

§. 1. Filius Dei ex virgine, sic nasci voluit, ut plus amaretur.

BReviter & suaviter dixit S. Chrysologus ser. 158. *Sic nasci voluit, qui amari voluit.* *Sic* id est, in stabulo! in præsepio! inter bovem & asinum. *Sic* à tota pulcra, formosa & amabili Virgine ac Matre. *Sic*! parvus puer, totus, pulcer formosus & amabilis. O parvulum! cujus facies inter paleas, in panniculis, rutilat, ut sol: capillos pexuit aurora, genas pingunt rosæ, corallum labia, lilia frontem. Sic inquam, nasci voluit, parvulus de Bethleem, quia vult à nobis amari. Potuisset nasci inter delicias regiæ aulæ. Potuisset venire ut leo &c. Sed bene dixit Guarricus Abbas ser. 1. de Nativ. *Puerum se maluit exhibere, magisq; amabilis, quàm terribilis videri.* Potuisset venire in hunc mundum, qualis veniet in vallem Josaphat; potuisset præmittere signa in sole & luna & stellis. Sed maluit magis venire amabilis, quàm terribilis; Nihil est in tota Nativitate, quoad omnes circumstantias, loci & personarum præsentium, quod nos terreat; omnia, stabulum, præsepium, pastores, angeli, S. Joseph, Virgo Mater, & super omnia, ipse parvulus, involutus panniculis, jacens super fœnum & paleas, omnia hæc inquam, magnum in nobis excitant gaudium, & alliciunt, trahuntque ad amorem, favent gaudio & amori; mira signa

ſigna & portenta; ſol coronatus, ſerenitas cœli; illuminatio noctis, florida vinea Engaddi, fons fluens oleo: hæc inquam omnia nos recreant & alliciunt ad amorem noſtri parvuli. Hinc de eodem puero, idem Guarricus Abbas dixit: *Dulce prorſus & ſapidum eſt, cogitare, & recogitare puerum Deum.* Hoc an verum eſſet, conatus ſum experiri; ab aliquot diebus multa legi, ſcripſi, multa cogitavi, recogitavi de parvulo nato in Bethleem; & reperi, piiſſimum Guarricum dixiſſe veritatem, dulce prorſus, & ſapidum eſt illud facere. Dulciſſimæ & ſapidiſſimæ cogitationes de excellentia hujus pueri, ejuſque Nativitate, mihi occurrerunt. Ut ejuſdem ſuavitatis participes reddam meos auditores, ex multis aliquas communicabo. Quæ ſuaviter ego cogitavi, vos ſuaviter audite.

§. 2. *In parvulo de Bethl. duæ naturæ diverſiſſimæ ſunt conjunctæ. Divina & Humana.*

O ſanctiſſima humanitas nati pueri! O beatiſſime infans, tu ergo es ille puer, in quo duæ naturæ, tam diſſimiles, divina & humana; increata, creata, æterna, temporaria, immortalis, mortalis, admirabili vinculo admirandæ unionis in puero, ſine ulla naturarum confuſione, ita ſunt conjunctæ, ut Deus ſit puer & puer Deus! Hoc magnum, hoc admirandum opus, quod omnipotētiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, miſericordiſſimus, liberaliſſimus, juſtiſſimus Deus in puero fecit, omnis intellectualis creatura, non poterit ſatis admirari: nec comprehendere, ſed credere.

§. 3. *Creata & increata: paſſibilis & impaſſibilis.*

Hic eſt certiſſimus articulus fidei noſtræ; caro, corpus, natura humana, in humano corpuſculo, quod cernitis in puero qui jacet in præſepio, in ſtramine, in ſinu matris, inter brachia S. Joſephi, pertinet ad ordinem creaturarum; anima parvuli creata eſt, cum ſuis potentiis, corpus in tempore formatum eſt à Spiritu S. Parvulus in Bethleem carnem habet, qualem nos homines habemus; corpus, quale nos: naturam, qualem nos. Sed quod illa caro ita ſit elevata, ut poſſideat ſimul eſſe divinum, & increatum; ut puer hic ſimul ſit perſona divina, ut ſit verbum, & proinde dicamus bene, puer hic habet carnem divinam, ſanguinem divinum, corpus divinum, animam divinam; ut aſſeramus, puer hic Deus eſt; puer hic tam nobilis & eminens

nens eſt, quàm ſit Pater & Filius, & Spiritus S. in myſterio SS. Trinitatis. hæc & talia ſunt illa myſteria, altiſſima & profundiſſima, quæ ſtupent Seraphini & Cherubini, & omnes chori cœleſtium ſpirituum, qui, ob hanc elevationem naturæ humanæ ad eſſe divinum, coram hoc puero, genua flectunt, proni adorant, facies ſuis alis tegunt, clamantes; ſanctus Pater! ſanctus Filius! ſanctus Spiritus Sanctus; ſancta ſanctiſſima Trinitas; ſed ſanctus puer jacens in præſepio! ſanctus! puer involutus faſciis! ſanctus! puer vagiens in cunis! ſanctus Sanctus Jeſulus! ſanctus, parvulus de Bethleem. Talia cogitate & vos, talia recogitate, talia canite, & experti poteritis dicere, quàm ſapidæ, & prorſus dulces ſint hæ cogitationes.

§. 4. *Communicati illi ſunt omnes theſauri divinitatis* Ulterius, veriſſimum eſt, quod ex vi ineffabilis unionis, quæ naturam humanam pueri, ſubſtantialiter conjunxit cum verbo, & ita ex natura humana pueri, & divina verbi unum fecit compoſitum, ut ſcholæ loquuntur, quod ſimul eſt Deus & homo! Deus & puer! Deus æternus, & natus in tempore! Deus immenſus ubique, & concluſus intra ſtabulum, intra anguſtias præſepii; Deus immortalis, & homo mortalis! &c. ex vi inquam hujus unionis ſequitur, quod Deus hujus pueri humanitati, vel huic puero cum natura verbi, communicaverit omnes theſauros divinitatis. Hic puer, auditores, videte qualis jaceat inter bovem & aſinum medius, in ſtramine, in præſepio; nihilominus, eſt particeps omnium radiorum gloriæ divinæ; illa luce, illis radiis, illis ſplendoribus, illis ardoribus, quibus radiavit & arſit ab æterno in ſinu patris, ante Luciferum genitus, in ſplendoribus ſanctorum, ſplendor gloriæ, figura & imago ſubſtantiæ patris, iiſdem inquam, radiis, in ſtabulo, in præſepio radiat & ardet natus parvulus de Bethleem. Ex vi illius unionis hypoſtaticæ, eadem reverentia, iiſdem adorationibus quibus angeli & omnes creaturæ adorant SS. Trinitatem, honorari & adorari debet parvulus de Bethleem. Tam puer hic meretur & dignus eſt, qui in cœlis & in terris accipiat, *gloriam & honorem* (Apoc. 4. v. 11.) *& virtutem* (Apoc. 5. v. 12.) & *ſapientiam, & fortitudinem, & benedictionem*; quàm illa merentur, & digni ſunt, Pater &

Filius

Filius & Spiritus Sanctus. Nunquid in prima & sola radice excellentiarum in nostro puero invenimus suavissimas cogitationes? O cœlestes favonii! O suaves Zephyri, inflate dictionis meæ vela, ut ejusdem cymba pergat plus ultra, in dulcium & suavissimarum cogitationum Oceano.

§. 5. *Possidet plenitudinem divinitatis corporaliter, tanquam Filius Dei.*

Hæc iterum est suavis cogitatio. Parvulus noster possidet plenitudinē divinitatis corporaliter, sive, ut utar phrasi S. Pauli, plenitudo illa, in hoc puero habitat substantialiter. Divinitas nulli unquam ab æterno fuit communicata, nisi solis personis divinis, à Patre, Filio; à Patre & Filio, Spiritui Sancto; intra sphæram adorandæ & sanctissimæ Trinitatis; in favorem verò nostri parvuli, ruptæ sunt quasi catarractæ, & rupti aggeres, intra quos, quasi quoddam mare immensum, conclusa fuit communicatio divinitatis; cum Deus factus est homo! verus Filius Dei, & verus filius Mariæ! Quem titulum meritò obstupuit S. Paulus ad Hebr. cap. 1. vers. 5. *Cui dixit aliquando angelorum;* (ex ps. 2. 7.) *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et, rursum (ex l. 2. reg. 7. vers. 14.) *ego ero ipsi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* De Angelis dixit David psal. 103. versu 4. *Qui facis angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis;* sed cedite Angeli! huic parvulo dicit, *Filius meus es!* ad Cherubinos dixit, vos honoratiores estis aulici mei; ad Seraphinos, vos cœlestium ministri flammarum; sed iterum cedite, angelicæ seu Seraphinorum, seu Cherubinorum mentes; hic puer non Dei minister, sed ipse Deus existit. Ad solem dixit, dum orbem conderet Deus, Tu Rex planetarum es, ad lunam, tu præses noctis; ad stellas, vos ornamentum firmamenti; ad Cedrum, tu arborum sublimissima; ad Rosam, tu inter flores pulcerrima; ad mare, tu inter fontes ac fluvios vastissimum, ad leonem, tu inter animalia fortissimum; ad lusciniam, tu pennatas inter volucres, suavissima &c. ad sponsam sponsus, tu pulcra es. At cui dixit, *Filius meus es tu!* Huic parvulo dixit, huic infantulo de Bethleem! Jesulo nostro.

§.6. *Vivit vita divina: operatur actiones divinas.* Plus ultra! perge navicula, per melleos fluctus in Oceano suavissimarum cogitationum de hoc parvulo. Ex vi unionis hypostaticæ, egressus ex utero matris, vitam vivere cœpit humano-divinam,& divino-humanam. O felix initium, vitæ felicissimæ! cujus quodvis momentum preciosius est, quam sit tota beatissima æternitas & vita jucundissima omnium sanctorum in omnem æternitatem. Ex radice tam beatæ & excellentis vitæ, alia necessario pullulat excellentia in hoc puero, quod ejus actiones etiam minimæ, sint divinæ, & proinde, precii, valoris, meriti & excellentiæ infinitæ. v.g. aperit suavissimus infans lucidissimos ocellos, aspicit matrem, videt Josephum, pastores intuetur. Sunt oculi divini, aspectus divini, & visio divina. Ex pulcerrimis oculis gemmeæ defluunt lacrymulæ, quibus peccata nostra deflet; sunt lacrymæ divinæ, flet Deus homo! Deus puer gemit & plorat. Movet divinus pusio manus & pedes, movet corpusculum, sentit fœnum, sentit frigus, anhelat ad amplexus matris! sunt motiones divinæ, Deus puer sentit illa incommoda! Deus puer se applicat uberibus matris, Deus puer lacte lactatur. Quidquid puer agit atque operatur in præsepio, Deus agit, Deus operatur. Quæ omnia, ut ante insinuavi sunt actiones valoris & meriti infiniti; præter actiones internas nobilissimarum virtutum, humilitatis, obedientiæ, amoris Dei &c.

§.7. *Ob communicationem divinæ naturæ.* Radix tantæ excellentiæ, in operibus & actionibus parvuli de Bethleem, eadem est, quam jam aliquoties proposui. Verbum, sive secunda persona sacrosanctæ Trinitatis, suam essentiam substantialiter bis tradidit,& communicavit; semel necessario & ab æterno, spiritui sancto, tanquam unum cum patre, in unitate Principii; in productione amoris communis, qui est spiritus sanctus. Altera vice in tempore puræ creaturæ, huic innocentissimo agnello, humanitati parvuli pueri; qui instar regalis aquilæ evolavit usque ad gloriam divinitatis, per admirabilem mutationem personalitatis humanæ, in divinam & increatam verbi, in qua hic puer subsistit; cum radiis planè divinis, cum divinis splendoribus, cum divinis perfectionibus; O myste-

mysterium sanctum! mysterium altum! mysterium admirabile! O stupendam communicationem! O! fluxum maris divini in parvum puerum, totum Deificatum, Deo plenum; manente tamen natura humana. Parvulus de Bethleem homo est! parvulus de Bethleem Deus est!

§. 8. *Affectus admirationis, de magnificentia Dei inclinata & humiliata in puero.*

Permittite auditores, ut filium dulcissimarum cogitationum, rumpat nonnihil Regius Psaltes, vel ut ego id faciam, & cum eodem exclamem ex ps. 8. v. 2. *Domine Deus noster quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.* S. Hier. legit, *quàm grande nomen*! Chaldæus, *quàm excelsum & laudabile.* Causa, ob quam David verba hæc protulit, ista fuit, *Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.* Chaldæus. *quia constituisti splendorem tuum super cælos.* Vel. *Est major cælis magnificentia tua.* Causam planè contrariam habemus hodie, cur dicamus, Domine Deus! quàm admirabile est nomen tuum! quàm grande! quàm excelsum! quàm laudabile! sed ideo, quoniam inclinata, quoniam depressa, quoniam humiliata est illa magnificentia, usque ad terram, usque ad stabulum, usque in præsepe! majestas Dei depressa est, divina dignitas ad humanæ conditionis miseriam abjecta: infinita potentia, conjuncta cum infirmitate; magnitudo immensa in pusillos infantuli artus contracta; rerum omnium, imò totius terrarum orbis opulentia, in summam conversa inopiam atque egestatem. Et quid desideratis præterea ad humiliandum Numinis magnificentiam? dixit præterea David, *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* q. d. ideo deprædicabo magnum, grande, & excelsum nomen Domini, quia cœlos creavit. O Domine Deus noster, idem nos faciemus his feriis Natalitiis; laudabimus nomen sanctum tuum; sed ideo, quoniam intuemur, infantulum Deum pendentem ab uberibus benedictæ Virginis, Matris suæ MARIÆ! quoniam aspicimus parvulum de Bethleem, nostri amore jacentem in fœno, tolerantem aëris injurias, lacrymantem! quoniam videmus divini artificium amoris, opus gratiæ, misericordiæ pignus, caritatis monumentum! O Domine! quid est homo, non quod me-

O exoptate puer! quàm propterea gaudeo, quod tu majoris sis excellentiæ, quàm mille mundi & cœli, licet repleti essent omnes perfectissimis Seraphinis. Deum immortalem! qualis, quantaque gratiarum in hoc puero est collectio! quales quantosque in parvulo thesauros comprehendimus! Intelligite nunc, quid dicturus sim, auditores! statuite ab una parte milliones & myriades angelorũ & sanctorum; ab altera vero, unum, unum parvulum de Bethleem! unum infantulum! unum Jesulum! quid existimatis de hoc thesauro? O quantus! O quàm preciosus, quàm divinus, quàm est hic infinitus thesaurus, quam immensis parasangis hujus unius parvuli gratia, pulcritudo, sanctitas, superat omnium angelorum atque Archangelorum, omnium confessorum & virginum &c. thesauros. Ita est auditores, ita ego, & una mecum universa sentit Ecclesia Orthodoxa. Est enim hic puer Deus! En fons, en origo, hujus, quam commemoro, veritatis. § 11. *Parvulus de Bethl. majoris est excellentiæ, quam omnes sancti simul s...*


O dulcissime puer! coram præsepio, in præsentia Virginis Matris, S. Josephi, Angelorum & Pastorum, protestor hodie, majus non esse in corde meo gaudium, quam quod cum firma, & ardenti caritate, dicam hæc verba: O Jesule! O parvule, mi Deus, præter te nihil volo, nihil amo. Ille honor, illa reverentia, illæ adorationes, quæ hodie offeruntur, in cœlis & in terris, parvulo de Bethleem, plus me recreant, quàm omnes divitiæ hujus mundi. Magis æstimo, ut sim servus & amator Jesuli, quàm si essem Rex Hispaniarum. Majorem mihi contingere honorem non posse arbitror, quàm si me amet parvulus de Bethleem; neque majorem opto felicitatem, quàm ut vivam & moriar, amator, servus, mancipium Jesuli. Festum heri fuit S. Tharsillæ V. Cum in agone à Salvatore suo inviseretur, ad circumstantes dixit, *Recedite, recedite, Iesus venit*. Cum solatio hac nocte his verbis hoc modo sum usus, recedite divitiæ, natus est Jesulus, quem amo supra divitias; recedite voluptates &c. recede munde &c. (poterit fieri suavis affectus.) § 12. *Affectus aggratulationis.*

Permittite tandem Audit. meo amori, ut coram præsepio, suavibus cogitationibus, veluti alis evolet per cœlos, per aëra, per § 13. *Triginta elogia parvuli de*

Bethleem, objecta totidem suavissimarum cogitationum. per campos, per montes, per valles, per hortos, per maria, per fontes, ut quæram cum sponsa, quem diligit anima mea, parvulum de Bethleem. O filium meum amorem! O me beatum! jacet meus Jesulus in præsepio, & nihilominus ubique illum reperio. Nam, in paradiso est arbor vitæ; in campis flos, in convallibus lilium, in agris frumentum electorum; in collibus vinea, in vinea vitis, in vite botrus, in botro caritatis vinum. Jesulus! in rubo est rosa: in rosa, odor vitæ. In areolis Narcissus, in terra radix, in radice culmus, in culmo flos, in flore fructus, in fructu suavitas & sapor. In alveari favus, in favo mel, in melle dulcedo! in sylva malus, in malo pomum; In montibus Bethor hinnulus, in Libano Cedrus, in Cades palma, in monte Sion Cypressus; in foraminibus petræ, turtur: ad rivulos columba. In horto fons; in fonte aqua vitæ.

§. 14. Alia viginti quatuor, cum pio epilogo. Necdum est fatigatus meus amor; altius evolat, plura cogitat de Jesulo: nondum exhaustæ sunt suavissimæ meæ de illo cogitationes. Ubique reperio meum thesaurum! parvulus de Bethleem in cœlo & de die, sol est: nocte luna; in tenebris, stella: in nubibus iris: In templo est altare, in altari hostia; ad altare sacerdos. In mari navis, in navi anchora; in diluvio arca; in bibliothecis liber vitæ; in nuptiis sponsus, in conviviis cibus, in cellis potus; in concha unio, in annulo gemma, in regno Rex, in aula princeps; in deserto manna; in fodina aurum; mane ros, diluculo aurora, post auroram sol Justitiæ! Quid non est meus Jesulus? Clepsydra me monet, ut demittam alas; & faciam, sed coram præsepio; hic millies & millies ingeminabo, quæ ingeniosus amor de parvulo meo invenit elogia. O arbor vitæ, tuis me fructibus refice; O flosculę tua me pulcritudine delecta; O altare aureum, tua me sanctitas consecret: O liber vitæ, tua me sapientia illuminet; O cibus nobilissimus, tuus me sapor suaviter afficiat; O gemma preciosa: tuus me decor exornet; O stella matutina, tuus me fulgor in hujus vitæ fluctibus errantem ducat, O parvule de Bethleem, O amor, amoris mei, tuus sum totus, quantus, quantus sum, O JesV Le, eX CorDe aMo te: tibi vivo! tibi morior. Amen.

CON-



CONCIO LVII.

FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Hoc vobis signum: invenietis infantem, positum in præsepio.

Luc. 2. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST continuatio concionis hesternæ; communicat enim auditoribus varias sanctissimas cogitationes de parvulo in Bethleem, cum variis affectibus laudis, amoris, gaudii, aliarumque virtutum erga Jesulum.

§. 1. *Exordium est brevis repetitio hesternæ concionis.*

§. 2. *Quinam sint flosculi, quibus cunas parvuli de Bethleem exornare possumus.*

§. 3. *Parvulus de Bethleem dupliciter à nobis potest considerari.*

§. 4. *Cogitationes sanctæ de ejus anima.*

§. 5. *Alia ejus elogia.*

§. 6. *Cogitationes suaves de pueri corpore.*

§. 7. *Anima & corpus non sunt separanda à divinitate; varii affectus erga puerum Deum.*

§. 8. *Affectibus nostris, & cogitationibus sanctis, oblectatur Iesulus.*

§. 9. *Prosecutio; sive, desideria oblectandi Iesulum.*

§. 10. *Vicissim ille oblectat & recreat se amantes. Adducuntur varia exempla.*

§. 11. *Alii favores Iesuli, erga animas pias.*

§. 12. *Præsertim, si flagrent sanctis desideriis.*

§. 13. *Felicitas S. Mechtildis. Ejus erga Iesulum affectus.*

§. 1. *Exordium est brevis repetitio hesternæ concionis.*

QUia tantus plerumque est amor, quanta est, qua ducitur, cognitio. ut parvulus de Bethleem, amore tanto, quantum meretur, à nobis ametur; ejusdem clara & excelsa cognitio, atque æstimatio, inprimis est necessaria. Primum autem, præcipuumque cognitionis hujus objectum esse debet, quod hic puer Deus sit; quod in una illius persona, duplex natura, valde diversa utraque ab altera, divina, & humana, admirabili quadam unione invicem inter se conjunctæ sint, per quam unionem natura humana, ad esse divinum atque infinitum, adeo est elevata, ut hic puer tanti valeat, quanti valet Pater, vel Verbum, vel Spiritus S. ut proinde eadem adoratione, quâ colimus SS. Trinitatem, adorare debeamus parvulum de Bethleem. Illi hymni gloriæ, quos coram throno divinæ Majestatis canunt, vel Seraphini, vel viginti quatuor seniores, vel mysteriosa animalia, vel millia millium omnium sanctorum, vel clarissima tuba & echo, resonans in cœlis & in terris, *Sanctus! Sanctus! Sanctus! Laus, honor, gloria, virtus, fortitudo, sapientia, benedictio sit sedenti in throno*, If. 6. v. 4. Apoc. 4. v. 8. omnes inquam hos hymnos, hæc cantica, hos psalmos coram præsepio accinere possumus, & debemus, parvulo de Bethleem. Unde excellentia & dignitas hujus pueri, per quæcunq; encomia & elogia, quæ ingeniosus Amor invenire & excogitare potest, pro dignitate tamen satis explicari non potest. De quo discursu varias & suaves cogitationes in hesterna mea concione vobis communicavi. Verum cum hic divinus puer sit fœcundus ager, in quo crescit copiosa messis talium cogitationum; fons & mare inexhaustũ talium cõsiderationum; aurifodina, in qua quot aureæ venæ, tot occurrunt suavissimi affectus; cogor hodie plures de eadem materia proferre in mediũ; & quidem de sanctissima Jesuli anima, de formosissimo corpore, de aliis infinitæ in puero excellentiæ circumstantiis. Non mihi succensebit D. Protomartyr Stephanus, si eo relicto, hodie id faciam; intendo enim honorem & amorem parvuli de Bethleem.

§. 2. *Quinam sint s. osculi.*

Memini me à puero cum tenera devotione, & piis oculis aspexisse sæpe, in Oratorio Congregationis B. M. V. Fuldæ, illam

lam imaginem sive picturam; in qua ante gremium Virginis, in molli & eleganti lectulo, jacet Jesulus, suavissimo somno sopitus; inscriptio imaginationis desumpta fuit ex Cant. 1. v. 15. *Lectulus noster floridus est.* utpote, variis & pulcerrimis floribus conspersus. Cum verò nocte præterita, vidi parvulum meum, jacentē in duro præsepio, in fœno, in stramine, nudum, & hyeme sæviente, tacitus sic mecum ipse cogitavi. Hiccine est lectulus ille floridus, quem sponsa præparavit suo sponso? mundus, suo Redemptori? & quis flores commutavit in paleas? O Flora! O hortenses Nymphæ! ubinam sunt vestræ rosæ? ubi violæ? ubi lilia? ubi narcissi, ut illis ornetur & tegatur, dulcis & suavissimus ille puerulus? ah si ego, vel m[illegible] a[illegible] esset Flora! quibus non flosculis tam amabilem puer[illegible] ornarem, ac tegerem? Inter hæc vota & desideria, nescio, quis ex astantibus circa præsepe geniis mihi insusurravit, non desiderare parvulum de Bethleem flores materiales & naturales; sed cœlestes, flores paradisi, quales sunt sanctæ cogitationes, pii affectus, excelsæ imaginationes, dulces phantasiæ & species, suaves discursus, de infinita excellentia nati pueri. Addidit cœlestis ille genius paucula hæc verba: cogitationes sanctæ de parvulo de Bethleem, delicatum in humano corde illi parant lectulum, in quo suavissimè dormit & quiescit. Tales affectus, sunt rosæ, violæ, lilia, Narcissi, & flosculi, inter quos pascitur. Itane mi Angele? hæccine fovendi Jesuli ars est, & methodus? O me terque quaterque beatum! In meo horto, in meo corde, in mea anima crescunt hi flores; ego per Dei gratiam possum viva fide credere, hunc puerum esse Deum; ego unicam spem meam & omnem fiduciam, possum collocare in hoc puero. O me felicissimum! per me stat, ut amem Jesulum ex toto corde. Felicem me, habeo linguam, quâ possum illum laudare & benedicere. habeo oculos, quibus possum intueri; habeo labia, quæ ejus genis possum admovere, habeo brachia, quibus possum amplecti, habeo cor, cui possum includere; habeo manus, quibus possum agitare ejus cunas &c. Si hæc officia, hi affectus, hæ cogitationes, hæc opera, hi actus teneræ devotionis erga

quibus cunas parvuli de Bethl. exornare possumus.

par-

parvulum, sunt flores; non sum sollicitus, parabo Jesulo meo lectulum floridum, lectulum amantissimum.

§. 3. *Parvulus de B. dupliciter à nobis potest considerari.*

Sed, advertite auditores; parvulum de Bethleem duplici modo à nobis posse considerari. Vel; prout est, infinitum illud compositum, in quo omnia hæc includuntur, natura divina, humana, & hypostasis. Vel secundum partes, quod est, divinitas Christi, sanctissima ejus anima, corpus, caro, sanguis, dulcissimum ejus cor; dulcissimum ejus nomen Jesus, gratia, sanctitas, virtutes, merita infiniti precii &c. Omnia hæc, utroque modo, suavissimas instillare apta sunt cogitationes. Heri, dulcia cogitavi, recogitavi de pueri divinitate.

§. 4. *Cogitationes sanctæ de ejus anima.*

Enimverò hodie, de pueri hujus anima, sanctissima, quàm possumus suavia, quàm cœlestia perpendere mysteria! Talia ego cogito. O parvule de Bethleem! agnosco tuam animam, gemmam esse preciosissimam, qua preciosiorem divina non produxit omnipotentia, quàm gaudeo, quod inuncta sit balsamo infinitæ & increatæ sanctitatis; quæ per animam Jesuli, per mirabiles fluxus, transfusiones & exundationes, instar fontis, imo maris ita se infundit, & dilatat, & illam inundat, ut tota sit sancta, & sanctissima; Juxta mensuram sanctitatis, communicata eidem animæ fuit gratia; juxta mensuram gratiæ eandem irradiarunt radii & splendores sapientiæ, scientiæ, & altissimarum cognitionum; juxta mensuram sanctitatis, gratiæ, sapientiæ, datæ quoque sunt illi, omnes virtutes in gradu excellentissimo, cum infinita perfectione; Itaque in præsepio jacet puer sanctissimus, puer plenus gratia & sapientia, puer humillimus, puer patientissimus, puer obedientissimus, puer secundum cor Dei, puer benignissimus &c. Hæ cogitationes faciunt me gaudere & exultare in Jesulo meo: faciunt, ut anima mea magnificet Deum, qui ex millionibus animarum hanc elegit, ut in Christo uniretur divinitati.

§. 5. *Alia ejusdem elogia.*

Grandis & generosa anima! domicilium Dei, habitaculum Spiritus S. Imago omnium virtutum, fons gratiæ, Regia Solis, Ornamentum terræ, gaudium cœli, O sancta & gloriosa anima parvuli de Bethleem: in qua Deus posuit inæstimabiles

divitias

divitias gratiæ & gloriæ. Has excellentias hujus animæ dum intellectus meus considerat, cogitur voluntas, ut gaudeat, ut applaudat, parvulo, ut eidem aggratuletur. Cogitur voluntas ab his suavissimis cogitationibus, ut patri cœlesti agat gratias, ut cum multitudine militiæ cœlestis, canat, gloria in altissimis Deo; Cogitur, sed violentia suavi, ut animam tam nobilem & excellentem amet atque diligat.

Quid de formosissimo corpusculo; cui anima illa benedicta fuit infusa, cogitabimus? quid dicemus? Dum divinum puerum intueor, vel jacentem in præsepio, vel quiescentem in sinu matris, vel recumbentem inter brachia S. Josephi, aut pastorum, talia ego cogito. O os aureum formosissimi pueri! quis mihi det, ut osculer te, osculo oris mei! O labia dulcissima! utinam de vobis, cum lacte & melle, quod sub lingua latet, in cor meum dulcis stillet, & fluat amor. O caput adorandum! coronatum corona divinitatis, corona gloriæ, corona immortalitatis, utinam quoque illud meus coronarit amor, conversus in pulcerrimam coronam, ornatam lucidissimis gemmis intensissimæ caritatis. O aureæ manus, plenæ hyacinthis! ah dulcis Virgo & Mater, permitte, ut tuus filiolus his sanctis & regiis manibus mihi benedicat. O pedes divini! hæc mea felicitas, si vos stringam ulnis dilectionis. O belluli ocelli; quomodo vos possum intueri, ut non suspirem, O si illorum lucidissimis radiis ureretur cor meum, ut nunc dicam ex rythmo hispanico; Mi Jesule: oculi tui, dulcis sunt labyrinthus, illi, qui in illo se perdidit. O aurei capilli! non desidero alios funiculos fortissimæ caritatis; non desidero alias sagittas, quibus vulneretur cor meum. O nivea frons; non desidero intueri aliud cœlum. O guttur & collum suavissimum; hunc cupio canalem, per quem in me gratia & sanctitas derivetur. Tui oblivisci non possum, O dulcissimum corculum Jesuli; præter hoc, neque in cœlis neque in terris alium quæro thesaurum.

§. 6. *Cogitationes suaves de pueri corpore.*

Fontes tantum vobis ostendo auditores, ex quibus fluunt cogitationes sanctæ & suaves de anima & corpore parvuli de Bethleem; sed iterum moneo, non esse illa separanda à divini-

§. 8. *Anima & corpus non sunt separ*

tate;

randa à divinitate. Varii affectus ad puerum Deum.

tate; hoc cogitare & recogitare debemus, beatissimam hanc animam, pulcerrimum hoc corpusculum, esse corpus & animam pueri, qui Deus est. Utinam quasi tuba, iterum possem exaltare vocem meam, ut omnes creaturæ audiant puerum hunc esse Deum! O nos felices! quod illi possimus servire, quod nostris illum complecti amoribus. Ne miremini auditores, me rursum facere mentionem hujus servitutis, & amoris. Neque in cœlis, neque in terris, major est beatitudo, quàm huic parvulo, huic grandi Deo servire, & illum amare. Ego prostratus eram augustas & ineffabili ejus Majestate, qui jacet quidem in præsepio, in stabulo, in fœno, sed facit præterea tremere columnas cœli, adoro illum omni possibili submissione animæ & corporis; & reddere cupio laudes & gratiarum actiones, quæ à corde meo produci possunt; cum sincera recognitione, quod puer hic sit Deus meus. Dignum & justum est Auditores, ut idem mecum faciatis. Si ex semine harum cogitationum in cordibus vestris crescunt rosæ suavissimorum affectuum, spargite illas liberali ac florida manu in pueri hujus præsepe. Si ex eo nascuntur lilia, ea tanquam puritatis pulcerrimæ symbola, conjicite in hunc parvulum de B. tanquam sponsum amoris, qui pascitur inter lilia. Si violæ humilitatis succrescunt, illis ornate cunas hujus infantuli; si heliotropia obedientiæ exsurgunt, ea ad stabuli Bethlemitici fores affigite, verbo dicam omnia, si qui natalitiis hisce feriis pii affectus mentes vestras ad amorem rapiunt, si quæ suspiria, ex pulcerrimi Jesuli aspectu de pectore vestro erumpũt, si quæ bona virtutum proposita, vestros animos subeunt, ea omnia substernite huic parvulo, illis flosculis ornate ejus lectulum; auferte acutas paleas, tollite stramen, & rosas caritatis, demissionis violas, lilia puritatis, aliarumque ornamenta virtutum, ad ornamentum & gaudium Jesuli afferte.

§. 8. *Affectibus nostris, & sanctis cogitationi-*

Cum S. Joannes Evangelista, suo festo, quod cras celebrabimus, S. Franciscum Romanum, ad altare duxisset, in quo positus fuit JESULUS, agni candidi speciei; & verba illa, *In principio erat verbum*; ac ingens in illis divini amoris mysterium explicuis-

plicuisset, illam ad amorem, cordis munditiem, humilitatemque fuit hortatus. Alias eidem sanctæ, obtulit pulcerrimum fasciculum, ex rubis, candidis, omnisque generis rosis; qui oblatus infanti Jesulo, in ejus manibus, in monile preciosissimum fuit conversus. S. Gertrudi apparuit aliquando B. Virgo, in horto inter rosas sine spinis, & lilia; fassaque fuit, purissimo S. Joannis corde se unice delectari. Christus D. verò, qui adesse videbatur, S. Gertrudi dixit, suum quoque cor erga Joannem eo esse propensius, quo ille majora obsequia exhibuit Matri suæ; Auctor qui hæc refert subdit hoc suspirium, O Maria! fac ut & ego cum Joanne ita amem & colam te, & simul tuum Jesulum, ut ille meo corde, & meis obsequiis delectetur. Idem agamus auditores, quis scit an fasciculus sanctarum cogitationum quam offerimus parvulo de Bethleem; an nostræ rosæ, an nostra lilia &c. non sint convertenda in gemmeum monile? Quid si hoc fiat? & illud statim offeremus Jesulo! & simul corda nostra, hac sola intentione, ut illis delectetur Jesulus. Offeremus mille obsequia; illum laudando, adorando &c. sed aliam nõ desideremus mercedem, quã ut parvulus de Bethl. illis oblectetur. *bus oblectatur Jesulus.*

In ejusdem sanctæ Franciscæ sinu positus Jesulus, nocte Nativitatis, illi dixit. *Tanquam parvulũ dedi tibi me, in quem Seraphini desigunt oculos. Lætare! & respice me, & matrem meam dulcissimã. Aspice nos cum amore.* Nostrum quoq; est cœleste hoc donum, nobis parvulus natus & datus est. lætamini animæ piæ: respicite Jesulum & Mariam; aspicite cum armore, ut nostri oculi eosdem oblectent. Alias ille parvulus deponens se inter brachia S. Franciscæ dixit, ego sum amor! animæ piæ! amemus, ut dulcissimum amorem oblectemus. Hic, per ferias natalitias, fuit labor S. Catharinæ Senensis, in omnibus oblectare parvulũ de Bethl. tanto amore, ut dicta fuerit illa Virgo, dilecta cordi Jesu! tanta amoris teneritudine, ut aliquando viderit cor suum intrare in apertum Christi latus, atq; ibi cum corde Christi conflari; tanto fervore, ut à B. Virg. filiolo suo Jesulo fuerit desponsata; ut deniq; præ amoris vehementia cor ipsi disruptum fuerit. O sanctas & suaves cogitationes; dulce prorsus & sapidum est hæc cogitare

§. 9. *Prosecutio, sive desideria oblectandi Jesulum.*

& recogitare; amorem dulcissimum amplecti ulnis! Diligi à corde Jesuli! corda nostra intrare in corculum Jesuli & ibi cum illo conflari; desponsari pulcerrimo amori; O si! O si tandem in agone ultimo rumpantur corda nostra amore, ad oblectationem Jesuli.

§. 10. Vicissim Iesulus oblectat & recreat se amantes Varia adducuntur Exempla.

De mutuo favore & amore Jesuli erga nos, non est cur dubitemus. Wallenus piissimus sacerdos, in Natali Domini Missam celebrans, vidit puerum Jesum in suis manibus, corona aurea, gemmis stelliferis, rutilante redimitum. Talis adest nobis parvulus, ut simili corona, nostra exornet obsequia & pietatis officia. Visus est Jesulus, eundem sacerdotem suavissime exosculari! talis adest, ut & nobis præbeat amoris osculum. Cuidam Virgini, cum sub sacro teneram preciosi Jesu infantiam ruminaret dictum est à sancto quodam Religiolo, *Ego ab Angelo cælitus demisso candidis rosis vidi cingi caput tuum.* Utinam tales rosæ, sint sanctæ nostræ de dulci parvulo Deo cogitationes; ut illi æternum in gloriam coronemur. P. Sebastianus à Campo, illas ex ejusmodi considerationibus hausit delicias ut identidem exclamaret, O nobilis parvule! O dulcis Jesule! quàm dulcis es amantibus te! O Domine satis est, jam cor non est ferendo. Cogitate & vos, & recogitate hunc parvulum, si cœlestes quæritis voluptates. Alias visus est Jesulus, quibusdam suaviter arridere, ab aliis vero vultum avertere. Talis adest infantulus, ut & nos benignis aspiciat oculis, nisi forte ab aliquibus avertat. Causas facile potestis excogitare. Humilis puer, oculos suos avertit à superbis. Ab impuris, quia purissimus est &c. Obtigit eadem gratia S. Catharinæ Senensi, ut hostia oblata à sacerdote conversa fuerit, in speciosissimum pusionem, qui visus fuit ingredi cor ejus: quo tempore scintillarum è cœlo in caput decidentium imbre, fuit illustrata & accensa. Animæ devotæ, cogitate dulcia de dulci Jesulo, talis adest, speciosus puer! ut corda nostra ingrediatur; ut scintillis divini amoris eadem accendat! Utinam! Heu! quàm nos frigemus inter incendia, quæ parvulus hic accendit, cum illum ex toto corde diligimus.

Cum

Cum nocte Nativitatis Christi, Idæ Moniali sacra Hostia in communione porrigeretur, eadem conversa fuit in parvulum, qui dixit, *En ego me tibi, dilectissima, panis involucro tectum detego; non quod fidem tuam in dubium revocem, sed ut amorem erga te meum, hoc notum faciam argumento.* Rogatus ab innocente puella puer, ut etiam divinitatem suam dignaretur ostendere, evanuit; & Ida sacramento refecta, est, tanto sensu intimæ pietatis, ut per dies quadraginta senserit se tenerrimè afficiente quadam intimorum animi motuum amœnitate, inexplicabiliter delectari. Hæ sunt illæ deliciæ, quibus in natali suo convivio suos tractat Jesus, ac æterno illi præludit. Hæ sunt illæ voluptates, ex quibus suavissimæ pullulant cogitationes; & desideria, ut puero pendenti ab uberibus benedictæ matris sit gloria; puero brutas inter pecudes reclinato, gloria. Puero summa in paupertate, ac rerum omnium inopia, in hanc lucem edito, gloria! puero, quem pauperculi pastores rusticanis affectum muneribus, ut Dominum suum ac Regem honorarunt, gloria. Denique puero, parvulo, imbecilli, tenello, fasciis involuto, vagienti, lacrymanti, gloria, laus, honor, benedictio, gratiarum actio in sæcula. Amen. §. 11. *Alii favores Iesuli erga animas pias.*

Non dubito, quin in hoc discursu, in cordibus vestris sentiatis suavem hanc cogitationem, sive amabile desiderium, O si hodie ita cor meum ingrederetur Jesulus! O si mihi ostenderet pulcerrimam suam humanitatem; vel cum S. Aug. *Quis mihi dabit* (l.1. confess. c.1.) *ut venias in cor meum, & inebries illud.* His desideriis flagrabat Joanna, Religiosa ex Ordine S. Dominici, & apparens illi parvulus, in amabilissimo Matris sinu, illam solata dixit, voce suavissima, ut refert Balinghen 24. Julii: Sponsa! me semper habes intus in animo, per gratiam, & amorem eximium, quo me persequeris. Ama ergo, & desidera, & habes Jesum. Ita Jesum in corde suo habuit S. Bernardus suspirans, Quocunque loco fuero, mecum Jesum desidero. & ser. de Nat. Surgamus! nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis. His desideriis arsit illa Virgo 14. annorum, quæ ingenua simplicitate, tota §. 12. *Præsertim si flagrent sanctis desideriis.*

septem annorum constantia importunis quasi obsecrationibus rogavit Virgam Dei Matrem, ut parvulum Jesum sibi videri liceret; ergo in vigilia Christi nasciturí, in suo oratorio, inexspectato perculsa spectaculo, Matrem cum filiolo vidit, & audivit dicentem, en filius meus tantopere à te desideratus! habe illum in ulnis, amplectere, osculare. Prô! quanta fuit felicitas B. Bernardini Realini, è Soc. Jesu! Puerum Jesum ardentissimis aspirationibus anhelantis! Dum nocte vigil cœlo inhiat, & totum sursum ejaculatur cor, per sacra quædam devoti cordis jacula, ecce videt præsentem una cum puero Jesu Matrem Dei; porrexit illa Bernardino parvulum ad lectum, & tum cum illo de rebus egit, quæ admirabilitatis tantæ, dulcedine perculsum Bernardini cor, in inexplicabiles suavitates eliquarunt; oculos vero lacrymis dulci ubertate manantibus inebriarunt. Ita nimirum suos vulnerat sanctis illis cordis jaculis lacessitus puer Jesus. Philippo Macedoni puero, stellas sagittis configere tentanti, redux ex alto sagitta exhausit oculum. Quid suavius cogitare possumus, quàm ut & nos cœlestium aspirationum jacula, contra Jesulum expediamus? quid dulcius, quàm ab aurea amoris sagitta, quæ Jesulus est vulneremur.

§. 15. Felicitas S. Melchtildis Ejus erga Iesulum affectus.

Melchtildi, datus à Matre in amplexus Jesus, ita illam accendit, ut illa cum ineffabili amore puerum suscipiens, cordique suo illum imprimens, verbis nunquam antea ab illa cogitatis, sed extemporali Jesuli dictamine inspiratis illum salutarit, dicens: Salve paterni cordis medulla dulcissima, languentis animæ sagina & refectio, beatissima! *Tibi offero cordis & animæ meæ medullam, in æternam tuam laudem & gloriam. Item, Dei Patris unicus, & tui, Maria, Virginei cordis unicus amicus, & sponsus dulcissimus.* Denique; Jesu, corona Virginum, amor! dulcedo! & osculum! Accinentium interim Angelorum voces hæ fuerunt. Te DEUM laudamus in sæculum, quem amor fecit Virginis Filium. Tempus est, ut concionem finiam suavi epilogo, ex S. Augustin. ser. 5. de Nat. *O delectabiles vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! O præsepe*

præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum. Coram hoc præsepio volo quiescere,& considerare cogitationes alias sanctissimas, quas crastina die vobis proponam.



CONCIO LIIX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Hoc vobis signum: invenietis infantem, positum in præsepio.

Luc.2. cap. v.12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST continuatio duarum concionum, de aliis sanctissimis cogitationibus de parvulo de Bethleem,cum variis affectibus erga eundem.

§. 1. *Stabulum Bethlemiticum potest dici cælum.*

§. 2. *Parvulus de Bethleem est noster Salvator.*

§. 3. *A quo omnis gratia, omnibus sanctis concessa est.*

§. 4. *Qui proinde in omnem æternitatem laudabunt Christum.*

§. 5. *Parvulus de Bethleem composuit librum vitæ & prædestinationis.*

§.6. *Parvulus de Bethleem; fons olei & balsami.*

§. 7. *Suavissimæ cogitationes,de ejus lacrymis.*

§. 8. *Iesulus tenerrimè nos amat.*

§.9. *Vt à nobis ametur. Affectuosa Historia.*

§.10. *Quæritur, quantum nos illum amemus.*

§.11. *Responsum & desideria auctoris.* | §.12. *Apostrophe, & pium votum ad Iesulum.*

§.1. Stabulum Bethl. potest dici cœlum.

NEscio, quî fiat, quod cogitationes amatorum parvuli de Bethleem, his diebus potius habitent in stabulo, apud præsepe, quàm in cœlis. Fortassis hæc est causa, quod stabulum sit quidam paradisus, vel cœlum in terris. Si enim cœlum sit ille locus, in quo innumerabiles angeli, in suos distincti choros, suavissima Musica & harmonia laudant Deum; cur stabulum non erit cœlum, in quo coram præsepio jacet multitudo militiæ cœlestis, concinens illum hymnum gloriæ, *Gloria in excelsis Deo*. Si cœlum est ille locus, in quo est affluentia omnis gaudii; cur hoc stabulum, non poterit dici cœlum, in quo Mater, Joseph, Pastores gaudent illo gaudio, de quo Angelus ait, *Evangelizo vobis gaudium magnum*. Si denique cœlum est, in quo Deus, infinita pulcritudo, faciem gloriæ suæ ostendit, Angelis & Beatis; quare stabulum non erit cœlum, in quo Deus puer mundo apparuit, & in hoc venustissimo puero nobis ostendit infinitam suam gloriam? Me quod attinet, alibi ego meis cogitationibus versari non cupio, quàm in hoc stabulo. Hoc me monet D. Basilius in reg. fus. *Omni custodia custodiendum est cor nostrum; neque patiendum, ut assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur; neve eorum, quæ mirabiliter ab eo facta sunt,--ut ex perpetua ac purissima recordatione, impressam in animis nostris, piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod signum circumferamus.* Eadem ego assero de parvulo de B. opto, ut ex animis nostris non elabatur &c. Ad hunc finem jam in binis concionibus, vobis proposui ejus excellentiam, pulcritudinem, Majestatem &c. Objectum utique, & tempore isto, & loco, & denique vestra etiam pietate dignissimum. Adverti cogitationes illas, non mihi solum fuisse perjucundas, sed & vobis suavissimas juxta, atque utilissimas. Quare novas & alias, nunc iterum proponam; vos me vicissim vestra attentione, atque benevolentia dicentem prosequimini.

Sua-

Suaviſſimam & plenam ſolatio cogitationem mihi ſuggerunt paucula verba ex cantione, quàm paulò ante cecini[illegible]us, **Were uns das Kindelein nicht gebohren ꝛc.** id eſt, nunquam fuiſſet nobis data & aperta Janua Regni cœlorum niſi hic parvulus nobis natus & datus eſſet, probabiliter arderemus in inferno! dum hæc cogito, ſimul in animum admitto illum, qui inde exſurgit affectum. Benedictus ergo ſit divinus [illegible] ille liberator meus, vindex meus, redemptor meus, ille, [illegible] eruit de profundo lacu, & de tenebris abyſſi ſalvavit animam meam. Auditores amantiſſimi; ſerione cupitis, ut ſalvemini, & æternum non ardeatis in inferno? amate parvulum de Bethleem. Sine illius auxilio, hactenus ſalvari nemo potuit, nemo poteſt, nemo poterit. Itaque Patriarchæ, quod ſalvati ſint, gratias agere debent huic infantulo. Apoſtoli, quod apoſtolicis in cœlo fulgeant honoribus; huic parvulo in acceptis referant. Virgines, quod ſecutæ ſint Agnum præeuntem in cœlum: Confeſſores, quod cœleſtibus fruantur deliciis, Martyres, quod peculiari laureola in paradiſo reſplendeant: denique tota triumphantis Eccleſiæ curia, univerſos ſuos honores, felicitatem, gaudia, delicias, viſionem beatificam, à parvuli hujus cunis, ſemet obtinuiſſe, fateri debent, & verò fatentur promptiſſimè. Non diſputabo modo de Angelis, an & quomodo per Chriſtum redempti & ſalvati ſint: mihi certum eſt Seraphinos beatitudinem ſuam debere aſcribere meritis Chriſti. Idem dicendum eſt de Cherubinis, de Thronis &c. ob quam cauſam ſancti univerſi, & omnes Angeli agnoſcunt parvulum noſtrum eſſe Regem hominum & Angelorum, & ut talem adorant atque venerantur. Quid itaque miramur, quod nocte feliciſſimæ hujus Nativitatis facta ſit multitudo militiæ cœleſtis, & in terris cecinerit, Gloria in excelſis Deo.

§ 2. Parvulus de B. eſt noſter Salvator.

Itaque, ab initio mundi, in Adamo, in Eva, in Abele; in Abrahamo Patriarcha, in Iſaaco, in Moyſe Propheta, in Davide Rege, in Petro Apoſtolorum Principe, in Joanne diſcipulorum intimo, in ipſa Virgine Beatiſſima; nullus fuit, vel devotionis ſplendor, vel ſanctitatis titulus, vel pulcritudinis radius,

§ 3. A quo omnis gratia, omnibus ſanctis conceſſa eſt.

vel vir-

vel virtutum gemma, vel pietatis guttula, vel floſculus illius, quam ſanctificantem nominamus gratiæ; qui non aut ex Nazarethico hortulo, radicem traxerit; vel ex Bethlemitico Oceano originem derivarit. Quid multis? non fuit in omnibus, qui hactenus fuerunt; non eſt in illis, qui de facto exiſtunt, non erit in illis, qui ſequentur, decus ullum, aut gloriæ cœleſtis, aut ſupernaturalis gratiæ ſplendor, qui non à ſole Bethlemitico irradiante, ex ſtabuli tenebris refulſerit. Ab æterno fuit ordinatum, ut hic puer eſſet caput omnium ſanctorum. Origo, fons, radix omnis felicitatis, quam poſſident omnes ſancti. In omnem æternitatem erit veriſſimum, quod omnis collectio, Angelorum & hominum in cœlis, ſuam beatitudinem debeant huic puero. Clarius loquar: ſuppoſito lapſu Adami, & decretis divinis, prout ſunt, ſine hoc puero nemo habuiſſet gratiam efficacem ad ſalutem. Complaceo mihi, in his cogitationibus. Plane ſpero, me cœleſti quondam gloria potiturum. Credo in Jeſulum! Spero in illum! amo illum ex toto corde; doleo, quod illum unquam offenderim! ſed ſi potiar propterea cœlo, in omnem æternitatem fatebor, me id debere Chriſto Salvatori, qui pro me parvulus in ſtabulo naſci voluit.

§. 4. *Qui proinde in omnē æternitatem laudabunt Chriſtum.*

Iterum ſuavis ſeſe mihi ingerit cogitatio; Nimirum: in omnem æternitatem Seraphini & Cherubini, cum omnibus beatorum ſpirituum choris laudabunt Patrem, Filium & Spiritum S. In æternum cantabunt hymnos divinæ Majeſtati, omnes ſancti Apoſtoli; in æternum ſumma ac perfectiſſima Dei attributa deprædicabunt Beati Confeſſores; in æternum omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, una voce concinent Sanctus! Sanctus! Sanctus! in æternum omnes SS. Martyres Virgineſque, divinæ pulcritudinis, quæ in Sacroſancta Triade relucet, ſplendorem laudabunt; ſed ſimul in omnem æternitatem, omnes hæ laudes, benedictiones, affectus, dirigentur etiam ad SS. Humanitatem Chriſti tanquam cauſam & principium gratiæ, & ſanctitatis, in terris, gloriæ verò & beatitudinis, in cœlis. Omnes prædeſtinati, electionem ad gratiam & gloriam debent Chriſto. Neque nos auditores, ſine hoc puero

puero ſalvari poterimus; anne ergo fieri poterit, ut illum non amemus ex toto corde; ut non, frequenter de ejus erga nos amore, ſuaviſſimas foveamus cogitationes. Me quod attinet, palam profiteor, cupio fieri ſalvus, ſed ſimul proteſtor, & libere aſſero; Hic puer me ſalvare poteſt; hic puer poteſt mihi remittere peccata mea: hic puer poteſt mihi largiri ſanctitatem; denique ſanctam mortem, & poſt hanc felicem æternitatem.

Ex ſancta cogitatione una, veluti fœcundo ſemine, naſcitur altera & altera. Illa quam mox narrabo dulcis eſt, & terribilis. Dulcis electis! terribilis, reprobis. O ſublimem cogitationem! Hic puer fecit, compoſuit & ſcripſit aureum librum vitæ, ſive Catalogum prædeſtinatorum. Initio ſcriptum eſt nomen B. V. Mariæ: ſcripſerunt manus Jeſuli. In hoc libro ſcripta ſunt nomina Patriarcharum; Infantulus ſcripſit; In album Beatorum relata ſunt nomina tot millium SS. Martyrum, retulit Infantulus! in cœtu triumphantis Eccleſiæ, in curia inquam cœleſti, aureis ſunt characteribus exarati, labores SS. Confeſſorum; exaravit Infantulus! in capite libri ſcriptum eſt de omnibus SS. Virginibus, imo de prædeſtinatis omnibus, ſcriptum perpetuæ illorum beatitudinis mnenoſynum; ſcripſit infantulus Jeſus. O ſcriptor verè divinus, verè amabilis, ideo eſt caput, Princeps, Rex omnium Electorum. Advertite auditores, an non nobis ſit utile, an non neceſſarium, amare, colere, benedicere parvulum de Bethleem, in cujus manibus eſt liber Vitæ & Prædeſtinationis? Neſcio an pulcrior modò mihi poſſit occurrere cogitatio. Ita! Ita, libro vitæ quaſi ſubſcripſit Chriſtus D. in cruce, ſuo ſanguine; hoc plane fuit neceſſarium; tum liber ille fuit quaſi impreſſus; ſed in præſepio, in Incarnatione, in Nativitate, in ſinu Virginis, Beatiſſimus Parvulus, illum quaſi compoſuit & concepit; In præſepio cogitavit, huic, & huic, & iſti, & tot aliis efficaciter proderit meus ſanguis; hic ſalvus erit! Ite, currite animæ piæ ad montem Calvariæ, ad Crucem, quærite ibi bonam ſolatii veſtri partem; intrate in hortum Gethſemani, & ſanguineas amoris

§ 5. Parvulus de Bethl. compoſuit librum vitæ, & prædeſtinationis.

vestri guttulas colligite; currite ad columnam, & tam animi, quam corporis oculos tristissimo spectaculo recreate (si tamen hæc dicenda est lætitiæ, & non tristitiæ potius materia) considerate vulnera crucifixi, numerate plagas in cruento corpore; amorem in his omnibus perpendite; & demum firmam salutis vestræ spem, concipite; non ego vobis hanc felicitatem invideo hodie; si modo mihi licet ad præsepe nascentis Jesuli tantisper commorari, O me beatum; si infantia Christi, spem magnam in me concitet, & solatium, nomen meum à Jesulo inscriptum esse in libro Vitæ. Si infantulus in præsepio hoc facere cogitavit, spero deinde idem scriptum esse à Christo in cruce, precioso suo sanguine. Ah audit. satis vobis explicare non possum, quam mihi sit bene in his cogitationibus: quam cupiam amare Jesulum, quam desiderem illum complecti brachiis, quàm cupiam ita vivere, ut hic Jesulus sit meus Salvator, de quo cecinerunt Angeli, Evangelizo vobis gaudium magnum, quia &c.

§. 6. *Parvulus de Beth. fons olei, & balsami.*

Subsilire mihi videtur cor meum, præ sancta quadam lætitia: repletur anima mea, tenerrimo quodam gaudio, dum cogito & recogito Deum infantem! Inter alia miracula, quæ contigerunt nocte Nativitatis, fuit & hoc, quod Romæ fons fluxerit balsamo & oleo. Ego illud considerans mox cogito; parvulus noster est fons olei & balsami, quo animarum nostrarum vulnera sanantur. O superbe! quàm turpe ulcus & vulnus est tua superbia. Humillimus infantulus offert tibi oleum gratiæ; si vis, potes sanari. O lascive, quàm periculosa sunt vulnera, quibus te venenatis suis sagittis læsit impurus amor: En hodie stillat tibi balsamum salutis, en hodie Virginis Filius, castissimus Jesulus, pristinam animæ tuæ sanitatem, si modo illum confidenter accedas, restituet. O invide, tua eo periculosiora sunt vulnera, quo occultiora sunt odia, quibus eos, à quibus te læsum existimas, prosequeris. Age, propera ad Medicum vitæ; fluit tibi oleum in officina Bethlemitica; offert & tibi suam gratiam, is qui amore tui, in hunc mundum venit, Jesulus. O sanctas cogitationes. Ponam ergo fastum,

fastum, ut cum humillimo parvulo sim humilis. Amabo castitatem, ut cum purissimo infantulo sim castus &c. Utinam omnes mortales, ita imitentur, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, innocentiam, aliasque virtutes parvuli de B.

Oleo misericordiæ, addit lacrymas: de quibus variæ subito sese offerunt considerationes. Lacrymæ, ut ajunt, præsetim amoris, sunt delicatissimæ particulæ cordis, quæ à flamma latentis caritatis eliquatæ elevantur in altum, in oculos, à quibus stillant. Itaque dum Jesulum in præsepio plorantem intueor, cogito; cum his lacrymis effluit corculum Jesuli, O utinam! in corda nostra! Lacrymæ solent esse testes, subinde doloris, alias amoris; sæpe utriusque; dum cor dolet, dum amat, oculi plorant. Plorat noster parvulus in sinu Matris, ut cogitemus; quàm dolet propter peccata nostra; quàm nos amat! O tristes lacrymas! O amorosas lacrymas! Cum ad nos veniat Salvator mundi, instar sponsi; sed pauper, nudus, egenus, sine divitiis, sine gemmis; ut sit liberalis, offert saltem lacrymas, quæ preciosissimi sunt uniones; & cogito! O me beatum, his gemmis emere possum regnum cœlorum. Dum contemplor has lacrymas cogito esse nubeculas, in quibus apparet pulcerrima iris divinæ misericordiæ, signum pacis & reconciliationis cum Deo. Ingens ornamentum Paradisi fuit fons aquarum viventium. Hodie stabulum est Paradisus, ne desint fontes, oculi Jesuli fluunt lacrymis, sed cogito, & suspiro cum Davide. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea, ad te O Jesule! Lacrymæ refrigerant cor; plorat ergo infantulus, ut id solatium percipiat suum corculum, quod ardet flammis amoris. Nisi iisdem aquis intendat extinguere alios ignes, & quidem inferni. His lacrymis meruit, ut non ardeamus illis in æternum. O mi Jesule! Amen! hoc fiat! Adeste quoque peccatores, intuemini has lacrymas; illis vos obtestatur, ut agatis pœnitentiam. His lacrymis vult emollire dura corda vestra.

§. 7. Suavissimæ cogitationes, de lacrymis infantuli.

Dum denique cogito & recogito nostrum infantem, cum solatio hoc rumino, quàm tenerè, & quàm ardenter nos amet.

§. 8. Jesulus tenerrimè nos amat.

Triplicem in illo reperio amorem. 1. Divinum, æternum, infinitum, quo homo Deus, Deum amat: hic amor fuit illi communicatus cum ipsa natura divina. 2. Amor in illo procedit ex plenitudine gratiæ, quo Deum plus diligit, quàm illum diligat omnis collectio omnium Angelorum & Hominum. 3. Amor, respondet gratiæ capitis, quo Christus tanquam caput nostrum, nos diligit, ut membra, ut fratres, ut amicos, ut filios. Facile advertitis, non superesse in mea clepsydra tantum arenæ, ut hos amores fusius vobis exponam; itaque ut ad finem properem, tantum insinuo, parvulum prosequi nos tanto amore, ut & nos illum amemus & diligamus ex toto corde.

§. 9. *Ut ametur. affectuosa historia.* Ideo, ex illa Virgine, in cujus brachia, ut heri narrabam, à Maria infantulus depositus fuit, quæsivit; Diligisne me? Respondit illa, omnino diligo. Jesus: quantum diligis me? illa, plusquam corpus meum. Ille: An non plus me diligis? Illa: imo plus quàm cor meum. Necdum cessat examinando accendere innocentes calores parvulus. Pergit ergo quærere, P. Nadasi in anno pueri Jesu. Sed quantum plus corde tuo diligis me? O examen inexplicatæ voluptatis! O omnia sciens & videns amor, quam dulci dolo se ignorantem fingit, ut prosit, ut magis ametur. Respondit ergo puella jam conatu ipso respondendi colliquescens corde: Nescio id dicere: ipsum cor meum loquatur tibi. O responsum bene! quod quæstionem omnem, atque adeo vitam Virginis exhausit? Amoris enim vi cœlesti, discisso seu disrupto corde, quasi os ad respondendum amori aperiret, concidit victima innocentissimæ felicitatis. Maria verò, quasi novo jam spolio triumphans, amantem illam animam, sacro sinu maternè excipere, & in celebri Angelorum panegyri cœlo inferre visa est. Adfuere Patres Prædicatores, & in aperto sacro illo pectusculo, dum mortis causam quæri jubent, illam in corde pulcro vulnere hiante, reperere aureo charactere in hæc verba conscriptam: Diligo te, plus quàm me, quia creasti, redemisti, dotasti me. O si ita aspiraremus ad Jesulum, ut aureo charactere nostris quoque cordibus inscriptus & suspirare aureis desideriis nos doceat, & domum suscipiat expirantes.

Cum

Cum parvulus noster in præsepio adhuc sileat, needum loquatur, ego ipsius nomine meis auditoribus hanc quæstionem propono: Quantum diligitis Jesulum? audivistis hac concione, sine pueri hujus auxilio neminem posse salvari; quantum propterea diligitis? an plus, quam corpora vestra? quid siletis? audivistis, Omnnem gratiam, salutarem, ad gloriam æternam dari nobis ab hoc infante; in manibus ejus esse aureum librum vitæ; nullius in illo reperiri nomen, quod ipse non scripserit; quantum propterea diligitis? an plus, quam vestras divitias, quam honores? Puer hic est fons misericordiæ. Puer hic, vos amat tenerrimè; quantum vos diligitis? quàm timeo, ne aliqui cogantur fateri in corde suo, se plus amare creaturam aliquam, quam ament Jesum, à quo creati, redempti, dotati sunt. Si fortassis & vos ex me quæratis, quantum amem Jesulum, non possum, quin paucis respondeam. §. 10. *Quæritur; quantum nos amemus Iesulum.*

Ex doctissimo hujus ævi Poëta. Si amor ignis est, hoc igne uri cupio. §. 11. *Responsum & desideria Auctoris.*

Vre puer mihi corda, volo cinis esse: sed esto
Vrens; æternum ferveat igne cinis.

Si amor flamma est, hujus flammæ amore depereo, & ad pedes Jesuli, coram præsepio prostratus, exclamo & suspiro:

O ego! si migrem tenues pyrausta sub alas,
Hac ut sola mihi pectora, flamma cremet.

Si amor S. Augustino nodus, vel funiculus est, illo stringi exopto.

Iesule; qui teneris stringis pia corda catenis,
Fac mea, Cælestis, viscera stringat amor.

Si amor S. Nazianzeno magnes est, cogito & ingemisco:

O mea si solido, durentur pectora ferro,
Vnus ut illa trahat, Magnes amoris, amor!

Si amor telum est, & sagitta, ad illius vulnera anhelo.

His moriar telis, his me confige sagittis,
Non potero fato nobiliore mori;

Si amor aureum rete est, ah! quis me illo involvet?

Hæc, tibi, captivam teneant retinacula mentem,
His mea (sic moriar) viscera volve plagis,

Si amor flos est, flos esse desidero.

Flosculus ut fiam, dona mihi, floscule Iesu,
Non nisi florigeras, cor mihi, spiret opes.

Denique si amor, fons est, vel mare & Oceanus suavissimè cogito:

His opto pereat, mihi naufraga cymba sub undis,
Illa meam pellent, flumina sola sitim.

§ 12. *Apostrophe & pium votum ad Iesulum.*

En dulcis Jesule! en animule mi! o CorDIVM VoLVptas! vita mea! amor meus! en tibi hos meos ignes dedico; hos tibi offero affectus; amorem dono, ut referam amorem: vulnerari cupio ut convalescam: mori exopto, ut vivam. O amor! O Jesu! O! hoc ultimum meum, maximumque votum est, O JesVLe eX CorDe aMo te! dum vivo, amo: amabo dum moriar. Hoc unum obsecro, sit amoris mei præmium, ut dum ex hac mortali vita aliquando, serius, ocyus, decedendum erit, ultima hæc sit, tum cordis, tum oris mei, vox ac sententia, mi Jesu! amo te! amo te, mi Jesu.



CONCIO LIX.

FESTO CIRCUMCISIONIS D.N. JESU CHRISTI.

Et vocatum est nomen ejus Iesus.

Luc. 2. cap. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OFfert diversis statibus & personis, varias cruculas, ex gazophylacio, sive corde parvuli de Bethleem.

§. 1. S.

§. 1. S. Agnes de monte Politiano, pio furto, Iesulo surripuit Cruculam.

CUm his diebus coram præsepio parvuli de Bethleem, apud me perpenderem, quam spiritualem strenam, ut loqui solemus, distribuerem inter meos auditores, pro Anno 1668. quem hodie ordimur; occurrit mihi illud mnenosynon singularissimi amoris, quo Beatissima Virgo Maria, S. Agneti de monte Politiano, dum ardentissimis flagraret affectibus erga filiolum suum Jesulum, eundem illi tradidit in ulnas, ad suaviandum & amplexandum. Nolo ego modo hærere inter illa gaudia & solatia, quibus sine dubio delibutum fuit pectus piissimæ puellæ; qui Jesulum ex toto corde amant, facile illa sibi possunt imaginari; summa felicitas est, ille ex-

la experiri: *Expertus potest credere*, (ut S. Bernardus cecinit in suo Jubilo) *quid sit Iesum diligere*! Piissima fraus, Agnetis, in illa visione, mihi servit pro præsenti concione, & xenio, quod distribuere cogito. Pendebat è niveo parvuli collo, defluebatq; supra pectus gemmeum monile, cum preciosissima crucula; placuit illa oculis puellæ; & amor audacem fecit. Interim dum sinistra puerum apprimit pectori & cordi, inter oscula & amplexus, fracta catenula surripuit altera manu crucem. Evanuit momento puer, sed non crucula; illa enim mansit in manibus Agnetis; cœleste donum, cœlestis sponsi; peculiarissimi amoris arrha & monumentum. Similis mihi sors & felicitas obtigit auditores. In ipso corde benedicti mei infantuli, veluti regio & ditissimo gazophylacio reperi plurimas & preciosissimas cruculas, quarum aliquas piis suspiriis statim obtinui, à liberalissimo meo JESULO, ut illas, de hac cathedrâ liberali manu dispertiar illis, quibus singulis annis hodierna die, xenium distribuere soleo. Antequam rem ipsam aggrediar.

§. 2. *Diversis statibus & personis, apprecatur annum felicem.*

O felicissime puer! O pacifice Princeps! O dives & auree Pusio! O Sancte Parvule! O nove Puer; O exspectate & desiderate Jesule! oro, obsecro, obtestor! SS. Domino N. Clementi, IX. omnibus Ecclesiæ tuæ Militantis, sub hoc capite membris, Augustissimo Imperatori N. Leopoldo; Augustissimæ ejus Conjugi, Margarithæ; recenter nato, Archiduci Ferdinando; Totius S. R. I. statibus & Principibus; inter illos, R^mo^ & Illustrissimo Principi nostro, Philippo Valentino, Bambergensi Episcopo, Domino nostro Clementissimo; R^mo^, Admodum R^do^ Ecclesiæ Bambergensis Clero, Sanctissimorum Ordinum Religiosis, Sacerdotibus, Parochis; Nobilitati, Magistratui tum Ecclesiastico, tum Politico; civibus, conjugatis, Viduis, Juventuti, divitibus; Pauperibus, Peccatoribus, hoc anno morituris, denique mihi, largire, annum felicem, quia felicissimus es puer. Annum pacificum, quia pacificus es Princeps; annum aureum, quia aureus es: annum sanctum, quia fons es sanctitatis; annum, qualem desiderare & optare possu-

possumus; quia tu solus desideriis sanctis potes satisfacere. Verbo, omnibus annum hunc novum precor felicissimum.

Anno superiori concio mea, die hodierna fuit aurea cistula, plena cœlestibus carbunculis; modo vobis affero scrinium, quod parvulus de Bethleem mihi obtulit, refertum pulcerrimis cruculis. Prima inter omnes, est preciosa, elegans, & sancta. Preciosa; propter materiam, ex auro, exornato pulcerrimis gemmis; elegans propter raritatem artificii, quo est elaborata. Sancta, propter inclusas reliquias; insignem particulam de ligno S. Crucis. Tales cruces, solent esse dona Regum, & Principum. Tales cruces solent asservari inter thesauros & ornamenta Cathedralium Ecclesiarum. Tales cruces solent in pectore gestare, Archiepiscopi, & Episcopi, præsertim dum ad aram Deo offerunt sacrificium Agni immaculati in sanctissima Eucharistia. Quod in Veteri Testamento, summo Sacerdoti fuit in pectore lamina aurea & gemmea, hoc, in Novo Testamento Episcopis est aurea vel preciosa crucula, cui frequenter insculptum est augustissimum nomen Jesu; A græcis vocatur, σταυρὸς ἐγκόλπιος, crux pectoralis. ----Plerumque tales cruculæ, dici possunt sacræ, vel sanctæ, ob reliquias S. Crucis, quæ in illis cum magna reverentia solent asservari. §. 3. *Crucula pectorales sunt ornamenta Arch. & Episcoporum.*

Causæ, propter quas illas ferre solent, sunt pulcræ. S. Chrysost. orat. quod Christus sit Deus, ait: *Hinc valde honestati & magnifici, muniti & protecti sunt.* Orestes Christianus & strenuus miles, rogatus à Lysia Duce, quare auream crucem in pectore gestaret, respondit, *sum servus crucifixi Domini mei, & gesto hoc signum ad omnia mala avertenda, quæ mihi ingruunt.* Cum D. Paulinus Theresiæ pro magno dono cruculam misit, addidit hanc epistolam: *Mittimus tibi crucem, id est, rem tantæ benedictionis. Accipe magnum in modico munus. Sume monumentum præsentis, & pignus æternæ salutis.* Clienti alicui suasit Angelus Custos, Ama signum crucis, & omnia mala à te fugient. §. 4. *Causæ, ob quas Episcopi gerant cruces in pectore.*

§.5. *Crucula aurea cum reliquiis de ligno S. Crucis, pro strena offertur illustrissimo Principi.*

Talia me movent, ut auream cruculam, cum reliquiis S. Crucis pro strena offeram, demississimè, Reverendissimo & Illustrissimo Domino D. Philippo Valentino, Ecclesiæ Imperialis Bambergensis Episcopo, S.R.I. Principi, Domino N. Clementissimo; sanctissima Crux facit Principes, magnificos, felices, gloriosos. Hoc opto animitus, ut hoc novo anno Philippus Valentinus, sit Princeps magnificus, Princeps felix, Princeps gloriosus! Itane? SS. Crux, munit, protegit, & avertit ab illis, hostes & omnia mala? hoc est votum cordis mei, ut superi hoc anno Illustrissimum Principem nostrum, muniant, protegant, defendant, ut omnia mala ab illo avertant. Itane? Crux est res, sive radix tantæ benedictionis, monumentum præsentis, pignus verò salutis æternæ? Illustrissime Princeps, gratiosis oculis respice meam strenam; *Magnum in modico munus*, cum illo, tuæ illustrissimæ Celsitudini, apprecor temporalem & æternam benedictionem atque felicitatem. Lege Clementissime Princeps; Inscripsi cruculæ; felicem; lege, ecce, pacificum, aureum &c. tibi apprecor annum.

§.6. *Crucula aurea, cum suavissimis odoribus Clero Bambergensi, & Ordinibus Religiosis.*

Reliquiis S. Crucis, in aureis cruculis apponi solent suavissimi odores; ut dici possint cruculæ odoratæ. Puto talem fuisse, illam auream cruculam; quâ Magnus quidem Hetruriæ Dux ornari voluit, pulcerrimâ rosa ex preciosissimis gemmis, cum hoc lemmate, *A Cruce felicitas æterna:* cujus apud symbolicos, symbolum est, adorata Rosa. Debeo secundo loco strenam, Reverendissimo & Nobilissimo Ecclesiæ hujus Cathedralis Capitulo, Reverendissimis & Gratiosis Dominis Præposito Decano, Dominis Capitularibus omnibus; Debeo strenam, toti Bambergensi Clero; Ecclesiarum Collegiatarum, S. Jacobi & S. Stephani & S. Gangolphi Canonicis, Vicariis, Parochis, animarumq; Pastoribus. Clero adjungo, Religiosissimos Ordines, S. Benedicti, S. Dominici, Carmelitas, S. Francisci, & minimam Societatem Jesu. Omnibus pro strena, offero cruculam auream, divitem reliquiis S. Crucis, ornatam rosea gemmea & odoratam, ob suavissimos odores, quos illi aspiravit suavissimum cor Jesuli, in quo illam reperi. Uni lateri, lemma inscripsit

scripsit

scripsit S.Paulus, *Bonus odor Christi*. Talis odor, si hoc anno, sit Clerus Bambergensis, in templis, in conversatione, in publico, domi, ubique; ego alteri lateri, odoratæ & S. hujus Crucis addere potero hanc Epigraphen; *A Cruce felicitas*; Temporalis! hoc novo anno, quod omnibus opto; æterna, in altera vita. Rogo omnes, ut ubique pendentem è pectore gestent hanc Crucem; experientia discent, verissimè dixisse S.Leonem de Passione Christi; *Crux, omnium fons est benedictionum, omnium est causa gratiarum*: gestemus itaque hanc crucem, & annus hic novus, nobis erit plenus cœlestibus benedictionibus.

Nobilissimi Ordinis equestris, qui in Hispania vocatur, Equitum S. Jacobi, quorum ipse Rex est magnus Magister, insigne, in pectore, & pallio ex dextero latere, est crux rubra, ex serico, aut etiam ex auro, & argento formata instar gladii. Lemma esse potest militaris tessera Christianorum, in prælio contra Manichæos, *crux vicit*. Lemma esse possunt verba illa quæ Constantinus M. in Vexillo Crucis, quod in nubibus, dum contra hostem iret, legit, *In hoc signo vinces*. Epigraphe esse potest aurea sententia, S.Joan. Damasc. l.4. Orth. fid. cap.12. *Crux est clypeus, atque armatura & trophæum adversus hostes*. S. R. Imperii in Germania Nobilitatem, ego nil aliud esse arbitror, quam Nobilissimum fortium virorum Ordinem ab Imperatoribus institutum, ut avorum, proavorum & majorum exemplo pro Deo, pro fide Catholica, pro Cæsare, pro Patria, cum opus est fortiter pugnent & dimicent. Hunc scopum sibi propositum habent, veræ Nobilitatis candidati, generosi belli duces, Mavortia pectora, bellaces Heroes, animosi milites, Deo, Religioni, Cæsari, Patriæ fideles. Qui ex his præsentes sunt, illis pro strena offero crucem auream, à guttis preciosi sanguinis, quem Jesulus hodie effudit, rubram, formatam instar gladii. Eia generosi heroes, induite loricam Justitiæ, signatam aurea & sanguinea cruce, sumite scutum fidei, galeam assumite; apprehendite gladium crucis; state, pugnate, pro Deo, fide, & Cæsare. Crux vincet! vos vincetis, in hoc signo! Crux vobis

§. 7. *Crux Equitum Ordinis S Iacobi in Hisp. Nobilitati.*

Xxx 2 erit

erit clypeus, & trophæum victoriæ, contra quoscunque hostes. Ita hic annus novus vobis erit felix & fortunatus.

§. 8. *Illustrissimi Principis Consiliariis, crux Rudolphi I. Imper.*

Peculiare aliquid contigit in coronatione Rudolphi I. Imper. cum primus ex augustissima Domo Austriaca in Romanum Imperatorem fuit electus. Dum jam coronato sceptrum offerri debuit, ut illud pro more tangendo fidelitatis diceret sacramentum, nullum fuit ad manum. In astantium turbatione Rudolphus ardenti manu arripuit crucem, quæ astabat in altari, & dixit, *Ecce signũ, in quo nos, & totus mundus redemptus est, & hoc signo utamur loco sceptri.* Ita cruci fixit osculum; & similiter cruce contacta Principes Imperatori dixerunt sacramentum. Dum hæc legi, occurrit mihi elogium, quo Regum & Principum Consiliarii, & ipsi in regno Justitiæ vocantur Reges. Itaque pro strena illis offero non regium sceptrum, sed auream crucem Rudolphi I. ut cum illam è pectore pendentem aspiciant, memores sint illius fidelitatis, quam suis Principibus, consequenter Cæsari & toti S. R. Imperio jurarunt: ut memores sint illius sacramenti, quo obligati sunt, ut quibus debent, jus dicant, Justitiam administrent, cuivis tribuant, quod æquum est; & citò, quamprimum possunt, & sine omnibus respectibus. Memores, Justitiæ oculos esse obvelatos pulcerrimo velo Veritatis & Sinceritatis.

§. 9. *Magistratui Ecclesiastico & Politico crux aurea, cum Horologio.*

Ingeniosi fuerunt Mathematici, in inventione diversorum horologiorum solarium. Inscribunt illa sphæris, columnis, statibus. Laudo illum, qui primus lateribus crucis ita descripsit horas, ut extremitates, sive anguli, serviant pro stylo, per quem sol in crucem necessariam projicit umbram. Horologia rotata, ut annulis, ut turriculis, ut pyris &c. sic etiam cruculis ab artificiosis Magistris affabre includuntur. Talem cruculam, (vellem esse auream, preciosissimis gemmis ornatam) pro strena offero utrique Magistratui, Ecclesiastico & Politico; cum respublica aliqua nil aliud sit quam magnum quoddam horologium, hæc crucula illos monebit sui officii ut cum magna cura, studio, attentione, & vigilantia attendant ut illud bene administretur; ne turbentur rotæ, per rixas, discordias,

cordias, sed potius illa inter omnes sit unio & concordia, qua respublicæ crescunt.

Pergo ulterius; non volo, ut quisquam sine pulcra crucula ex meis Auditoribus redeat domum. Inter meos auditores, sunt alii divites, alii pauperes. Sunt conjugati, sunt viduæ, sunt Virgines. Sunt pii, sunt impii; timeo adesse aliquos, qui actu sunt in statu peccati mortalis. Puto multos ex præsentibus esse sodales congregationis Christi in cruce Agonizantis. Probabile est, aliquos ex nobis hoc anno morituros. Pro omnibus, ex arca ditissimi corculi Jesuli mecum sumpsi preciosas cruces. Laureti vidi cruculam auream, non magnam, sed ornatam 6. adamantibus inæstimabilis precii. Ex cingulo statuæ in sacro illo sacello pendet alia, cum 9. adamantibus, & tribus margaritis, quorum valor dicitur esse 4. millium aureorum. Albertus Dux Bavariæ Virgini Lauretanæ misit cruculam ex Smaragdo, aliis gemmis ita divitem, ut precium sit 12. millium aureorum. Similes cruces, puto placere divitibus; per me liceat, habeant illas pro strena, sed rogo, & moneo illos, ut deinde sint memores, datas sibi esse divitias, ut erga pauperes, id est, pauperē Jesulum sint liberales. Huic datis, quidquid datis egenis. A misericordia vestra, & munificentia vestra, erga miseros, ab eleemosynis pendet, ut hic ann⁹ vobis sit felix & fortunatus.

§ 10. *Divitibus offeruntur preciosæ cruces ex thesauro Lauretano.*

Ex thesauro mei parvuli, aliam cruculam selegi, cujus medio affixa est spinea corona; sed ex auro. Ignoscite mihi pauperes; Jesulus vult & jussit, ut illam vobis offeram pro strena, spina est paupertas, quæ vos premit: spina est, nuditas, quæ affligit, spinæ sunt varia incommoda, quæ vos pungunt; sed hoc solatio vobis sit, patientia vestra spineam mutabit in auream coronam.

§. 11. *Offert pauperibus cruculam cum spinea corona.*

Lib. 2. de S. Cruce refert P. Gretserus fuisse olim in usu ut in utroq; brachio alicujus crucis pingeretur columba, ideo Paulinus cecinit; *Ardua florigera crux cingitur orbe corona, Et Domini fuso tincta cruore rubet. Quæq; super signum resident cæleste columbæ Simplicibus produnt regna patere Dei.* Pictores imitati sunt aurifabri &c. Doctis nihil est notius, quam quod columba, pura, casta, fidelis, sine felle sit symbolum amoris conjugalis. Maritus sit

§. 12. *Conjugatis cruculam cum binis columbis.*

 colum-

columba; ſit talis uxor. uterque purus &c. Sed matrimonium crux eſt, ſæpe non aurea, ſed ex gravi ligno, imo ex ferro &c. ego precor ut ſit aurea, & ideo auream offero cruculam, ſed cum columbis, ut ab illis diſcant, quales in matrimonio eſſe debeant, ſi hic annus illis eſſe debeat fauſtus.

§. 13. *Viduis crucula aurea in cujus baſi ſedet Mater Doloroſa.*

Sequitur crucula nuda in cujus baſi ſedet Mater doloroſa cum cadavere de cruce depoſito. Vidi tales cruculas ex argento; ligneas videre poteſtis in variis Eccleſiis; adverto ex oculis & triſti vultu viduarum, quod dicere velint. Hæc crucula noſtra erit ſtrena. Sic eſt: dum crux veſtra nimium eſt ponderoſa, triſtiſſima Virgo & Mater ſit vobis ſpeculum, in quo patientiam diſcere poteritis. Conſtantia in adverſis, ſub cruce Chriſti, aliquando coronabitur corona gloriæ æternæ.

§ 14. *Crux cryſtallina, cum rubris maculis, crucifixo inter lilia, Juventuti.*

B. Aloyſius Marchio depingi ſolet cum cruce, in qua pendet Salvator mundi inter lilia; lilia ſunt ornata gemmis, imago crucifixi eſt aurea, crucem ſimilem vidi ex puriſſima cryſtallo, in qua variæ apparent rubræ maculæ, veluti ſtellulæ. Elegans donum, quod pro xenio offero Juventuti Bambergenſi, Adoleſcentibus & Puellis; lilia, inter quæ cœleſtis ſponſus libenter paſcitur, & nitida cryſtallus ſunt ſymbola Virginitatis & Puritatis; ut tantum theſaurum ament & cuſtodiant; rogo, ne oculos conjiciant in vanitatem, & pulcritudinem creaturarum, ſed illum à quo in cruce redempti ſunt; ſed illum qui delicias, & opes offert cœleſtes, & guttas precioſiſſimi ſui ſanguinis qui lilia puritatis pulcerrime exornat. Cruculæ, liliis, cryſtallo inſcripſi paucas voculas, ut Juventuti Bambergenſi annus hic novus ſit felix, fauſtus & fortunatus.

§. 15. *Piis & ſodalibus Agoniæ, Crux, veluti faſciculus myrrhæ S. Bernardi.*

Omnes pios, & ſodales Agoniæ colligabo in unum faſciculum, ut ſimul omnibus piiſſimam offeram cruculam, de illa Divus Paulinus hos cecinit verſus:

Sub Cruce ſanguinea, niveo ſtat Chriſtus in Agno,
Alite, quem placida, ſanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat.

Neſcio quis Aurifaber, huic cruculæ inſculpſerit cicatrices quinque SS. Vulnerum; S. Bernardus addidit lanceam, ſpongiam

giam, clavos, flagella, cum hoc lemmate, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Hanc crucem hunc agnum, quinque ejus Vulnera, roseum sanguinem, instrumenta reliqua Passionis; totum fasciculum myrrhæ, *in modico magnum donum* pro strena offero amatoribus Jesu, & amantissimis meis sodalibus congregationis Agoniæ; si sæpe edatis carnem hujus agni; si frequenter bibatis ejus sanguinem, si colere & venerari pergatis rosea ejus Vulnera, si erga Passionem Christi sitis devoti, si fasciculus hic myrrhæ inter ubera vestra commoretur, præsertim in ardentibus precibus pro obtinenda sancta morte, nihil dubito; annus hic novus erit faustus, & felix præludium anni beatissimi, qui in omnem durabit æternitatem.

Peccatores, sive illos, qui ex præsentibus Auditoribus actu sunt in peccato mortali (Deus avertat hoc malum!) nolo ego hodie terrere illo fulmine ardentis concionatoris, aut pœnitentiam agite, aut hoc anno infelici morte moriemini, & in inferno incipietis ardere in æternum. Ego tentabo an munuscula; an aureæ & sanctæ Cruculæ pœnitentiam illis persuadere possint. Aureæ cruculæ plerumque pendent ex aliquo annulo. Nihil est communius. Alicubi in templis ostenduntur aureæ cruces, cum signis miraculosi sanguinis ex corpore Christi. Celeberrima in hoc est miraculosa crux Moguntina. Apud antiquos moris fuit, ut qui à Rege gratiam aliquam obtinere voluerunt, præferrent crucem. S. Carolus Boromæus Arch. Mediolanensis, in publica Processione pro avertenda peste, ingentem prætulit crucem. De Chrotilde refert Gregorius Turonensis, quod multorum scelerum sibi conscia, cum cruce occurrerit Episcopis, ut illos ad veniam & misericordiam commoveret; unde originem traxit illud Elogium, crux gratiæ. Omnes advertunt has cruces pro strena deberi illis, qui sunt in statu peccati mortalis. Utinam hoc novo anno, ex intuitu annuli, sint memores æternitatis, quæ, nisi pœnitentiam agant, in inferno illos exspectat. Utinam hic sanguis Jesu Salvatoris dura illorum corda emolliat, ut tandem cedant vocanti Deo.

§. 16. Triplex Crux offertur illis, qui sunt in statu peccati mortalis.

Deo. Utinam hæc mea strena, sit illis crux gratiæ; cum hac tuti, muniti, sine metu Christo Judici poterunt occurrere.

§. 17. *Morituris, crux mortualis triplex.* Apud Catholicos consuetudo inolevit, ut defunctorum cadaveribus, dum efferuntur ad sepulcrum præferantur cruces ex ligno, ex cupro, vel argento. Ipsis tumulis ligneæ & pictæ cruces imponuntur; imo, depinguntur in ipsis tumbis, quas vocare possumus cruces mortuales. P. Vasquez t. 2. in 1. 2. disp. 162. refert moris fuisse in Hispania, ut equites S. Jacobi, de quibus ante feci mentionem, morituri in agone ex lecto deponerentur humi supra crucem formatam ex cineribus. Anima quædam pia inter pia suspiria, mentionem facit crucis, de qua in apice dependet solus titulus, illi affixus in monte Calvariæ, Jesus Nazarenus Rex Judæorum, & ita anhelat: Domine Jesu Nazarene Rex Jud. tu ipse, non nisi sub hoc tuo nomine Jesu, supra tuum caput collocato, voluisti inclinato capite exspirare; Miserere, ut sub, & in nomine tuo Jesu ultimum feliciter exspirem, & animam meam tradam in benedictas tuas manus. Quid cogitatis auditores? ego cogito: Probabile est aliquos ex hic præsentibus hoc anno morituros. Illis offero imprimis crucem mortualem, ut illius aspectu memores sint se morituros. Offero illis, crucem ex cineribus, & in illis agnoscat mundi vanitatem; Offero cruculam cum nomine Jesu, ut hic illis in supremo agone adsit, & confortet.

§. 18. *Auctor pro strena sibi sumit crucem, inter cujus amplexus cupit mori.* Supersum ego solus. Non descendam ex cathedra sine strena. Illa sum contentus, quæ quotidie jacet ante meos oculos, quam amplectar hoc anno, illa devotione, illa teneritudine compassionis, illa contritione, illis virtutum affectibus, inter quos spiritum meum exhalare cupio in Vulnera Jesu Crucifixi.

CON-

CONCIO LX.

FESTO EPIPHANIÆ.

Obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham.

Matt. 2. cap. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit aliqua grana thuris, & myrrhæ, quæ nos offerre possumus Jesulo. Id est, agit de variis devotionibus & affectibus erga Divinissimum Infantulum.

§. 1. *Sanctæ cogitationes, & pia desideria in hodierno festo.*

§. 2. *Grana thuris & myrrhæ sunt, oratio matutina, & quotidiana auditio Missæ.*

§. 3. *Quid intelligatur per stellam matutinam.*

§. 4. *Nunquam melius, quam mane sub auditione Missæ, Christo loqui possumus.*

§. 5. *Fragrans thus est, bona intentio in omnibus actionibus. Sed vix erit bona, sine granis myrrhæ, sive, mortificationis.*

§. 6. *Bona intentio facit, ut minimis nostris actionibus Jesulus oblectetur.*

§. 7. *Sollicitudo, ut peccata commissa deploremus, futura caveamus; thus est, & myrrha.*

§. 8. *Memoria præsentiæ Jesuli, promovet munditiem cordis.*

§. 9. *Victoriæ per varios actus mortificationis, sunt grana myrrhæ.*

§. 10. *Myrrha preciosa est afflictio corporis.*

§. 11. *Mirabile patiendi desiderium in Magdalena de Ipris.*

§. 12. *Alia quinque grana myrrhæ, sunt mortificatio quinque sensuum, in honorem Jesuli.*

§. 1. *Sancta cogitationes & pia desideria, in hodierno festo.*

EXistimo, hærere adhuc in animis vestris species sanctissimarum cogitationum, quas per ferias natalitias, in meis concionibus de parvulo de Bethleem, vobis communicavi. Hodierno Epiphaniæ festo, aliæ devotissimæ considerationes, inspirante divina gratia, mihi occurrerunt. Cogitavi enim: Reges, qui venerunt ex Oriente in Bethleem, coram puero aperuerunt thesauros suos, & obtulerunt illi aurum, thus & myrrham; O si ita & nos aperiremus nostros thesauros, ut inde Jesulus rapiat, quo delectetur: Quis ille thesaurus sit, aperuit cœlestis sponsus S. Melchtildi; cum enim hac die esset sollicita, quid muneris sibi vellet offerri, jussit, offerri sibi cor, igne amoris purgandum, & inflammandum; Mi Jesule: cape corda nostra; tu illorum habes claves, claude illa omnibus creaturis, ut pateant tibi soli! Cogitavi; O utinam cœlestis amor, me faciat aurum ignitum, ut omnia opera mea sint aurea, ut illa consecrem Jesulo meo! utinam oratio mea esset suavissimum thus, ut ascendat in altum; ut illius suavitate redoleat stabulum parvuli de Bethl. & multò magis cor meum. Utinam cœlestis sponsus permittat me in horto suo, metere myrrham, ut & ipsa, Jesulo meo, sit gratum munus. Tres Reges, ad præsepe deduxit fulgidissima stella; utinam similis me hodie deduceret ad meum amorem. Visa iterum stella, magi gavisi sunt gaudio magno; utinam & ego hodie gaudeam & exultem in Deo Jesulo meo! Cogitavi: Tres Reges in stabulo, stante stella, prociderunt in genua sua, & adorarunt parvulum. Venite auditores, procidamus & nos in facies nostras, & adoremus eum. Cogitavi varia de cogitationibus Jesuli, de ejus erga reges affectu, de exhibita variis signis benevolentia; de cog. B. V. sancti Josephi, Regum &c. Sed nolo, ut Exordium sit prolixius. Exponam in particulari aliqua grana thuris & myrrhæ quæ à nobis Jesulus desiderat. De auro ago alibi.

§. 2. *Grana thuris & myrrhæ, sunt*

Granum thuris fragrantissimi, & myrrhæ probatissimæ, sive, devotionis, & mortificationis, est oratio matutina, & quotidiana auditio sacrificii missæ, præsertim matutino tempore, ante alia

te alia omnia negotia. Inde pendet, ut diem transigamus sanctissime, si *Ipse sol Christus* (D. Ambr. in ps. 118. ser. 19.) *prius in tui cordis illucescat arcano.* quod fit in oratione, & auditione missæ, in qua illum solem sub speciebus Eucharistiæ coram intuemur; & fieri non potest, quin suis radiis nos illuminet. Unde Ecclesia canit in hymno fer. 3. in Matutino; Lux lucis, & fons luminis, diem dies illuminans, verusque sol illabere. S. Melchtildi obtigit illa gratia, ut se viderit in quodã cœnobio, à Jesu, in decennis parvi amabili forma excitari è somno, ad matutinas preces. Si nobis mane preciosus ille deliciarum parvulus adesset ad lectulum, nosque renidente suaviter vultu, surgere actutum juberet, quàm promptè, quàm sanctè diem inchoaremus. Sed molestum est carni & sensualitati surgere tam mane, hyberno tempore, & ob alias multas circumstantias. Sic est: sed illæ mortificationes, sunt illa grana odoratæ myrrhæ, quam cum sanctibus Regibus Jesulo offerunt animæ piæ.

Oratio Matutina, & quotidiana auditio Missæ.

Super versum illum v. 16. cap. 22. in Apoc. S. Joannis, ubi Jesus de se ait; *Ego sum stella splendida & matutina*, pulcrè ait S. Laur. Justin. in Epiphania, *gratia est quædam stella matutina, præfulgida, quæ electum quemque præcedens, corde ducit ad Christum.* Talis fuit stella, quæ tres Magos duxit ad præsepium; quæro ex vobis animæ piæ; an non frequenter mane occurrant vobis similes cogitationes; surgam & ibo ad templum, ut audiam sacrum; die Dominica, in honorem SS. Trinitatis; Die Lunæ pro animabus detentis in purgatorio; die Martis in honorem SS. Angelorum Custodum; die Mercurii, in honorem S. Josephi, S. Barbaræ, aliorumque Patronorum; die Jovis, in peculiarem cultum SS. Sacramenti altaris; die Veneris, in memoriam Passionis & quinque SS. Vulnerum; die Sabathi, in venerationem B. Virginis? An non vobis suggerunt Angeli vestri custodes, ut cogitetis vos quotidie velle audire missam, ad Dei gloriam, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, in satisfactionem pro peccatis, ad impetrandum novas gratias. Hæ cogitationes Auditores, hi motus, hæ suggestiones, hi affectus sunt quædam stellæ matutinæ, quæ electos præcedunt, ad Christum,

§. 1. Quid intelligatur per stellam matutinam.

ſtum ducunt, qui in templo, in altari, ſub ſpeciebus Euchariſtiæ nos vocat, & exſpectat. Surgere, audire vocantē ſequi, audire ſacrum, orare ſub illo devote, ſunt grana fragrantiſſimi thuris, ſive ſuaviſſimæ devotionis. Verùm mi Pater! quot occurrunt impedimenta; alia nos vocant negotia, deficiet tempus; ſurgere verò tam mane, prævenire, vim inferre ſenſualitati, hæc ſunt nimis dura & moleſta. Amice mi! ideo talia grana, ſimul ſunt grana optimæ myrrhæ, ſive mortificationis, quàm quotidie debemus offerre Jeſulo, ſi cum tribus Regibus erga illum velimus eſſe munifici, & liberales.

§. 4. Nunquam melius, quam mane ſub auditione miſſæ Chriſto D. loqui poſſumus.

Olim in urbe Conſtantinopolitana, teſte Curopalata, mane tubis clangebatur, omnibuſque indicabatur facultas adeundi Imperatoris. Tales tubæ ſunt illæ campanæ, quæ quotidie in variis templis, nos vocat ad ſacrificium miſſæ, ibi facultas datur, coram alloquendi Imperatorem Jeſum. Talis tuba fuit vox multitudinis cœleſtis, quæ Paſtores antelucanis, imò nocturnis horis ad adorandum amantiſſimum parvulum evocavit. Talis tuba, fuit fulgida ſtella, quæ excitavit Magos, ut ſurgerent, & venirent in Bethlehem. Tales tubæ nobis quoque ſunt voces & admonitiones, ut in templo, viſitemus quotidie Regem noſtrum. Sponſus ſimul eſt, cujus capilli, pleni ſunt rore matutino gratiæ, & benevolentiæ ejus. Manna devotionis ſuavis, & teneræ, nunquam invenitur certius, quàm mane coram ſacramento Altaris. Verùm nolo ego modo inhærere fructibus, qui nobis enaſcuntur ex quotidiana auditione miſſæ; intendo ſolummodo, paucis verbis vobis inſinuare, hanc devotionem ſimul eſſe ſuaviſſimum thus, & myrrham, quam parvulo de Bethleem offerre debemus.

§. 5. Fragans thus eſt bona Intentio in noſtris actionibus, ſed intentio vix erit bona, ſine granis

Granum ſuaviſſimi thuris eſt illa devotio, vel intentio, qua, omnia opera noſtra facienda offerimus & conſecramus Jeſulo. Suaviſſimum holocauſtum illi adolemus & incendimus, cum volumus illi, illa omnia eſſe ſacra, quæ cogitatione, dicto, facto acturi ſumus tota die, tota ſeptimana, toto menſe, toto anno, tota vita. Viſus eſt aliquando infantulus S. Roſaliæ Virgini imponere auream coronam, roſis ornatam. Ditiſſimus quippe eſt coro-

coronarum, quas nobis offert, si ardenti ac pura divinæ gloriæ intentione, in unione preciosissimorum Dei Jesu meritorum, in unione thuris, quod obtulerũt magi, ea, quæ molimur, omnia quotidie Deo offeramus. Pulcre S. Joan. Chrys. hom. 3. in Matt. Deus in hoc est totus, ut etiam pro exiguis te coronet; undique occasiones requirens, per quas te de gehennæ possit liberare supplicio-- Ideo circa ferias Natalitias hæc fuit tesseraria vox S. Bernardi; ser. de Nat. *Surgamus: nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis.* Magdalena de Pazis dicere fuit solita: Omnes & singulas actiones, respirationes omnes, passus, cordis & oculorum motus, cum omni corporis, animiq; motu offerre SS. Trinitati per Christum, & unire illa cũ ejus meritis; hæc devotio, ait, hoc holocaustũ, hoc suaveolens thus, certissima est præparatio, ut per beatam mortem, sine purgatorio, recta via pergamus ad cœlum. Ecce thus: quo delectatur Jesulus. Visus aliquando fuit Christus D. de cœlis in pectus viri sancti lucidissimos evibrare radios, cum incredibili cordis gaudio, atque solatio; in præmium quod vir ille in suis actionibus, studiis, laboribus nihil spectasset, nisi unius Divinæ Majestatis cultum atque obsequium. Estne in votis vestris, animæ piæ, ut amabilis puer in sinu Matris suæ, è pulcerrimis oculis, è tenero suo pectore, & suavissimo corde, in corda nostra, in linguas, in manus, in potentias animæ, in omne corpus, in omnes internas, externasq; actiones, similes projiciat radios lucis; estne in votis, ut iis hodie oculis, nos respiciat, quibus respexit tres reges? procidamus cum illis in terram, adoremus illum, aperiamus thesaurum cordis, offeramus ex illo suavissimũ thus, id est, oculum intentionis nostræ, ut ab illo toti fiamus lucidi, ut ille radius, ille amor, illa lux, qua solum Dei gloriam intuemur, sit anima & vigor omnium nostrarum actionum. Ut talis sit intentio nostra, necesse erit, ut quotidie, ut singulis horis mortificetur sensualitas, ut mortificetur amor proprius: mortificandi erunt oculi, mortificanda lingua &c. hi actus mortificationis, sunt grana myrrhæ probatissimæ, quæ thus devotionis faciunt longè suavius & odora-

myrrhæ sive mortificationis.

odoratius. Hac myrrha oblectatur Jesulus: ut proinde valde mihi placeat monitum Viri valde spiritualis; Jesulo tanquam verè, vero & unico Deo ac Regi offer quidquid agis. Orationem, tanquam aurum optimum: Intentiones, tanquam selectum thus; mortificationes corporis, animique tanquam myrrham regiam.

§.6. *Bona intentio facit, ut Jesulus, minimis nostris actionibus oblectetur.*

Quod actiones minimæ factæ in honorem Jesuli illi placeant, cum magno solatio didicit Theresia de la Cerda ex Ord. S.Dominici Religiosa: tenero planè studio, lavabat lintea, corporalia, & quidquid erat ad obsequia SS.Eucharistiæ. Ne verò importunæ muscæ aliquid illis labis aut sordium aspergerent, dum siccarentur à sole, adorat semper. Preciosum autem sanctissimæ operæ precium tulit, quando ipsum plenum deliciarum Jesulum, mundis linteolis insidere, ac demum ad majores cordi Tересiæ delicias faciendas, illi sese, tanquam suis linteolis, admirabili suavitatis significatione, involvere conspectus est. O si tales panniculi forent omnes nostræ actiones, omnes cogitationes, omnia verba, ad involvendum parvulum de Bethleem! erunt tales, si exhalent odores, hujus thuris, & myrrhæ, quam pii Reges illi obtulerunt.

§.7. *Sollicitudo, ut peccata commissa deploremus; ut futura caveamus; thus est, & myrrha.*

Cum verò illis à fœtidis muscis per diem à cogitationibus vanis, ab amore proprio, à suggestionibus inimici &c. facile aliquid labis aspergatur, cùm intentiones nostræ facile vitientur, præsertim per peccata venialia; sollicitos nos esse oportet, de thure illius devotionis, qua animæ teneræ, quas sibi in sponsas elegit pulcerrimus puer Jesus quotidie per actus amaræ pœnitentiæ (quæ odorata est myrrha) minimas labeculas calidis lacrymis deplorent. His lacrymis, veluti odoratis granis de thure & myrrha iterum oblectatur parvulus de Bethleem. Nolite esse solliciti; quomodo cum Regibus hæc munera offeratis; crescunt illa in cordibus vestris. Recreat me, quoties de illo cogito, favor Jesuli erga pœnitentem Virginem. Lacrymas, quæ ex illius oculis, fluebant, parvulus Jesus, adhuc ab amore & dolore, amantis & dolentis cordis calidas, suis manibus excepit, in quibus, conversæ fuerunt in guttulas odorati balsami,

balsami, & unguenti optimi. Ubi odorato illo rore plenam manum collegit, (quasi cœleste balsamum collegisset,) illo sibi totum pectusculum, & cordis regionem perunxit, O quanta intimæ dulcitudinis significatione: quia ex corde contrito effusæ fuerunt, voluit parvulus illas refundi in cor suum. Tum deinde intellexit, felix hæc Virgo, preciosas esse in parvuli Jesu conspectu, lacrymas erumpentes è fonte odii peccatorum, & veræ contritionis. Amatores Jesuli toti in eo sunt, ut per diem abstineant in gratiam illius ab illis omnibus, quæ displicent mundissimis illius oculis. Toti in eo sunt, ut malint mori, quam fœdari. Hæc cordis puritas & mundities, suavissimum thus est; mortificatio ad illam consecrandam, & promovendam necessaria, myrrha est. Ex utroque, ex thure & myrrha, ex cordis munditie & mortificatione preciosum componitur thymiama, quo parvulus de B. oblectatur.

Medium aliud obtinendi, cordis munditiem, & agendi omnia ad honorem Jesuli didicit S. Melchtildis l. 1. cap. 7. Vidit enim cœleste planè spectaculum! Vidit amorem divinum in forma pulcerrimi Juvenis, pulcerrimo splendore collucentem, Christo recens nato parvulo una cum Virgine Puerpera, & S. Josepho, ipsa Jesulo natali nocte assistentem; tum Melchtildis, *amor dulcissimè!* inquit, *doce me, quid faciam pro parvulo.* Dicere nos possumus hodie, amor dulcissime! doce nos, quid faciemus, ut cum Regibus Parvulo offeramus thus & myrrham? Respondit Melchtildi amor, & cum amore Jesulus; *accipe me in socium tuum, & quæcunque agis, mecum agas! Age cum Jesu, quidquid agis. Oras? ora cum Jesulo. Scribis? scribe cum Jesulo &c.* Tametsi nescias, tamen te aspicit, te juvat, te amat ubique Jesulus, qua dum est. Hæc cogita, hæc memorare, & non facile offendes tuum amorem, etiam venialiter. §. 8. *Memoria præsentiæ Jesuli, promovet munditiem cordis.*

Grana myrrhæ probatissimæ sunt actus mortificationis, quibus nos vincimus, & ut loquimur mortificamus. Vellent oculi videre jucunda, pulcra, curiosa; vince te, cogita in honorem Jesuli talia non videbo. Sic offeres myrrham. Vellent aures audire suavem musicam; cogita, in honorem Jesuli non §. 9. *Victoriæ per varios actus mortificationis sunt grana myrrhæ.*

volo

volo audire. Hoc est se vincere; hæ victoriæ sunt grana myrrhæ. (hoc modo poteris discurrere per alia objecta mortificationis.) Devotæ cuidam personæ, petenti videre Christum infantem apparuit illi Jesulus, sed involutus in fasce spinarum. Sic spinis, non rosis te involve. Spina est paupertas: patere in honorem Jesuli. Spinæ sunt detractorum linguæ. Patere: spinæ sunt morbi & dolores: vince te, patere: Victrix hæc patientia, & fervens patiendi desiderium, sunt myrrha, quam petit Jesulus. Melius est, esse inter spinas, in frigore, in siti, in nuditate, in laboribus, in periculis, cum Jesu, quàm sine illo, inter rosas. Vince, vince spinas, & sic caput tuum para roseæ coronæ. Vincenti dabitur manna absconditum. Vince, quidquid carni molestum est. Affligit parvulus, sed ut reficiat. P. Bernardinus Realinus S. I. ipsa nascentis Dei Jesu nocte, multis horis hærendo in Confessionali, pene totus frigore diriguerat. Ad conclave reductus, mentem ad suavissimum Nativitatis mysterium elevavit, & ecce Cœlitum Regina inter Angelorum melodiam parvulum suum dilectum inter Bernardini brachia reposuit. Et adeo illum dulcis ille à Mariæ sinu igniculus illum calefecit, ut non solum corde toto arderet, verùm ne corpore quidem frigus sentiret; O felices corporis afflictiones, quas adeo exaggeratis deliciis compensat dulcissimè liberalis Deus. Ego satis perpendere non possum, quibus sine dubio deliciis, tres Reges, oblatum à Maria filiolum, fuerint amplexati; quibus illos parvulus recrearit voluptatibus: postquam illi preciosa illa munera, aurum, thus & myrrham obtulerunt. Si illarum deliciarum cupimus esse participes, si Jesulum velimus amplexari, vincamus prius nos ipsos, & myrrham offeramus.

§. 10. *Myrrha preciosa est afflictio corporis.*

Amor Crucis, sive afflictio sui corporis plane regia est myrrha. Rem admirabilem de Philipp. II. Hisp. Rege referunt historiæ. Paulo ante mortem ad se, advocavit regnorum hæredem Philippum III. allatoque eburneo scrinio, inde filio Crucifixum extractum dedit, & flagellum. Imperator, inquiens, pater meus Carolus V. diem suum obiit manu tenens hoc simulacrum crucis; eadem significatione pietatis, mori mihi

mihi perdulce eſt; rogo enixè Deum, ut non abſimili religioſi animi argumento, filio meo mori contingat. Cape fili, piæ inſtrumentum lanienæ flagrum; & patris atque avi ſanguini, quo reſperſum vides, adde tuum. Ita extinctus eſt. Cadaver, à morbis, doloribus, vermibus ferè corroſum, repertum eſt, indutum cilicio. In regio hoc ſpeculo, diſcite, quid ſit myrrha mortificationis: quocunque modo id fiat aliquo modo affligere corpus; Rex regum Chriſtus, natus, non roſis, ſed paleis voluit imponi; in cruce guſtavit, non mel, ſed fel. Patere pro Chriſto adverſa, & redolentem offeres myrrham.

Magdalena de Ipris, ab anno ætatis ſeptimo in honorem Jeſuli incepit corpus ſuum vexare ſpinis & urticis. Decennis cum aliquando in crucifixum conjiceret oculos exclamavit, O Jeſu! pro te nihil in rependenda vice hactenus feci! ubertimque plorans, ſola in ſylvam concedens, ibi ſpineis virgis cum copioſa ſanguinis effuſione verberavit. Idque ſæpe in recordationem Vulnerum Chriſti, cum lacrymis fecit. Teneritudinem objicientibus dixit, Jam parata ſum, omne tormentorum genus pro Chriſto pati, ſi ſe occaſio offerret. Amatores mei Jeſuli; non ego à vobis peto, ut ſpinis vos involvatis, non ut flammis pectori veſtro nomen Jeſus inuratis &c. Non! ſed, offertne ſe occaſio, quâ te lædit tuus proximus? hoc tormentum patere pro Chriſto. Permittit DEUS, ut te affligant morbi &c. hos patere pro CHRISTO (poterit fieri longa inductio) & talia, ſunt grana probatiſſimæ myrrhæ.

§. 11. Mirabile patiendi deſiderium in Magdalena de Ipris.

Reſtant quinque grana myrrhæ probatiſſimæ, & ſunt mortificatio quinque ſenſuum. S. Gertrudis Virgo laudatur, quod nunquam verbis aſperis vel aculeatis ſocias fuerit allocuta; additur hæc cauſa, *utpote quæ linguam ſuam ante in ſanguine Dilecti ſui tinxerat.* O ſi ita quoties loqui volumus, ante linguas noſtras conjungeremus cum lingua JESULI, quot caveremus peccata! quot reportaremus victorias! quot grana myrrhæ offerremus JESULO! Quot oculos attinet de ſe ait S. Bonaventura in ſtim. amoris, capite 1.

§. 12. Alia quinque grana myrrhæ, ſunt, mortificatio quinque ſenſuum; in honorem Ieſuli.

Cum quadam vice Vulnera mei Salvatoris oculis meis subintrarem apertis, *pratinus vivo & tepenti sanguine, oculi mei fuerunt repleti*; Sicque ut nihil videns, cœpi ire, manu palpans, donec perveni ad intima suæ inexplicabilis caritatis, quibus undique circumplexis reverti nequivi: ideoque ibi habito, ibi quiesco, & quibus vescitur cibis, pascor, ibique delectabiliter inebrior suo potu. Ibi totus ardeo amoris fervore, ibi totus perfundor jucunditatis dulcore, ibi simpliciter fruor abundantia omnis boni. Felices sensus! qui à Christo ita sunt absconditi! O si ita in oculis nostris esset forma & species pulcerrimi Jesuli; O si ita semper in auribus nostris resonaret dulcissimum nomen ejus, Jesus. O si gustaremus quàm suavis sit; O si odor ejus nos traheret ad se, O si palpando illum cum Thoma, fieremus sani. His desideriis fieri satis non potest, nisi per seriam & vigilem mortificationem.

NB. Fiat pulcer affectus, O si ita ingredi possemus cor Jesuli.



CONCIO LXI.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRG. MARIÆ.

Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.

Luc. 2. cap. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria, tanquam Mater misericordiæ comparatur cum sole, & stellis.

§. 1. *Purificatur Maria: nihilominus tota pulcra est.*

§. 2. *Consensus ejus in Incarnationem Filii Dei, succurrit mundo.*

§. 3. *Quam*

CUm subinde Sol in nostro horizonte nigra & tristi eclipsi obscuratur; in astronomia rudes, putant ipsum solem esse fuscum & nigrum. Cum lucidissimo alicui speculo, tenue, sed nigrum velum, instar telæ alicujus araneæ objicitur, qui illud à longe intuentur, putant speculum esse obscurum. Cum formosissimæ rosæ insidet apicula, dum fundo floris se planè immergit, aliqui timent, ne aculeo suo noceat flori. Omnes decipiuntur; sub eclipsi Sol est pulcherrimus; sub velo speculum est lucidissimum, rosam non vulnerat aculeus apis. Idem plane accidere solet hodierno festo, quo Virgo Mater Dei, in templo purificatur: dum legi se subjicit, videtur illa obedientia, pulcherrimo soli, formosissimæ Virgini inducere aliquam nigredinem, vel maculam. Decipimur! Maria sub hac eclipsi est pulcherrimus Sol. Illa legis subjectio pulcherrimum speculum tegit aliquo velo, vel umbra alicujus immunditiei. Erramus! Maria est tota pulchra; sub hoc velo purificationis est nitidissimum speculum. Formosissima rosa est Mater Dei; cui videtur inhærere aliqua spina, vel aculeus alicujus impuritatis; iterum illudimur. Rosa est inter spinas, à quibus non læditur. Cur ergo hic Sol, hoc speculum, hæc rosa hodie purificatur? cur Virgo se subjicit legi? Præter varias causas mihi hodie satisfacit citatus versus ex Evangelio. *Tulerunt illum* &c. Venit Virgo ad templum ut filium suum pro humano genere offerat Patri. Solent plerumque concio- §. 1. *Purificatur Maria, tamen tota est pulcra.*

natores festis B. Virginis quærere, quo titulo, festo conformi Maria laudari debeat; pro hodierno festo mihi placet resolutio sancti Bernardini. *Virgo Maria debet appellari Mater misericordiæ.* Hunc titulum selegi pro hac concione. Verùm quia æquum videtur ut hodierno festo luminum B. Virgo comparetur luci, vel lucidissimo alicui sideri; itaque comparabò soli, ita ut sol misericordiæ, sit mater misericordiæ & contra. Nemo terreatur communissimo hoc titulo, conabor afferre aliqua, quibus non memini me esse usum alias.

§. 2. *Consensus Mariæ in Incarnationem Filii Dei succurrit mundo.*

Digna sunt observatione verba sancti Bonaventuræ. *Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo.* Non libet mihi modo multis agere de hac matris misericordia; satis illam vel hodierna solum die ostendit, dum patri cœlesti in templo pro genere humano filium suum obtulit; filium Unigenitum, & tam dilectum; & ad tam ardua perferenda, imò mortem crucis. Cum solatio ego puto B. Virginem, dum hodie in templo Virgineis brachiis Filiolum suum altari imposuit, elevatis in cœlum oculis dixisse ad Patrem; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Justissimam causam habuit repetendi hæc verba. In historia Annuntiationis ego observo, B. Virginem non statim dedisse responsum Gabrieli Archangelo. Ait hic, *Ave gratia plena, Dominus tecum,* territa Virgo siluit. Pergit Angelus. *Ecce concipies,* territa fuit adhuc magis, & siluit. Inquit cœlestis legatus; *Paries filium & vocabis nomen ejus Iesum.* quàm dulce mysterium latet sub cortice dulcissimorum horum verborum, hoc enim Gabriel his verbis voluit dicere. O Virgo, Filius quem paries salvabit mundum, sed requiritur tuus consensus; tu debes imponere dulce nomen JESUS. Ille debet incarnari, ut misericordiam exhibeat mundo. Tu debes concipere, ut fias misericors Mater misericordissimi filii. Ille debet nasci; placet Patri cœlesti ut tu parias: debet nudus jacere in præsepio. tu debes pannis involvere; debet pati, tu com-

compati. Ille debet fundere sanguinem, tu lacrymas: debet mori, ut ex infinita misericordia succurrat homini in tanta miseria; Ut tu fias mater, & filii Dei, & mater misericordiæ, debes consentire. Et statim respondit, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* O beata Maria! exclamat sanctus Augustinus sermone 18. de sanctis; *Quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito.*

Clarius, & atrociora, hodierna die in templo beatæ Virgini prædixit Simeon. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris.* quasi diceret. O magna mater! erit cum hic filiolus tuus, jacens in meis brachiis, pro salute hominum, jacebit nudus in brachiis crucis, imò clavis illi affigetur! O quis gladius doloris pertransibit animam tuam! veniet dies; qua hunc filium tuum videbis alligatum columnæ, coronatum spinis. Ut sit JESUS; hæc pati debebit. O quis gladius! Tristia nuntia! non tamen cogitate Virginem in corde aliud respondisse, quàm, *Ecce ancilla Domini*, ita Pater! verbo; Patri obtulit suum Filium ad atrocissimam mortem Crucis; & ideo *magna fuit erga miseros misericordia MARIAE adhuc exulantis in mundo.* Stans deinde juxta Crucem ostendit adhuc magis.

§. 3. Quàm atrocia illi prædixerit Simeon.

Pergit sanctus Bonaventura. *Sed multo major erga miseros est misericordia regnantis in cœlo.* Ut, licet in illa gloria innumera illi debeantur elogia, magna, grandia, gloriosa! quod sit Regina Angelorum, Regina Patriarcharum, &c. præ omnibus pro nostro solatio, Virgo MARIA debeat appellari mater misericordiæ. Caussam addit idem S. Bonaventura. *Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam.* Unde pro splendore prioris misericordiæ fuit MARIA pulcra ut Luna, pro splendore verò posterioris misericordiæ, est electa

§. 4. In cœlo, est magis misericors.

 ut sol.

ut Sol. Confidite triſtes & afflicti, confidite peccatores, qui jacetis in tenebris & umbra mortis, hodierno feſto luminum; ſol vobis eſt miſericordia Mariæ!

§. 5. *Miſericordia Mariæ comparatur ſoli.* Solem Deus oriri facit ſuper bonos & malos. Bonis; Maria qualis ſol? ſpecioſus; calefaciens; Sol lætificans radiis lætitiæ! Sol illuminans! Malis, eſt Sol miſericordiæ! Omnibus Maria ſe exhibet piam, Juſtos inflammat, peccatores illuſtrat; bonos recreat, perverſos juſtificat. Suaviter, ut ſolet, S. Bernardus. *Ea eſt quæ veluti alterum ſolem ſibi induit.* Dixit hoc S. Bernardus cum vidit mulierem amictam ſole. *Quemadmodum enim ſol ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic Maria quoque præterita non diſcutit merita; ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet; omnium denique neceſſitatibus ampliſſimo quodam miſeretur affectu.*

§. 6. *Pulcra Emblemata.* Placet mihi emblema in quo lucidiſſimo ſoli, ſymbolo glorioſæ Virginis, in celerrimo ſuo curſu hoc lemma aſcripſit, *Videns & feſtinans.* An ergo ſol habet oculos, vel pedes & alas? lemmati occaſionem dedit nomen Ruth, quæ vocula ex hebraico ſic interpretatur, *videns & feſtinans.* Talis Sol eſt Mater miſericordiæ; *videt noſtram miſeriam* (N.N.N.) *& feſtinat ad impendendam nobis ſuam miſericordiam,* ait S. Bonaventura. Puto me aliquando legiſſe aliquos, qui ſolem vocant ſpeculum; O lucidum ſpeculum! Sed quomodo Mater miſericordiæ ſpeculum? Cauſam advertit S. Bernardinus Senenſis, *ex Maria* (ex hoc ſole) *tanquam ex ſpeculo divinæ bonitatis radii ad nos copioſius perveniunt.* In ſe hoc ſpeculum eſt totum ardens; plenum radiis divinitatis. Sol juſtitiæ, Sol infinitæ Majeſtatis concluſus eſt in hoc ſpeculo. Quoad nos ex hoc ſpeculo decidunt primùm radii pulcræ dilectionis, radii amoris, deinde radii pietatis; conſolationis, & miſericordiæ. Talis ſol eſt Maria! In alio Emblemate ſuper ſolem radiis totum mundum illuminantem addita eſt hæc epigraphe: *In altiſſimis*, ſcilicet, eſt ſedes ejus; mihi placet ſubſcribere. *In profundiſſimis,* ut hoc emblema mihi referat Matrem miſericordiæ. Item in altiſſimis, ante thronum Divinæ Majeſtatis eſt Regina; ſed ſimul eſt in pro-

in frofundissimis, dum suis radiis, suo influxu penetrat etiam corda peccatorum.

Nihil est communius, quàm ut sol, mundi oculus, vocetur, quem suis radiis, veluti oculis circumquaque intuetur & illuminat. In aspectu horum radiorum, vel pulcerrimi hujus oculi, solis, memini ego oculorum, de quibus quotidie dicimus in salve Regina; Eia ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte; his nimirum oculis, nos de cœlo intuetur Mater misericordiæ, veluti pulcerrimus sol. Amor solet pingi cæcus, nihilominus est acutissimi visus? præcipuè erga objectum quod amat; quid dicam de amore Mariæ erga nos miseros; quæ est illuminatissima, cujus oculi Deum intuentur, quæ alterum induit solem, vestita sole, quæ tota est sol! sine dubio, quia simul tenertimè nos amat, omnes nostras miserias clarissimè intuetur. §. 7. *Mundi oculus Maria.*

Advertite aliquid quod affectu plenum est, & è corde tenero lacrymas facillimè potest elicere. Gen. 43. v. 29. Josephus remittit in patriam suos fratres, hac lege, ut germanum Benjaminum sibi sistant. Omitto plurima ex historia; cum reduces ingressi fuerunt in conclave Josephi, ait textus, *Attollens Ioseph oculos vidit Benjamin fratrem suum uterinum.* Quærit S. Ambrosius; nunquid fuerunt undecim, quomodo dicitur vidisse unicum Benjamin? & respondet, *Naturale est ut quos diligimus eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio tenet, priores eos obtutus offendat oculorum.* Vidit igitur Benjamin Joseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat, quo absente pœne fratres non viderat. Gratulor vobis ô sancti Spiritus; O sancti Dei! gaudeo vos adesse vestræ reginæ in gloria. Sed hoc me solatur, quod nos in hac lacrymarum valle simus quasi Benjamin; quia nos valde diligit, quia nos tenet in dulcissimo corde suo, & animo, ideo pulcherrimis oculis [illegible] quoque requirit, nostras miserias intuetur, ut opituletur. Nihil ejus visum fugit, omnia diligentissimè intuetur, ut opportunè opem ferre possit. Suaviter & subtiliter ait S. Amedæus hom. 8. de laud. Virg. *Quo enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eo* §. 8. *Videt Maria nostras miserias.*

pro-

profundius afflictorum, & misereri, & miseriis succurrere novit.

§.9. *Et quidem in corde filii sui sicut in speculo.*

Affectuosam cogitationem mihi suggerunt hæc verba, diffluo gaudio cum videre mihi videor quàm suavibus oculis hodie in templo mater aspexerit suum filiolum? quàm dulces in illum conjecerit radios? non miror. illum tenet animo, illum diligit, illum unum oculis requirit. Quis ibi coram B. Virgine murmurat, *Eia ergo advocata nostra &c.* O pia Domina ego modo hoc non peto; Perge dulcis Virgo, ad tuum filiolum converte tuos oculos; illum aspice! nam Auditores hoc me solatur, in lucidissimis illis speculis, in oculis filii, imò in divino ejus corde videt, intuetur omnes nostras miserias, & si velimus, succurrit, quia & nos tenet animo, & nos diligit, ut mater misericordiæ, nos aspicit ut sol, ut oculus misericordiæ. Idiota. *Beatissima Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & advocata, & cura illi est de omnibus. longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ. Sibi propinquos, suos clientes, per specialem devotionem consolationis suavitate præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ, & sic non est; qui se abscondat à calore ejus, à charitate & dilectione ejus.* Sol est in tenebris, sol est in mundo, sol est in cœlis, hodie pulcerrimus, lucidissimus sol, cum sole in brachiis. Sol Jesulus: Sol Maria; uterque sol misericordiæ & clementiæ.

§.10. *Confirmatur ex S. Anselmo.*

De hoc oculo mundi, de oculis matris misericordissimæ silere non possum, nisi ante proferam verba S. Anselmi apud sanctum Antonium 4.tr.18. *Impossibile est quod illi, à quibus Virgo Maria oculos misericordiæ avertit, salventur. Ita necessarium est quod hi ad quos oculos tuos convertis, pro eis advocans, justificentur & glorificentur.* Medium certissimum obtinendi hanc gratiam, ut [illegible] misericordes oculos ad nos convertat, præscribit B.Petrus [illegible]ianus. *Amor, non nisi amore rependitur.* Scio Domina, quia amas nos amore invincibili. Ergo, O fideles, eam amare pro viribus studeamus. Duo præstabit, primò oculos suos ad nos convertet. Secundò ostendet nobis benedictum fructum ventris sui Jesum. Sancto Simeoni non tantum

tum ostendit, sed dedit in brachia, ut cœlesti gaudio delibutus dixerit, *Nunc dimittis* &c. quasi diceret, quàm libenter jam moriar? eadem gratia nobis obtinget, si amemus Mariam. Si apud illam quæramus nostrum Salvatorem.

Plane peculiare aliquid asserit S. Eusebius Emyss. in catena in sanctum Lucam de stella quæ tres Magos deduxit ad præsepe, *Ecce stella antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer.* Notate; non dixit textus, supra puerum, sed *supra, ubi erat puer*; Et ubi erat tum, cum venerunt Reges? non vidi ego ullam imaginem, quæ depingit historiam trium Regum, in quâ non viderim puerum in sinu vel in brachiis Virginis, probabile enim est, Virginem, cum audivit, cum vidit equites peregrinos, è præsepio in sinum accepisse puerum. Jam advertite mysterium stantis stellæ, ex verbis citati Eusebii. *Stat stella super stellam.* Maria enim est stella Maris. Stat supra ubi erat Puer, & ubi erat Puer nisi in sinu Matris? Stabat stella, & clamabat Magis: Hic est Mater, hic eum quærite, hic eum invenietis! O pulcherrima Virgo! gratulor tibi ex medullis cordis! O dilecta, scis quod amem te, cur non gratularer? gratulor tibi de tuo filiolo! aspice illum millies! amplectere millies! quiescat hic fasciculus in sinu tuo: sed ecce Mater! ecce fratres tuos, ecce alios tuos filios! ecce clientes! O Virgo, & nos desideramus videre JESUM, & nos cupimus amplecti, præsertim in umbra & tenebris mortis; Eia ergo advocata nostra &c. (pulcre ex Salve Regina.) §. 11. *Pia petitio ad B. Virginem.*

Finio verbis Sancti Bonaventuræ Spec. Virg. *Nautarum mos est, ut unum sidus eligant, cujus luce in eam partem, quam desiderant, possint adduci. Tale certè officium est stellæ nostræ Mariæ, quæ navigantes per mare mundi dirigit ad littus cælestis patriæ.* Itaque O Sol misericordiæ! O Maria: te eligo, &c. §. 12. *Maria stella maris.*

Jam statim volo finire. Sanctus Thomas de Villa Nova, abreptus amore erga B. Virginem, in quodam sermone dicere fuit ausus, *Tolle solem, quid in mundo nisi tenebræ? Tolle* §. 13. *Sine Maria tenebræ sunt in mundo.*

Mariam, quid Ecclesia nisi caligo? Me quod attinet, libenter fateor, si quis mihi tollat Mariam; idem mihi tollet Dei misericordiam. Si quis mihi tollat Mariam, idem mihi tollet omnem felicitatem. Si quis mihi tollat Mariam, tollet mihi omne bonum & æternam beatitudinem. Sed quis ille est qui mihi tollet Mariam! Mariam teneo in intimo cordis mei; cor mihi tollat, scindat, aperiat, qui Mariam vult tollere. nec tamen tollet. In fibris, in venulis remanebit amor Mariæ. Quis mihi tollet Mariam? Inclusa illa est in pupilla oculi mei. hunc tollere debet, qui tollere vult Mariam. Ex sublata pupilla oculi ejus amor migrabit in guttulas mei sanguinis; si hæ auferantur, migrabit in animam; quàm nemo mihi tollere potest; neque Mariam. Nemo rapiet mihi hunc thesaurum; nec in vita, dum vivo amo Mariam; nec in morte, dum moriar amabo Mariam! nec in altera vita, in æternum amabo Mariam.



CONCIO LXII.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

Matt. 11. cap. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUantus sit amor Christi, vocantis, omnes ad æternam salutem. Sola tamen vocatio ejus non sufficit, sed requiritur nostra cooperatio.

§. 1. *Gaudium Christi D. de patratis miraculis ab Apostolis, ad gloriam æterni Patris.*

§. 2. *Christus D. inveniri potest,*

non

non præveniri.

§. 3. *Christus D. prius nos diligit, quam illum diligamus.*

§. 4. *Sollicitus est de nobis, si sollicitis simus; ut illum amemus; Prior amat, & plus amat.*

§. 5. *Raphael Socius Tobiæ in itinere.*

§. 6. *Figura fuit Christi D. qui in via Crucis, nobis fidissimus est comes.*

§. 7. *Tanta est caritas Christi, ut à se fugientes insequatur, & vocet ad pœnitentiam.*

§. 8. *Revertentes eodem amore recipit.*

§. 9. *Vocantem oportet audire, & sequi.*

§. 10. *Christus D. variis modis pulsat ad ostium cordis.*

§. 1. *Gaudia Christi D. de patratis miraculis ab Apostolis ad gloriam Patris.*

MIserat Christus D. suos discipulos ad disseminandum Dei verbum plenam illis tribuens potestatem faciendi miracula, curandi infirmos, mundandi leprosos, ejiciendi dæmones. Abierunt & præclara gesserunt opera, nominatim hoc ultimum ex quo non modice lætati sunt, & reversi ad Dominum illi dixerunt, Domine *in nomine tuo, etiam dæmonia subjiciuntur* nobis: Ex una parte monuit illos Christus D. ne propterea se offerrent. Eximia donata collata fuisse Lucifero, ob superbiam tamen detractum esse ad inferos. Ex altera parte ait textus, Christum D. *exultasse in spiritu*, dum vidit opera, quæ pauperculi piscatores operarentur ad gloriam Patris; & conversus ad illum elevatis in cœlum oculis ait Luc. 10. v. 21. *Confiteor tibi Pater &c. Abscondisti enim hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* Magna mysteria continet hæc unica particula, *Hæc*; nimirum altissima mysteria & articulos nostræ fidei. Scribæ v.g. & Pharisæi noluerunt agnoscere divinitatem Christi; rudes piscatores agnoverunt &c. Scribæ Pharisæi, etsi viderent tot, & tanta miracula, aliud tamen non dixerunt, quàm Elias est, Propheta est &c. imo major pars vocavit turbatorem populi &c. Petrus intrepidus ait, Matt. 16. v. 17. *Tu es Christus filii Dei vivi &c.* ideo Christus ait, *Confiteor &c.* Unum ex mysteriis altissimis, quæ absconduntur sapientibus & revelantur parvulis, & hodierna sors, quæ cecidit super Matthiam cur hic electus, alter rejectus ab Apostolatu.

Cum quadam vice Vulnera mei Salvatoris oculis meis subintrarem apertis, *protinus vivo & tepenti sanguine, oculi mei fuerunt repleti*; Sicque ut nihil videns, cœpi ire, manu palpans, donec perveni ad intima suæ inexplicabilis caritatis, quibus undique circumplexis reverti nequivi: ideoque ibi habito, ibi quiesco, & quibus vescitur cibis, pascor, ibique delectabiliter inebrior suo potu. Ibi totus ardeo amoris fervore, ibi totus perfundor jucunditatis dulcore, ibi simpliciter fruor abundantia omnis boni. Felices sensus! qui à Christo ita sunt absconditi! O si ita in oculis nostris esset forma & species pulcerrimi Jesuli; O si ita semper in auribus nostris resonaret dulcissimum nomen ejus, Jesus. O si gustaremus quàm suavis sit; O si odor ejus nos traheret ad se, O si palpando illum cum Thoma, fieremus sani. His desideriis fieri satis non potest, nisi per seriam & vigilem mortificationem.

NB. Fiat pulcer affectus, O si ita ingredi possemus cor Jesuli.



CONCIO LXI.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRG. MARIÆ.

Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.

Luc. 2. cap. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria, tanquam Mater misericordiæ comparatur cum sole, & stellis.

§. 1. *Purificatur Maria: nihilominus tota pulcra est.*

§. 2. *Consensus ejus in Incarnationem Filii Dei, succurrit mundo.*

§. 3. *Quam*

CUm subinde Sol in nostro horizonte nigra & tristi eclipsi obscuratur; in astronomia rudes, putant ipsum solem esse fuscum & nigrum. Cum lucidissimo alicui speculo, tenue, sed nigrum velum, instar telæ alicujus araneæ objicitur, qui illud à longe intuentur, putant speculum esse obscurum. Cum formosissimæ rosæ insidet apicula, dum fundo floris se planè immergit, aliqui timent, ne aculeo suo noceat flori. Omnes decipiuntur; sub eclipsi Sol est pulcherrimus; sub velo speculum est lucidissimum, rosam non vulnerat aculeus apis. Idem plane accidere solet hodierno festo, quo Virgo Mater Dei, in templo purificatur: dum legi se subjicit, videtur illa obedientia, pulcherrimo soli, formosissimæ Virgini inducere aliquam nigredinem, vel maculam. Decipimur! Maria sub hac eclipsi est pulcherrimus Sol. Illa legis subjectio pulcherrimum speculum tegit aliquo velo, vel umbra alicujus immunditiei. Erramus! Maria est tota pulchra; sub hoc velo purificationis est nitidissimum speculum. Formosissima rosa est Mater Dei; cui videtur inhærere aliqua spina, vel aculeus alicujus impuritatis; iterum illudimur. Rosa est inter spinas, à quibus non læditur. Cur ergo hic Sol, hoc speculum, hæc rosa hodie purificatur? cur Virgo se subjicit legi? Præter varias causas mihi hodie satisfacit citatus versus ex Evangelio. *Tulerunt illum* &c. Venit Virgo ad templum ut filium suum pro humano genere offerat Patri. Solent plerumque concionato-

§. 1. *Purificatur Maria, tamen tota est pulcra.*

natores festis B. Virginis quærere, quo titulo, festo conformi Maria laudari debeat; pro hodierno festo mihi placet resolutio sancti Bernardini. *Virgo Maria debet appellari Mater misericordiæ.* Hunc titulum selegi pro hac concione. Verùm quia æquum videtur ut hodierno festo luminum B. Virgo comparetur luci, vel lucidissimo alicui sideri; itaque comparabo soli, ita ut sol misericordiæ, sit mater misericordiæ & contra. Nemo terreatur communissimo hoc titulo, conabor afferre aliqua, quibus non memini me esse usum alias.

§. 2. *Consensus Mariæ in Incarnationem Filii Dei succurrit mundo.*

Digna sunt observatione verba sancti Bonaventuræ. *Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo.* Non libet mihi modo multis agere de hac matris misericordia; satis illam vel hodierna solum die ostendit, dum patri cœlesti in templo pro genere humano filium suum obtulit; filium Unigenitum, & tam dilectum; & ad tam ardua perferenda, imò mortem crucis. Cum solatio ego puto B. Virginem, dum hodie in templo Virgineis brachiis Filiolum suum altari imposuit, elevatis in cœlum oculis dixisse ad Patrem; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Justissimam causam habuit repetendi hæc verba. In historia Annuntiationis ego observo, B. Virginem non statim dedisse responsum Gabrieli Archangelo. Ait hic, *Ave gratia plena, Dominus tecum*, territa Virgo siluit. Pergit Angelus. *Ecce concipies*, territa fuit adhuc magis, & siluit. Inquit cœlestis legatus; *Paries filium & vocabis nomen ejus Iesum.* quàm dulce mysterium latet sub cortice dulcissimorum horum verborum, hoc enim Gabriel his verbis voluit dicere. O Virgo, Filius quem paries salvabit mundum, sed requiritur tuus consensus; tu debes imponere dulce nomen JESUS. Ille debet incarnari, ut misericordiam exhibeat mundo. Tu debes concipere, ut fias misericors Mater misericordissimi filii. Ille debet nasci; placet Patri cœlesti ut tu parias: debet nudus jacere in præsepio. tu debes pannis involvere; debet pati, tu com-

compati. Ille debet fundere sanguinem, tu lacrymas: debet mori, ut ex infinita misericordia succurrat homini in tanta miseria; Ut tu fias mater, & filii Dei, & mater misericordiæ, debes consentire. Et statim respondit, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* O beata Maria! exclamat sanctus Augustinus sermone 18. de sanctis; *Quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito.*

Clarius, & atrociora, hodierna die in templo beatæ Virgini prædixit Simeon. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris.* quasi diceret. O magna mater! erit cum hic filiolus tuus, jacens in meis brachiis, pro salute hominum, jacebit nudus in brachiis crucis, imò clavis illi affigetur! O quis gladius doloris pertransibit animam tuam! veniet dies; qua hunc filium tuum videbis alligatum columnæ, coronatum spinis. Ut sit JESUS; hæc pati debebit. O quis gladius! Tristia nuntia! non tamen cogitate Virginem in corde aliud respondisse, quàm, *Ecce ancilla Domini*, ita Pater! verbo; Patri obtulit suum Filium ad atrocissimam mortem Crucis; & ideo *magna fuit erga miseros misericordia MARIAE adhuc exulantis in mundo.* Stans deinde juxta Crucem ostendit adhuc magis. *§. 3. Quàm atrocia illi prædixeris Simeon.*

Pergit sanctus Bonaventura. *Sed multo major erga miseros est misericordia regnantis in cælo.* Ut, licet in illa gloria innumera illi debeantur elogia, magna, grandia, gloriosa! quod sit Regina Angelorum, Regina Patriarcharum, &c. præ omnibus pro nostro solatio, Virgo MARIA debeat appellari mater misericordiæ. Causam addit idem S. Bonaventura. *Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam.* Unde pro splendore prioris misericordiæ fuit MARIA pulcra ut Luna, pro splendore verò posterioris misericordiæ, est electa *§. 4. In cælo, est magis misericors.*

 ut sol.

ut Sol. Confidite tristes & afflicti, confidite peccatores, qui jacetis in tenebris & umbra mortis, hodierno festo luminum; sol vobis est misericordia Mariæ!

§. 5. *Misericordia Mariæ comparatur soli.*

Solem Deus oriri facit super bonos & malos. Bonis; Maria qualis sol? speciosus; calefaciens; Sol lætificans radiis lætitiæ! Sol illuminans! Malis, est Sol misericordiæ! Omnibus Maria se exhibet piam, Justos inflammat, peccatores illustrat; bonos recreat, perversos justificat. Suaviter, ut solet, S. Bernardus. *Ea est quæ veluti alterum solem sibi induit.* Dixit hoc S. Bernardus cum vidit mulierem amictam sole. *Quemadmodum enim sol super bonos & malos indifferenter oritur, sic Maria quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseretur affectu.*

§. 6. *Pulcra Emblemata.*

Placet mihi emblema in quo lucidissimo soli, symbolo gloriosæ Virginis, in celerrimo suo cursu hoc lemma ascripsit, *Videns & festinans.* An ergo sol habet oculos, vel pedes & alas? lemmati occasionem dedit nomen Ruth, quæ vocula ex hebraico sic interpretatur, *videns & festinans.* Talis Sol est Mater misericordiæ; *videt nostram miseriam* (N.N.N.) *& festinat ad impendendam nobis suam misericordiam*, ait S. Bonaventura. Puto me aliquando legisse aliquos, qui solem vocant speculum; O lucidum speculum! Sed quomodo Mater misericordiæ speculum? Causam advertit S. Bernardinus Senensis, *ex Maria* (ex hoc sole) *tanquam ex speculo divinæ bonitatis radii ad nos copiosius perveniunt.* In se hoc speculum est totum ardens; plenum radiis divinitatis. Sol justitiæ, Sol infinitæ Majestatis conclusus est in hoc speculo. Quoad nos ex hoc speculo decidunt primùm radii pulcræ dilectionis, radii amoris, deinde radii pietatis; consolationis, & misericordiæ. Talis sol est Maria! In alio Emblemate super solem radiis totum mundum illuminantem addita est hæc epigraphe: *In altissimis*, scilicet, est sedes ejus; mihi placet subscribere. *In profundissimis*, ut hoc emblema mihi referat Matrem misericordiæ. Item in altissimis, ante thronum Divinæ Majestatis est Regina; sed simul est in pro-

in frofundissimis, dum suis radiis, suo influxu penetrat etiam corda peccatorum.

Nihil est communius, quàm ut sol, mundi oculus, vocetur, quem suis radiis, veluti oculis circumquaque intuetur & illuminat. In aspectu horum radiorum, vel pulcerrimi hujus oculi, solis, memini ego oculorum, de quibus quotidie dicimus in salve Regina; Eia ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte; his nimirum oculis, nos de cœlo intuetur Mater misericordiæ, veluti pulcerrimus sol. Amor solet pingi cæcus, nihilominus est acutissimi visus? præcipuè erga objectum quod amat; quid dicam de amore Mariæ erga nos miseros; quæ est illuminatissima, cujus oculi Deum intuentur, quæ alterum induit solem, vestita sole, quæ tota est sol: sine dubio, quia simul tenertimè nos amat, omnes nostras miserias clarissimè intuetur.

§ 7. *Mundi oculus Maria.*

Advertite aliquid quod affectu plenum est, & è corde tenero lacrymas facillimè potest elicere. Gen. 43. v. 29. Josephus remittit in patriam suos fratres, hac lege, ut germanum Benjaminum sibi sistant. Omitto plurima ex historia; cum reduces ingressi fuerunt in conclave Josephi, ait textus, ***Attollens Ioseph oculos vidit Benjamin fratrem suum uterinum.*** Quærit S. Ambrosius; nunquid fuerunt undecim, quomodo dicitur vidisse unicum Benjamin? & respondet, ***Naturale est ut quos diligimus eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio tenet, priores eos obtutus offendat oculorum.*** Vidit igitur Benjamin Joseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat, quo absente pœne fratres non viderat. Gratulor vobis ô sancti Spiritus; O sancti Dei! gaudeo vos adesse vestræ reginæ in gloria. Sed hoc me solatur, quod nos in hac lacrymarum valle simus quasi Benjamin; quia nos valde diligit, quia nos tenet in dulcissimo corde suo, & animo, ideo pulcherrimis oculis [illegible] quoque requirit, nostras miserias intuetur, ut opituletur. Nihil ejus visum fugit, omnia diligentissimè intuetur, ut opportunè opem ferre possit. Suaviter & subtiliter ait S. Amedæus hom. 8. de laud. Virg. ***Quo enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eo***

§. 8. *Videt Maria nostras miserias.*

profundius afflictorum, & misereri, & miseriis succurrere novit.

§. 9. *Et quidem in corde filii sui sicut in speculo.*

Affectuosam cogitationem mihi suggerunt hæc verba, diffluo gaudio cum videre mihi videor quàm suavibus oculis hodie in templo mater aspexerit suum filiolum? quàm dulces in illum conjecerit radios? non miror. illum tenet animo, illum diligit, illum unum oculis requirit. Quis ibi coram B. Virgine murmurat, *Eia ergo advocata nostra &c.* O pia Domina ego modo hoc non peto; Perge dulcis Virgo, ad tuum filiolum converte tuos oculos; illum aspice! nam Auditores hoc me solatur, in lucidissimis illis speculis, in oculis filii, imò in divino ejus corde videt, intuetur omnes nostras miserias, & si velimus, succurrit, quia & nos tenet animo, & nos diligit, ut mater misericordiæ, nos aspicit ut sol, ut oculus misericordiæ. Idiota. *Beatissima Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & advocata, & cura illi est de omnibus. longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ. Sibi propinquos, suos clientes, per specialem devotionem consolationis suavitate præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ, & sic non est; qui se abscondat à calore ejus, à charitate & dilectione ejus.* Sol est in tenebris, sol est in mundo, sol est in cœlis, hodie pulcerrimus, lucidissimus sol, cum sole in brachiis. Sol Jesulus! Sol Maria; uterque sol misericordiæ & clementiæ.

§. 10. *Confirmatur ex S. Anselmo.*

De hoc oculo mundi, de oculis matris misericordissimæ silere non possum, nisi ante proferam verba S. Anselmi apud sanctum Antonium 4. tr. 18. *Impossibile est quod illi, à quibus Virgo Maria oculos misericordiæ avertit, salventur. Ita necessarium est quod hi ad quos oculos tuos convertis, pro eis advocans, justificentur & glorificentur.* Medium certissimum obtinendi hanc gratiam, ut [illegible] misericordes oculos ad nos convertat, præscribit B. Petrus [illegible]ianus. *Amor, non nisi amore rependitur.* Scio Domina, quia amas nos amore invincibili. Ergo, O fideles, eam amare pro viribus studeamus. Duo præstabit, primò oculos suos ad nos convertet. Secundò ostendet nobis benedictum fructum ventris sui Jesum. Sancto Simeoni non tantum

tum ostendit, sed dedit in brachia, ut cœlesti gaudio delibutus dixerit, *Nunc dimittis* &c. quasi diceret, quàm libenter jam moriar? eadem gratia nobis obtinget, si amemus Mariam. Si apud illam quæramus nostrum Salvatorem.

Plane peculiare aliquid asserit S. Eusebius Emyss. in catena in sanctum Lucam de stella quæ tres Magos deduxit ad præsepe, *Ecce stella antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer.* Notate; non dixit textus, supra puerum, sed *supra, ubi erat puer*; Et ubi erat tum, cum venerunt Reges? non vidi ego ullam imaginem, quæ depingit historiam trium Regum, in quâ non viderim puerum in sinu vel in brachiis Virginis, probabile enim est, Virginem, cum audivit, cum vidit equites peregrinos, è præsepio in sinum accepisse puerum. Jam advertite mysterium stantis stellæ, ex verbis citati Eusebii. *Stat stella super stellam.* Maria enim est stella Maris. Stat supra ubi erat Puer, & ubi erat Puer nisi in sinu Matris? Stabat stella, & clamabat Magis: Hic est Mater, hic eum quærite, hic eum invenietis! O pulcherrima Virgo! gratulor tibi ex medullis cordis! O dilecta, scis quod amem te, cur non gratularer? gratulor tibi de tuo filiolo! aspice illum millies! amplectere millies! quiescat hic fasciculus in sinu tuo: sed ecce Mater! ecce fratres tuos, ecce alios tuos filios! ecce clientes! O Virgo, & nos desideramus videre JESUM, & nos cupimus amplecti, præsertim in umbra & tenebris mortis; Eia ergo advocata nostra &c. (pulcre ex Salve Regina.) §. 11. *Pia petitio ad B. Virginem.*

Finio verbis Sancti Bonaventuræ Spec. Virg. *Nautarum mos est, ut unum sidus eligant, cujus luce in eam partem, quam desiderant, possint adduci. Tale certè officium est stellæ nostræ Mariæ, quæ navigantes per mare mundi dirigit ad littus cælestis patriæ.* Itaque O Sol misericordiæ! O M[illegible]ria: te eligo, &c. §. 12. *Maria stella maris.*

Jam statim volo finire. Sanctus Thomas de Villa Nova, abreptus amore erga B. Virginem, in quodam sermone dicere fuit ausus, *Tolle solem, quid in mundo nisi tenebræ? Tolle Ma* §. 13. *Sine Maria tenebræ sunt in mundo.*

Mariam, quid Ecclesia nisi caligo? Me quod attinet, libenter fateor, si quis mihi tollat Mariam; idem mihi tollet Dei misericordiam. Si quis mihi tollat Mariam, idem mihi tollet omnem felicitatem. Si quis mihi tollat Mariam, tollet mihi omne bonum & æternam beatitudinem. Sed quis ille est qui mihi tollet Mariam! Mariam teneo in intimo cordis mei; cor mihi tollat, scindat, aperiat, qui Mariam vult tollere. nec tamen tollet. In fibris, in venulis remanebit amor Mariæ. Quis mihi tollet Mariam? Inclusa illa est in pupilla oculi mei. hunc tollere debet, qui tollere vult Mariam. Ex sublata pupilla oculi ejus amor migrabit in guttulas mei sanguinis; si hæ auferantur, migrabit in animam; quàm nemo mihi tollere potest; neque Mariam. Nemo rapiet mihi hunc thesaurum; nec in vita, dum vivo amo Mariam; nec in morte, dum moriar amabo Mariam! nec in altera vita, in æternum amabo Mariam.



CONCIO LXII.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

Matt. 11. cap. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUantus sit amor Christi, vocantis, omnes ad æternam salutem. Sola tamen vocatio ejus non sufficit, sed requiritur nostra cooperatio.

§. 1. *Gaudium Christi D. de patratis miraculis ab Apostolis, ad gloriam æterni Patris.*

§. 2. *Christus D. inveniri potest, non*

non praveniri.

§. 3. *Christus D. prius nos diligit, quam illum diligamus.*

§. 4. *Sollicitus est de nobis, si sollicitì simus; ut illum amemus; Prior amat, & plus amat.*

§. 5. *Raphael Socius Tobiæ in itinere.*

§. 6. *Figura fuit Christi D. qui in via Crucis, nobis fidissimus est comes.*

§. 7. *Tanta est caritas Christi, ut à se fugientes insequatur, & vocet ad pænitentiam.*

§. 8. *Revertentes eodem amore recipit.*

§. 9. *Vocantem oportet audire, & sequi.*

§. 10. *Christus D. variis modis pulsat ad ostium cordis.*

MIserat Christus D. suos discipulos ad disseminandum Dei verbum plenam illis tribuens potestatem faciendi miracula, curandi infirmos, mundandi leprosos, ejiciendi dæmones. Abierunt & præclara gesserunt opera, nominatim hoc ultimum ex quo non modicè lætati sunt, & reversi ad Dominum illi dixerunt, Domine *in nomine tuo, etiam dæmonia subjiciuntur* nobis: Ex una parte monuit illos Christus D. ne propterea se efferrent. Eximia donata collata fuisse Lucifero, ob superbiam tamen detractum esse ad inferos. Ex altera parte ait textus, Christum D. *exultasse in spiritu*, dum vidit opera, quæ pauperculi piscatores operarentur ad gloriam Patris; & conversus ad illum elevatis in cœlum oculis ait Luc. 10. v. 21. *Confiteor tibi Pater &c. Abscondisti enim hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* Magna mysteria continet hæc unica particula, *Hæc*; nimirum altissima mysteria & articulos nostræ fidei. Scribæ v. g. & Pharisæi noluerunt agnoscere divinitatem Christi; rudes piscatores agnoverunt &c. Scribæ Pharisæi, etsi viderent tot, & tanta miracula, aliud tamen non dixerunt, quàm Elias est, Propheta est &c. imo major pars vocavit turbatorem populi &c. Petrus intrepidus ait, Matt. 16. v. 17. *Tu es Christus filii Dei vivi &c.* ideo Christus ait, *Confiteor &c.* Unum ex mysteriis altissimis, quæ absconduntur sapientibus & revelantur parvulis, & hodierna sors, quæ cecidit super Matthiam cur hic electus, alter rejectus ab Apostolatu.

§. 1. *Gaudia Christi D. de patratis miraculis ab Apostolis ad gloriam Patris.*

Hæc sors hod. festo Concionatoribus præbet occasionem agendi de mysterio prædestinationis. non scholasticè, sed accommodatè ad captum populi; non ad terrorem, sed ad solatium & moralem instructionem. Principium prædestinationis est Dei electio, sive vocatio. Duo de hac ostendam. 1. Christum D. vocare omnes ad salutem & ostendere in illa amorem infinitum. 2. hoc tamen non sufficere, sed requiri ut vocationi cooperemur.

§. 2. *Christus D. inveniri potest, non præveniri.*

Breviter, sed pulcre dixit S. Bernardus ser. de gratia & libero arbitrio. *Inveniri potest, præveniri non potest*, scilicet Christus Salvator, sponsus animarum nostrarum. Surgite sponsæ, surgite filiæ Sion, quærite sponsum in colle myrrhæ; inveniri potest: quærite in monte thuris! ibi inveniri potest! quærite inter lilia; ibi pascitur! hoc sacro tempore quadragesimæ quærite inter spinas, ibi quoque inveniri potest. Quærite in lectulo crucis, ibi quiescit in meridie amoris! ibi illum inveniunt; qui illum amant, & toto corde quærunt. Inveniri potest; sed non præveniri. licet surgamus diluculo; ille tamen sua vocatione, suis inspirationibus prævenit, monet, rogat, stat ad ostium, pulsat, ut illum quæramus. Eo tendit suavissima invitatio hodierni Evangelii; *Venite ad me omnes &c.* Sapient. 6. cap. vers. 14. *Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Nunquam ipse subsequitur, ipse prior stat, ipse prævenit; nos illum non expectamus; ipse nos expectat; talis est suus amor, sic nos diligit & amat. *Quasi diluculum præparatus est gressus ejus* ait Oseas cap. 6. vers. 3. Pagninus legit, *Velut Aurora:* quia dormientibus nobis, ac in culparum cubili stertentibus, ipse luce sua prævenit, suis radiis excitat, ut surgamus & veniamus. Lucidissimi radii, sunt suavissima illa verba, quibus in hod. Evang. omnes ad se invitat, *Venite ad me omnes &c.*

§. 3. *Christus D. prius nos diligit, quam illum diligamus.*

Quantumcunque nos Christum Salvatorem nostrum diligamus, ut diligere obligamur innumeris titulis; tamen verissimum est, quod ait S. Paulus, *prior ipse dilexit nos.* Summa nostra felicitas, quæ in eo consistit in hac vita, quod Deum & Chri-

Christum amemus, ipsi est ascribenda; nisi ille præveniret, nisi prior ad se nos invitaret, nisi prior diligeret, nunquam nos diligeremus. Nemo ad illum veniet, nisi ipsi prius dicat, Veni; nemo diliget, nisi prior diligat. Agnovit hoc mysterium mutui amoris inter CHRISTUM & nos amans sponsa, cum dixit Cant. 1. vers. 12. *Dilectus meus mihi & ego illi.* q. d. dilectus meus prius cor suum & amorem suum mihi obtulit, deinde ego amavi. Ipse prior se mihi dulcissimi amoris vinculo colligavit, deinde ego. Prior se, & sua mihi donavit, modo ego me & omnia mea illi dono. Duo observavit sanctus Bernardus in hæc verba, sermone 69. in Cant. ---- 1. Prudens sponsa scivit se præventam à dilecto. 2. Non dubitavit se amari ab eo quem amat. Altissimè cupio mentibus nostris insculptam binam hanc veritatem. 1. dicamus in omnibus cum sancto Paulo; *Prior ipse dilexit* nos. 2. Amemus illum ex toto corde, &c. Et non dubitemus nos amari ab illo, quem amamus.

§. 4. *Sollicitus est de nobis, si nos solliciti simus, ut illum amemus. Prior amat & plus amat.*

Naturam, proprietatem, vel potius amorem Christi Domini iterum suavissimè describit sanctus Bernardus super verba Proverbiorum capite 8. versu 17. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me;* sic ait. *Vides quomodo non solum de amore suo certum te reddat si quidem tu ames illum; sed etiam de solicitudine sua quam pro te gerit, si te senserit solicitum sui. Vigilas tu, vigilat & ille; consurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantum vis, invenies eum non prævenies. Temerè in tali negotio, vel quid prius aliquid, tribuis tibi, vel plus. Et magis amat, & plus.* Libenter hoc sacratissimo tempore quadragesimæ utor hoc loco sancti Bernardi, quia proponit illos actus amoris, erga Christum quos desidero in meis Auditoribus. 1. Ut hoc tempore sollicitudo & cura nostra sit, ut amore prosequamur Christum. Ut sollicitudo & cura nostra sit, ut illi placeamus. Ut sollicitudo & cura nostra sit, ut aliquid cum illo & pro illo patiamur. Ut simus solliciti ut rigide & Christiano modo

servemus jejunium. Ut simus solliciti, ut membra nostra non nihil mortificemus. Ut vigilemus, ne forte offendamus. Ut si unquam, modo mane surgamus ad audiendum sacrum &c. Sed simus certi, nihil ex his fieret, nisi ipse nos præveniret, nisi vocaret, nisi prior diligeret, nisi ex hac dilectione gratiam suam adjuvatricem offerret. Posita autem hac vocatione, quæ nunquam deest, si solliciti simus, ipse magis solicitus est de nobis. Si vigilemus, magis ipse vigilat pro nobis. Prior amat, & plus amat.

§.5. *Raphael, socius Tobiæ in itinere.* Omnes norunt quam suavis fuerit Providentia D. erga utrumque Tobiam, & seniorem & juniorem cap. 5. v. 4. 5. Pater Senex moriturus filio proponit, ut prius pergat ad Gabelum exacturus debitam pecuniam; sed junior Tobias duo objecit, se ignorare, & Gabelum, & viam. *Ego eum ignoro, sed neque viam qua pergatur illuc, aliquando cognovi*, jussu parentis abit filius in forum quæsiturus hominem à quo deducatur. & -*Invenit juvenem splendidum stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum*, singula habent emphasin. *Iuvenem*, fortem, valentem qui possit illum juvare. *Splendidum*) formosum, amabilem, qui possit illum consolari, si quando labor itineris hoc expetiisset. *Stantem*) alacrem, ad sustinendos labores. *præcinctum*, sive promptum ad ambulandum. Scio quam eleganter SS. PP. hoc loco utantur in materia de servitiis Angelorum erga suos clientes.

§.6. *Fuit figura Christi D. qui nobis in via crucis est fidissimus comes.* Mihi hic juvenis videtur fuisse figura ipsiusmet Christi Domini, vocat nos in hod. Evang. ad se; hortatur ut tollamus super nos jugum suum, ait illud esse suave; & quomodo non esset suave, cum ipse se offerat in socium. Et qualis comes? fortissimus. qualis comes? splendidissimus, totus suavis, totus amabilis. in Societate Jesu, quod jugum potest esse grave. qualis comes? semper paratus ad ambulandum. Perge anima pone super te jugum humilitatis. Suave est, quia Jesus simul portavit, & portat tecum per suam gratiam. (hoc modo fac p. inductionem, de jugo obedientiæ, & patientiæ) sed hoc in superiori historia præcipuè notate. Ille juvenis prior fuit in foro, quam

Tobias

Tobias eo veniret. prior fuit præcinctus, prior ſtetit, paratus ad iter, quàm ille. Unde hoc, niſi quia *Magis amat, & ante: & inveniemus illum, ſed non præveniemus*, ait S. Bern.

Talis eſt Deus noſter, erga illos qui quærunt illum; talis eſt amor Chriſti erga illos qui ſolliciti ſunt, ut inveniant illum. Sed major adhuc eſt hic amor, quod etiam à ſe fugientibus, dicat, *Venite ad me omnes &c.* quinam enim magis fugiunt, & elongant ſe à Chriſto, quàm qui quotidie ſe onerant novo pondere peccatorum. Hæc eſt infinita caritas Chriſti, erga hominem, quod non ſolum præoccupet, qui ſe concupiſcunt, ut inquit ſapiens, ſed etiam ipſum non concupiſcentes, imò ab illo elongantur, eos inſequendo, vocando; quæ eſt illa miſericordia quàm tanti fecit David, cum dixit pſ.22. *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Theodoretus ſic legit. *Perſequetur me* ſcilicet noctu, diu, inceſſanter, perſeveranter, palam, in abſcondito, ut merito de hoc amore Chriſti D. dixerit S. Dion. Areop. de div. nominibus, *amor Chriſti eſt beneficus inſidiator*, ut ſcilicet rapiat cor, & rapit, dum ad ſe trahit; neque unquam ceſſat, donec pertingat, etſi millies obſurdeſcat homo ſuaſque claudat aures, ne intelligat, fugiendo ab illo. Sed inſequitur, perſequitur, donec rapiat. figura fuit Jonas. fugit, Deus inſequitur; aſcendit navim, adeſt Deus in navi. Dormit Jonas, non dormit inſequens illũ Deus, projicitur in mare, ſed præparatus à Deo cetus illum ſuſcepit & deportavit ad litus; tum Jonas ceſſit Deo vocanti. fit hoc quotidie Audit. (applica p.) Hæc eſt infinita Chriſti caritas.

§. 7. *Tanta eſt caritas Chriſti, ut à ſe fugientes inſequatur, & vocet ad pœnitentiam.*

Sed non vocat tantum! Si tandem miſericordia & D. providentia, ſi inſidiator amor triumphet, ut Jonas, vel aliquis peccator, audiat vocantem, ſi tollat ſuper ſe jugum pœnitentiæ; tam ſimul eſt ſocius in itinere ſolatur, juvat, ut jugum ſit ſuave & onus lene. Ut anima pœnitens dicat cum gaudio, cum regio pſalte pſ.58. v.10. *Fortitudinem meam à te cuſtodiam.* Campenſis ſic legit. *Robur meum tibi acceptum fero*) quidquid ſum, quidquid valeo, omnes vires meas Deo meo reſervabo & impendam. Portabo jugum mihi impoſitum (addit cauſam)

§. 8. *Revertentes eodem amore recipit.*

Quia

Quia Deus susceptor meus est. Campensis, *propugnator meus est.* Pratensis, *Protectio mea.* D.Hier. *Elevator meus est.* Pagninus, *Tu Deus elevatio mea.* Frequenter admiror cum cogito, quàm aliqui ferventer serviant Deo; quale jugum mortificationis super illos jaceat, quale jugum paupertatis &c. & pergunt in via crucis, cum gaudio &c. imò currunt viam mandatorum Dei; cessat admiratio cum audio Davidem. Deus, Christus Jesus vocavit ad jugum suum, Christus D. venientes excepit. Susceptor illorum est. Inter hostes protegit illos. Ita: grave est jugum paupertatis, sed elevat illud Jesus (hoc modo fac p. induct.) sed denique post omnia addit David, quod initio dixi. *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Prior & plus dilexit nos.

§. 9. Vocantem oportet audire & sequi. · Ex nostra verò parte necesse est, vel requiritur, ut citò audiamus vocantem, & Christo D. dum se nobis prior ostendit mature occurramus: sive, ut vocationi cooperemur. Vocat nos Christus, ut salvemur, sed non vult nos salvare sine nobis. Joannis 7. in octavo die scenopegiæ, solennissimi festi apud Judæos, in concursu ingentis populi, ex eminenti loco Christus D.-ut ab omnibus videretur, atque conspectus facilius intelligeretur, ut ait Maldonatus, alta voce clamavit, *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Non tamen hæc dixit, *necessitate aut violentia attrahendo, sed desiderium multum habens, vocando*, inquit S.Chrysost. in catena D.Th. Itaque Christus D. (ait Maldon.) aperit & ostendit omnibus fontem gratiæ suæ, ex quo qui non biberit, salvus esse non poterit. Verùm sicut sitis alicujus non sedatur, etsi scaturiat fons, etsi rivulus præterlabens invitet sitibundum ad bibendum, sed necesse est, ut manum applicet, ut hauriat, ut bibat &c. sic in re spirituali non satis est Christum D. nobis aperire fontes salutis, non satis est nos invitari, sed re ipsa necesse est, ut bibamus, ut vocationi cooperemur. hoc verum est, quod in omni opere bono nos non incipimus (Christus sua gratia incipit) sed postea per Dei misericordiam adjuvamur. Ipse nobis nullis præcedentibus meritis fidem & amorem sui nobis inspirat, ut post cum ipsius adjutorio, quæ sibi

sunt

ſunt placita, adimplere poſſimus. S. Aug. p. ſimili declarat; ſi oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur. Sed & hoc obſervandum eſt. Sicut non ſufficit ut quis videat, ſi ſol luceat; ſed ipſe quoque oculos debet aperire. S. Ambr. in pſ. 118. *Nunquid ſi quis domus ſuæ oſtia claudat ſolis eſt culpa, quod non illuminet domum illam*; ita, non ſatis eſt &c. applica. Sponſa petit à ſponſo ut trahatur; ſed ſimul ait quod velit currere in odorem unguentorum ejus; Nos trahi volumus, & putamus hoc ſatis eſſe, etſi curramus poſt veſtigia, non Chriſti, ſed hœdorum, manifectus eſt hic error.

Nunquid illum ad cordis tui fores ſtantem, eaſque ut ingredi poſſit, pulſantem audis? Apoc. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo.* Et quomodo? Per excitationem, ſcilicet terrendo per conſiderationem pœnæ, vel immittendo dolorem de peccatis, vel vocando per prædicatores, inquit S. Th. At verò ſi tu oſtium non aperias, imò obſtes, quò minus ingredi poſſit, obſerando fores, eique ingreſſum in cor tuum negando; ſufficietnè illum pulſaſſe? Quid ſi dum aperire reluctans, ſponſus tranſeat, ut accidit ſponſæ Cant. 5. At ille declinaverat, atque tranſierat &c.--Si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredientis, & non magis non aperientis eſt culpa, ait S. Ambroſ. Clarum eſt, Vocationem, præventionem, excitationem Chriſti; ex infinito amore, ex infinita miſericordia, non ſufficere. niſi gratiæ vocanti cooperemur, quæ duo hac concione volui oſtendere. Salus hominis, negotium eſt, & divinæ operationis, & humanæ diligentiæ, dixit S. Aug. *§. 10. Chriſtus D. variis modis pulſat ad oſtium cordis.*



CONCIO LXIII.

FESTO S. JOSEPHI SPONSI B. VIRG.

Nemo natus est in terris--ut Ioseph.

Ecclesiastici. 49. cap. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit radicem, sive causam, ingentis sanctitatis in S. Josepho, ob excellentissimum ejus munus. Miscentur varia eximia elogia: posterior pars ostendit, quàm apud Deum sit potens & efficax ejus intercessio.

§. 1. Elogia magnorum virorum.

TErtiam partem libri, qui dicitur Ecclesiasticus, à c. 44. usq; ad finem, codicis Græci, antiqui vocant, *Hymnum Patrum*, Tigurina, *Majorum laudes.* sic enim ait Jesu filius, qui est auctor libri Sirach v. 1. cit. cap. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Scilicet Patriarchas, Prophetas, Duces, Reges. Vocat deinde illos magnos divites in virtute, præditos prudentia, viros misericordiæ, perfectos,

fectos, dilectos Deo, fideles quorum memoria est in benedictione, qui de omni corde suo laudarunt Dominum & in conspectu ejus ambularunt in timore & sanctitate. Alibi Virtutes illorum & zelus sapientiæ comparantur auroræ, soli, lunæ, stellis, auro, ardentibus faculis, argento, gemmis; pulcris & fœcundis arboribus, cedro, cypresso, palmæ, rosæ, similibusque plantis. Tales viri fuerunt, illo ordine quem servat sacer textus, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Aaron, Phinees, Josue, Caleb, Samuel, Nathan, David, Elias, Elisæus, Ezechias, Josias, Ezechiel, 12. Prophetæ, Zorobabel, Jesu filii Josedec, & Nehemias, tandem cap. 48. vers. 16. & 17. *Nemo natus est in terris, qualis Henoch, neque ut Ioseph.* quibus verbis virum sanctissimum, Josephum, quem in ordine Siracides omiserat, comparat cum Enoch; hic sua pietate mirè placuit Deo; & Joseph. Enoch, idem est quod dedicatio, & Joseph; Enoch Nazaræus, & Joseph: fuit totus dedicatus Deo. Enoch ob suam sanctitatem multa fuit passus, & Joseph. Unde Arabicus vertit, *Non est genitus in mulieribus, ut Ioseph, in præstantia patientiæ suæ.* Enoch fuit magnus dives in sanctitate & omnibus virtutibus, talis fuit Joseph; & talis esse debuit, ut esset figura magni Josephi in N.T. Sponsi B.V. viri tantæ sanctitatis, tot beneficiis ornati, ut merito dicere possim. Nemo fuit in terris qualis Joseph. Ostendam breviter hod. ejus festo. fuisse virum sanctissimum; & esse hodie potentem, ut à Jesu filio suo quidvis impetret.

Fontem & radicem ingentis sanctitatis & perfectionis, quâ præditus fuit S. Josephus, invenio in principio quodam Theologico, Angelici Doctoris S. Thomæ, super cap. 8. ep. S. Pauli ad Rom. ubi ait: *Deus unicuique sancto, confert sanctitatem, & gratiam ei muneri accommodatam, in quo illum constituit.* addit S. Bernardinus *ut patet in Abraham, Isaac, Iacob, Iosepho, Moyse &c.* patet etiam in N.T. in Virgine benedicta, in Apostolis, in religionum institutoribus. *Quod maximè verificatum est in S. Iosepho, qui ab æterno Patre electus est*, ut esset sponsus & maritus Mariæ, Nutritius Jesu, Comes, Solatium, Mariæ; ut ipsius Sp.S. testi-

§. 2. Radix, ingentis sanctitatis in S. Iosepho, fuit ejus munus & officium.

testimonio esset vir justus, cui Dominus dominantium in terris esset subditus, cui regina cœli ministrarit, cui Jesulus diceret, Pater! in cujus brachiis & gremio tanquam in solio & throno resideret &c. ideo dubitare non possumus, tali viro, à Deo præparatum fuisse altissimum gradum sanctitatis. Proinde sicut dicere possumus cum veritate, nemo alius in terris fuit desponsus Mariæ, neque alius Dei in terris fuit Pater, nemo alius nutrivit & educavit filium Dei; ita dicere debemus, Nemo alius fuit in terris, sicut Joseph, in gratia, in sanctitate, & cœlestium charismatum abundantia. Mihi certissima causa magnæ sanctitatis est, quod fuerit peculiari ratione, quali nemo alius, Pater Filii Dei.

§. 3. *Summa gloria Philippi fuit, quod filium habuerit Alexandrum; pari ratione &c.*

Cum Sabellicus laudavit Philippum Regem Macedoniæ, inter alia dixit: Rex potentissime, nihil dicam de tua potentia &c. *Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habere Alexandrum.* O mi gloriosissime & amantissime Pater & Patrone, S. Josephe; neque ego modo multa dicã de tua sanctitate, de tuis gratiis, de tuis laudibus. libri, Conc. homiliæ, &c. sunt illis plenæ; hoc unum dixisse sufficiat, *Filium te habere Iesum.* de quo non dubito, quod illam tibi dederit sanctitatem, ei muneri accommodatam, ad quod te ex millibus elegit. Justinus refert l. 10. hist. Regem Ptolemæum cum filio cederet regnum, dixisse. *Omni regno pulcrius est, Regis esse Patrem.* qualis gloria est S. Josepho fuisse Patrem Regem Regis Regum. Nemo alius in terris fuit Pater Christi &c. sicut Joseph.

§. 4. *Summa gloria S. Iosephi, quod fuerit sponsus & maritus Mariæ.*

Cum S. Gregorius Naz. in concione funebri laudare vellet maritum suæ sororis Gorgoniæ, tandem dixit; *Vultis uno verbo virum describam? Vir erat Gorgoniæ.* (tam sanctæ fœminæ) *nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit.* Vultis à me hodie audire quanta fuerit sanctitas S. Josephi? quàm pura ejus Virginitas &c. Vultis verbo describam? fuit sponsus & maritus Mariæ. Sponsa fuit Virgo, & sponsus. Sponsa humillima, & sponsus (fac p. inductionem) nec scio, quid amplius sit necesse dicere. Nemo alius hoc titulo fuit ejus sponsus. Solus ille fuit electus ad tantum munus. puto quoque in sanctitate, neminem alium fuisse

in ter-

in terris, sicut fuit Joseph. Aliqui SS. Patres dixerunt, *Decuit ut Maria, tanta puritate niteret, qua sub Deo major nequeat intelligi.* Addunt, Gerson & alii piissimi viri, *ita decuit ut Ioseph tanta prærogativa polleret, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret, talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Ioseph fuit super omnes homines purus; similis Virgini gloriosæ Vir fuit Mariæ*; & nemo alius in terris illi similior, quàm Joseph.

Placuit hic discursus supra modum S. Bernardino, quem prosequitur ser. de S. Joseph, his verbis, *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Sp. S. tanta unione (scilicet* conjugii*) uniret menti tantæ Virginis aliquam animam nisi & virtutum operatione simillimam? Vnde credo Ioseph fuisse mundissimum in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in caritate, altissimum in contemplatione, ut esset adjutorium simile Virgini.* Hac scilicet prærogativa S. Joseph supereminet, omnibus aliis sanctis. Memini alicujus exhortationis, quam ante annos 34. audivi in Galliis, à viro amantissimo S. Josephi. Fuit illa exhortatio, quoddam iter, per cœlum, per omnes sanctorum Angelorumq; Ordines inter quos quæsivit S. Josephum. Quæsivi, aiebat, inter Angelos, Arch. & Principatus, non inveni. Quæsivi inter Potestates, Virtutes, Dominationes, non inveni. Quæsivi inter Thronos, Cherubinos, Seraph. non inveni. Plus est Joseph, quàm Ang. quam Archang. &c. Quæsivi inter Virg. Confess. MM. Apost. Proph. Patriarchas; neminem inter omnes inveni, de quo dici potest, desponsatus Mariæ, Pater Jesu &c. In altissimo tandem throno gloriæ, apud conjugem sponsam, apud filiũ Jesum, supra reliquos SS. invenit S. Josephum hoc titulo, plus est quàm Patr. plus quam Prophetæ &c. quis dubitare potest, fuisse illi collatam sanctitatem, accommodatam huic muneri. Nemo natus est, qui pertineat ad hanc Trinitatem. &c. Gerson. sermone de Nativitate P. V. *Cuperem ut verba mihi suppeterent, ad explicandum tantum mysterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem, IESVS, Maria, Ioseph.*

§ 5. *Elogia S. Iosephi, ex S. Bernardino.*

§.6. *S. Iosephus apud Deum potens est patronus.* Prout S. Joseph magnus est in sanctitate, gloriosus in gloria, vicinissimus Filio & sponsæ, ita potens est ejus intercessio apud eosdem pro illis à quibus amatur & colitur. Causam advertit Gerson. *Quanta fiducia Ioseph! quanta in eo vis imperandi? quia dum vir uxorem; dum Pater Filium orat, velut imperium reputatur.* Nemo natus est in terra, qui hoc titulo in cœlis aliquid petere possit à filio, vel à sponsa; Nemo etiam est in cœlis, vel in terris, qui hac prærogativa gaudeat, ut Joseph. Ideo benedixit & scripsit S. Theresia: *In patronum & Dominum selegi gloriosum virum S. Iosephum ejusque me patrocinio unice commendavi. Liquido deinde perspexi sanctum hunc Patrem, & Dominum meum, tum ab hac me necessitate, aliisque majoribus, in quibus de anima mea & honore & perditione agebatur, liberasse*; subdit.

§.7. *Testimonia S. Theresiæ.* *Nec memini me aliquid ab eo petiisse, cujus me compotem non fecerit.* Nam aliis sanctis Deus gratiam dedisse videtur, ut in una necessitate invocantibus se opitulentur, sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adjuvare, & adesse. *Adeo ut Dominus nobis indicare velle videatur, quod quemadmodum illi in terra viventi subditus fuit sic ei existenti in cælo nil eorum quæ petierit deneget.* Sunt hæc eadem verba Ang. D. S. Thomæ. Quod etiam alii, quibus ut in se commendarent, suasorem experti sunt. Ausa præterea fuit dicere, neminem novi cultorem S. Josephi, qui ejus ope, in virtute non profecerit. Eidem fuit revelatum, quod tanta dona, tum mirabilem sanctitatem, flammas seraphicas obtinuerit, intercessione S. Josephi. Iterum fuit fassa; singulis annis ejus festo aliquid peculiare soleo petere; videoque adimpleri. *Denique hoc solum inquit, ex amore Dei peto, ut quæ qui mihi dicenti non credit, experiri velit.* Idem hodie à vobis peto auditores. quod dum peto occurrunt mihi verba ex v. 55. c. 41. Genesis. *Ite ad Ioseph, & quidquid ipse dixerit, facite. Ipsum quippe constituit dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Suntne inter vos ægri &c. Ite ad Joseph. hoc modo fac p. induct &c. Finio verbis Isidori Isellem in hist. Orientali, Benedicite O populi S. Josephum (scili-

(ſcilicet de PP. &c.) ut benedictionibus repleamini; qui enim benedixerit illi, erit & ille benedictus.



CONCIO LXIV.

FESTO ANNUNCIATIONIS B.V. MARIÆ.

Ave gratia plena: Dominus tecum.
Luc.1. cap. v.28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VErbum Caro factum in utero Virginis, fuit ſuaviſſimus & dulciſſimus infans, qui benedictæ Matris cor & animam ineffabili replevit gaudio; cujus & nos, per amorem Jeſu & Mariæ poſſumus eſſe participes. Miſcentur plurima, Jeſuli & magnæ Matris Elogia.

§. 1. *Feſto Annuntiationis Maria facta eſt Mater Dei.*

§. 2. *Matre Dei, poſt Deum excellentior creatura dari non poteſt.*

§. 3. *Verbum caro factum in utero Virginis, momento fuit infans, & ſimul vir perfectus.*

§. 4. *Fœmina enim circumdedit virum.*

§. 5. *Feſtum Annuntiationis fuit dies lætitiæ, qua dulciſſimus infans in utero, matrem implevit cæleſtibus deliciis.*

§. 6. *Verbum caro factum reddidit nobis Paradiſum, ſive, Ieſus & Maria, ſunt Paradiſus.*

§. 7. *Alphabetum Elogiorum, quibus ſancti Patres, exprimunt ineffabile gaudium Mariæ in incarnatione filii.*

§. 8. *Cujus & nos poſſumus eſſe participes. Nobis quoque datus eſt Parvulus ille.*

§. 9. *Ieſulus liberaliſſimus effundit ſe inſtar aquæ.*

§. 10.

§.10. *Verbum caro factum, ignis est omnia accendens.* | §.11. *Ubi Iesus est, ibi sunt omnia bona.*

§. 1. *Festo Annuntiationis, Maria est facta Mater Dei.*

NUllo die per annum, affectuosius & majori cum devotione ad Virginem cum Archangelo Gabriele dicendum nobis est, *Ave Maria Gratia plena, Dominus tecum:* quàm hodierno festo Annuntiationis Mariæ, & Incarnationis Filii Dei. Hodie enim, felix & verè beata Virgo, à sacrosancta Trinitate, ad divinissimum Incarnationis opus Mater Dei electa est: benedicta inter omnes mulieres, cui fecit magna, qui potens est; quam, super omnes creaturas elevatam, Angelis sublimiorem, sibique proximam Deus esse voluit. *Hæc est enim* (S. Bernardus ser. 2. de Annunt.) *Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa; quod filium unum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Hom. 2. super Missus. *Quanta in terris gratia, in cælis gloria, quod Dei filius, factor hominum, ut homo fieret nasciturus de muliere talem ex omnibus sibi deligere debuit, imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Voluit itaque virginem, de qua immaculata, immaculatus prodiret, omnium maculas purgaturus: voluit & humilem, de qua mitis & humilis corde procederet, harum virtutum in se necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus.*

§ 2. *Matre Dei, post Deum, pura creatura excellentior fieri non potuit.*

O admirabile opus! Dei Incarnatio: sive enim Deum spectes in humana carne, sive Virginem factam Dei Matrem, sive illam nostram, propter quam hæc facta sunt, salutem & gloriam, omnia reperies admiratione Deique sapientia, potentia, ac bonitate plenissima; *Nam Humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quod est ex fruitione Dei: & B. virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quantam dignitatem infinitatem* (S. Th. 1. p. q. 25. art. 6.) *ex bono infinito, quod est Deus; & ex hac parte, non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest esse aliquid melius Deo.* Ave igitur millies, O Virgo, gratia plena; da mihi hodie de illa tua plenitudine, meis auditoribus aliqua de tua & filii tui Incarnati excellentia, bonitate & amore pro-

re proponam, quorum ſuavi recordatione impleatur memoria, illuſtretur cognitio, & cor inflammetur amore Jeſu & Mariæ.

§. 3. *Verbum caro factum in utero V. momento, fuit ipsa & fir- vi. ssim.*

Placet, panegyrim hanc ordiri pulcerrimis & magnificis verbis Guarrici Abbatis ſer. 1. de Annuntiat. *Regali ſiquidem ex progenie Virgo electa eſt, generoſitatis quidem regiæ nobilis proles, ſed virtutis regiæ nobilior indoles, ut æterno Regi, Filio Regis materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali ſede Patris, regalis etiam thronus in aula Virginali Reginæ ſuſciperet Matris. In ipſa quippe, & ex ipſa ſapientia ædificavit ſibi domum*; in qua die, prima miracula paradiſi in creatione hominis, hodierna die renovata ſunt. Vix Dominus dixerat, Geneſcos capite 1. verſu 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & temporis momento, *Vidit*, (ut D. Baſ. Seleuc. orat. 2. loquitur) *hominem immortali manu editum, & Dei digito ex tempore perfectum abſolutumque ſimulacrum; vidit ſimul fictum, ſimul Regem factum. Nam, præſit inquit piſcibus maris &c.* Uno eodemque momento Adamus perfectus fuit Rex & homo. In quo pulcerrimæ nobis delineata fuit incarnatio Filii Dei, in paradiſo virginalis uteri, in quo, obumbrante virtute altiſſimi, ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, humanam naturam perfecti hominis. Et ita, quod prædixerat Jeremias cap. 23. verſ. 5. uno momento, *Germinavit germen juſtum.* eodem momento, quod vaticinatus fuerat Iſaias capite 11. verſ. 1. *flos de radice ejus aſcendit*; eodem momento ex prophetia pſal. 66. verſ. 7. *terra dedit fructum ſuum.* Et *bene* ait Guarricus Abbas. ſer. 2. de Annuntiat. *ſimul vocatur germen, & flos, & fructus, qui ſine gradu profectus ab initio conceptus ſui omni virtute & gratia in ſe ipſe extitit perfectus*; novus Adam, non in paradiſo, ſed regia aula Virginalis uteri. Et hoc, (Aymon ſermon. de Nativitat.) *ſingulari gratia DEI Filio in homine, quem aſſumpſit, datum eſt à Patre, ut ex quo homo eſſe inciperet, perfectus eſſet DEUS, & perfectus homo.*

§ 4. *Fœmina circumdedit virum.*

Hoc hodierno festo, devotioni nostræ permissum est ut oculis mentis nostræ, in utero Virginis intueamur Deum factum hominem, in infantili specie; talis per novem menses in regia illa aula, inter lilia, cœlestis sponsus delitescebat; memores nihilominus esse debemus versus cap.31. v.22. Jerem. *Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum.* S.Bern. hom.2.super missus. *Vir fuit Iesus, necdum etiam natus; sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum: Nec enim minus habuit sapientiæ, vel potius, non minus fuit sapientia, Iesus conceptus, quàm natus, parvus quàm magnus. Sive latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque perfecte plenus fuit Spir.S.* ut merito dixerit sponsa Cant.3.v.11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Dies hic lætitiæ Christo D. fuit dies hodierna; *Beatus verò est* (S.Ambr. de Virg.instit.c.16.) *est Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit, quando formavit. Coronavit eum, quando generavit; quia etsi eum sine aliqua sui operatione formavit, quia Spir. S. supervenit in Virginem. tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem, eum* (hodie) *concepit* (deinde) *peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit*; facta simul Dei Mater, & totius universi Domina ac Regina.

§ 5. *Festum Annuntiationis, fuit dies lætitiæ, quia dulcissimus infans in utero, matrem implevit cœlestibus deliciis.*

Non sine causa dies Incarnationis, dies lætitiæ vocatur, ob abundantiam illius voluptatis, quæ cum plenitudine Divinitatis effusa est in viscera Matris. Carth. ser. 3. de annunt. *Cum Maria Dei filium concepisset, & portaret eum in utero, quis cogitare queat, quantis supernarum charismatibus gratiarum implebatur quotidie? Vere D. Ambrosius ait; Incomprehensibilis, incomprehensibiliter operabatur in matre. Implebat animam ejus sapientiæ salutaris splendoribus, caritatis divinæ ardoribus, divinarum contemplationum suavitatibus.* Quod SS.Patres pulcris similibus exponunt. S.Ambr: ait, sol sapientiæ æternæ in mente genitricis suæ clarissimè splenduit, calefecit-accendit-gratiosissime

& qua-

& quasi continue! sol fuit Jesulus. D. August. ser. 5. de Nativ. *Cælestis propago germinabat in utero, & in eximio partu, viscera coruscabant*; illuminata scilicet à radiis solis Justitiæ, latentis in utero. Richardus Victor. l. 2. de Eman. p. 1. c. 23. Filii Dei-ex quo cœpit homo esse, ab ipsa hora conceptionis suæ repletus est totius dulcedinis, totius suavitatis plenitudine, quasi torrente-*Iste parvulus*-latens in utero-*mellea quadam, & supercælesti dulcedine* fuit plenus; quantum mellis, quantum suavitatis &c. exundasse putamus in beatissimam Virginem. Ut meritò Proclus orat. in conc. Ephes. habita dixerit, *Hæc spiritualis secundi Adami Paradisus*. & D. Bas. Seleuc. orat. de Annunt. *Ave, perpetua virens castimonia Paradisus; in qua vitæ lignum plantatum omnibus salutis fructum fundit. Ex qua itidem quadripartitus-gratiarum fons dimanans, mortalibus miserationum fluenta ubertim emittit*. Amedeus hom. 7. de laud. Mariæ; *Quo favens se verteret, Paradisus erat*. Proinde & hodie nemo est, qui colat & amet, Dei Matrem cui suavissima Virgo non sit paradisus; quem & ipsa non repleat cœlesti dulcedine.

§. 6. *Verbum caro factum reddidit nobis Paradisum sive Iesus & Maria sunt Paradisus.*

Per peccatum Adamus perdidit humani generis vitam felicissimam; perdidit nobis deliciosissimum Paradisum, ut qui vixissemus sub suavissima umbra arboris vitæ, sedeamus & gemamus miseri filii Adæ, sub umbra mortis. O felicissimam diem hodiernam, qua filius Dei in utero Virginis factus est homo, & simul cœlestis Paradisus, aut locus incredibilis voluptatis; quidquid enim dulce, quidquid suave, quidquid delectabile, quidquid vitale habuit Paradisus, eminentiori modo in se cõtinet Deus infans in utero Virginis: Hinc Andreas Ep. ser. de annunt. suavissimis his verbis alloquitur Mariam: *Vere tu benedicta, vividi salutis nostræ ligni Paradisus, quæ ipsum horti Edem colonum, Christum in te habes*. (non possum quin filum horum verborum interrumpam, ut exclamem; audite cœli, Maria in utero concepit, & habet in se infantem Deum. Jubilate Seraphini cum omnibus cœlestium spirituum choris; Maria habet in se Christum; Exultate terrigenæ, psallite, cantate Ave Maria! quæ Deum infantem in te habes! quid inde? pergit cit. Auctor)

Christum in te habes; qui ineffabili quadam potentia fluminis instar uterum tuum ingressus, illum irrigavit. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, de quo comedens Adamus evomuit veterem illam devorationem, qua deceptionis escam sumpserat. Fructus, unde ceu ex fonte, defluit amarulentæ ligni digustationis, quadam condulcoratio. Ecce, ubi Jesus descendit in uterum Mariæ, totus uterus videtur factus Paradisus; & cur non sit Paradisus virgineus uterus, in quo est Jesus habens in se delicias Paradisi. In Jesu enim fons gratiarum est; Jesus vitæ lignum est; habens fructum qui venena fugat, & omnem amaritudinem expellit. Ut Deus infans cum sapientia dicere possit, ex c.24. v.40. Eccles. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ, defluo. Ego quasi fluvius Dorix. Et sicut aquæ ductus exivi de Paradiso.* Et quo nisi in uterum Virginis?

§.7. Alphabetum Elogiorum, quibus SS. PP. exprimunt ineffabile gaudium Mariæ in Incarnatione

In hoc fluvio voluptatis, sancti Patres invenerunt tot lucidas Margaritas, sive elogia, quibus conati sunt saltem verbis exprimere, ineffabile illud gaudium; quo B. V. in Incarnatione filii Dei deliburta fuit. Ideo vocant Mariam: Abyssum deliciarum. Januam Paradisi. Aquæductum fontis Dei Patris in nos. Areolam aromatum. Balsamum inæstimabiliter redolens. Clavem gemmeam, quæ referat paradisum. Cœlum novum & totum gloriosum. Dapiferam deliciarum Dei. Dulcedo credentium animarum. Dulcedinem, dulcedinis. Dulcedo omnē dulcedinem vincens. Exultationē cœli. Favum mellis, Florem veris; florem florum. Floram amœnissimam. Flumen & fluvium suavitatis. Fontem fontis vivi. Fontem inexhaustum aquæ viventis. Fontem ubertimum gratiarum. Fontem totius consolationis. Fontem dulcifluum miserationum. Fontem propensionis Jesuli infantis erga homines. Fontem ascendentem de terra, ad irrigandum & exhilarandum. Paradisum, sive cœlum, sive terra paradisus sit. Gaudium commune mundi. Gaudium Angelorum. Gaudium plenum post Deum. Gaudium amœnissimum totius Trinitatis. Genitricem immensi gaudii. Hortum Patris. Hortum conclusum, virentem deliciis

ciis cœlestibus. Incensum redolens. Lætitiam indesinentem. Lætitiam cordis nostri. Lectulum floridum pulcerrimi sponsi. Lilium cœlesti odore omnia perfundens. Mamillam parvulorum. Matrem Dei dulcissimam. Matrem amabilem & piarum consolationum. Nardum odoris. Oblectamentum terrigenarum omnium. Palatium animatum Regis Angelorum. Paradisum animatum, novum, cœlestem. Paradisum voluptatis. Pelagum gaudii inexhausti. Petram melle, id est, Verbo fluentem. Promam lætitiæ. Quietem tranquillam & portum navigantium. Radicem omnium bonorum. Reclinatorium aureum, in quo Deus quietem invenit. Rorem divinum. Rosam vernantem cœlicæ amœnitatis. Rosam sine spinis. Sacellum spiritus sancti. Sacrarium plenitudinis totius Divinitatis solatium cordis nostri ineffabile. Templum divinitatis. Terram benedictam, germinantem Salvatorem. Vellus Gedeonis. Venam aquarum. Vineam, cujus botrus Christus. Violam fragrantissimam divinæ suavitatis. Virginem affluentissimam deliciis cœlorum. Vitem, quæ racemum aluit, stillantem vinum, quo exhilarantur animæ. Umbraculum amœnissimum Spiritus S. Urnam gestantem manna cœli. Deum bonum! Quot SS. Patres depingunt symbola, quot adducunt similia, quot utuntur verbis, phrasibus, similibus, ut explicent illud gaudium, quo in Incarnatione filii Dei delibuta fuit. Hodie enim, fuit abyssus deliciarum; hodie est aquæductus æterni fontis in nos derivans aquas &c. Adeste iterum filiæ Sion, egredimini, videte &c. In hac die desponsationis, & lætitiæ cordis.

Sed inter hæc elogia cupio vos esse memores Moniti, quod 5.2.
reperio apud Jobium Monachum l.3. de incar. c.17. *Ideo carnem Dominus induit, & in mari Deitatis suæ, nostræ conditionis guttam suscepit, ut mortale à vita absorberetur; atq; in universum genus beneficium effunderet.* Non Mariæ tantum, sed omnib nobis datus est. Pro nobis quoq; patet cœlestis ille paradisus, illa abyssus &c. (potest fieri pulcra repetitio per brevē cōglobationē priorū elogiorū) ideo S. Joh. dixit c.1. v.14. *Verbum caro factū est, & habita-*

Cujus & nos possumus esse participes. Nam & nobis Christus datus est.

vit in nobis. Theodotus hom. 2. de Nat. *Si enim dignum Deo habitaculum, te ipsum constitueris, in te quoque habitatum descendet, etsi non ad eum modum, quo in Christum,* (vel B. Virginem.) *In Christo namq; omnis Divinitatis plenitudo inhabitat. Sed, O rei miraculum: tota Divinitatis pulcritudo, in uno inhabitat corporaliter; & nihilo tamen secius reliqua omnia adimplet; & ita implet, ut universam creaturam excedat. Totus existit in uno, & à nulla interim creatura separatur.* Deus infans omnes vult exhilarare.

§. 9. *Iesulus liberalissimus. Effundit se instar aquæ.*

Ea est liberalitas & beneficentia filii Dei venientis in carne, in hunc mundum, ut non sistat in una Virgine Matre, sed ut effundat se instar aquæ, in abyssum, in fontem Mariani uteri; sed mox inde se etiam effundat *super omne semen, & super omnem stirpem suam.* Is. 44. v. 3. Et hoc, inquit Eusebius, *maximum divinitatis insigne est, posse simul omnes effundere, & integrum nihilominus permanere.* Juxta illud S. Pauli ad Coloss. 2. v. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti.* Pulcram figuram habemus Gen. 17. v. 9. De Isaaco ait Dominus ad Abraham, *Ecce constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.* Non tamen hic sistit divina benedictio. Ismael quoque ejus factus fuit particeps. addit enim Dominus. *Super Ismael quoque exaudivi te; Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum hodie.* Idem quoque hodierno festo contingit. Maria primo loco benedicta est inter omnes mulieres; ipsa primogenita est in gratia & gloria inter omnes sanctos; sed simul est Rebecca, sollicita pro filiis & clientibus suis, ut & ipsi à filio suo benedicantur in lætitia & exultatione. Verùm quis est modus obtinendi hanc benedictionem & lætitiam hodierno jucundissimo festo? Jam dudum quæstioni respondit S. Paulus ad Philip. 4. v. 4. *Gaudete in Domino semper.* Ante ipsum Abacuc c. 3. v. 18. *gaudebo in Deo Iesu meo.* Particula Jesus, vel Dominus, insinuat (D. Chrysost. h. 18. ad pop.) *continuæ voluptatis causam. Deum sicut oportet timens, & in ipso confidens* (dicam ego hodie, amans Jesulum & Mariam.) *Voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem.*

§. 10. *Verbum*

Jesulus qui fons est, ob donorum cœlestium abundantiam, & su-

& supereffluentiam, ob eandem causam ignis dici potest: quod obſervavit D. Iſidorus Peluſ. l. 4. ep. 66. *Deus ignis dicitur; existimo quod propter abundantias, atq; divitias; quandoquidem unus ignis, mille lampadas accendat, nec minuatur; ſed alias iterum totidem, imo plures accendere valeat.* Talem ignem venit Deus mittere in terram. Seraphinos in cœlis, quotquot ſunt, ipſe accendit ardoribus, ſempiternis puriſſimi amoris. Sed plures poteſt accendere: (ſic de Cherubinis &c.) hodierna die, in terris decidit in uterum Virginis; quibus putamus ignibus arſiſſe virgineum ejus cor; ſed alios quoque poteſt accendere. O ſi & nos ſimus puriſſimæ lampades, ut accendamur, ut amemus & amemur.

caro factum igis est. omnia accendens.

§. 11. *Vbi Ieſus eſt, ibi ſunt omnia bona.*

Ab hoc amore pendet noſtra felicitas: de qua regius Pſaltes dixit, pſ. 127. v. 5. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.* D. Auguſtinus ſic legit, conſoletur ergo *te Deus, ut videas bona Ieruſalem. Illa enim bona ſunt. Quare ſunt? quia æterna ſunt; quare ſunt? quia ibi eſt Rex.* Sed quando illum videbimus? quàm diu interim ſedebimus & flebimus ſuper flumina Babylonis, in hac miſeriarum valle? quis interim benedicit nobis? quis conſolabitur nos? quæ interim habebimus bona? Ite animæ piæ, ad Dei Matrem! quia hod. die in ejus utero verbum caro factum eſt, ibi Rex eſt; ibi Chriſtus eſt, ibi Jeſus eſt! in Maria, ſummum bonum eſt. Dummodo amemus Jeſum & Mariam! Matrem & dulciſſimum Filium: dummodo dicamus cum S. Paſchaſio l. de corp. & ſang. Chriſti. *Nullum præter Chriſtum amare novimus; quoniam ſummum bonum noſtrum Chriſtus eſt, & ſumma pulcritudo.* (Applica eadem tuo amori, & Mariæ.

CON-



CONCIO LXV.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

Luc. 24. cap. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SI cum Christo glorioso, glorificari desideremus, oportet nos cum eodem prius pati.

§. 1. *Crux post Resurrectionem Christi D. non est amplius infamis, sed gloriosa.*

§. 2. *Magnos sanctos permittit Deus vexari, ut fiant gloriosi.*

§. 3 *Adamas percussus, magis splendet.*

§. 4. *Talis Adamas fuit S. Paulus.*

§. 5. *Et Tobias. Aliqua similia.*

§. 6. *Prædestinati, per tribulationem, fieri debent similes capite suo Christo D. in gratia, in hoc mundo.*

§. 7. *In altera vita in gloria.*

§. 8. *Quomodo simus cohæredes Christi.*

§. 9. *Per calicem pertingimus ad majestatem.*

§. 10. *Sumus cohæredes Christi conditionate, si cum illo patiamur.*

§. 11. *Latro alter compendiosam tenuit viam ad Paradisum: Viam crucis.*

§. 12. *Quinam digni sunt consolatione Christi D. quinam indigni.*

§. 1. *Crux post Resurrectionem*

AUdivistis heri, quam Christo Domino gloriose à mortuis resurgenti fuerit gloriosum, per lignum crucis devicisse mortem, jugulasse peccatum, spoliasse infernum.

num, debellasse diabolum, redemisse & liberasse genus humanum è miserrima captivitate & servitute. Hodiernum Evangelium, dum meminit gloriæ, in quam Christus intravit, insinuat signum imperii & principatus, lignum crucis, quod in passione jacuit super humeros ejus hodie, in triumplo gloriæ gestari in manibus ejus, in qua est potestas & imperium. Crux in gloriosa resurrectione, mutata est in sceptrum, & auream virgam Assveri, coram quo humiles Estheres, sive animæ piæ hodie sese incurvant, & profundissima humilitate ejus Majestatem adorant. Sacrosancta Crux novi Salomonis, in sua magnificentia regius thronus est, in quem cœlestis Pater exaltavit illum & dedit illi nomen, *quod est super omne nomen.* Nam in nomine Jesu, resurgentis à morte, omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Sacrosancta Crux, infame lignum, hodie mutata est in arcum triumphalem, in speciosissimam iridem, cui insidet Rex Regum, cui cœlum & terra accinunt, Apoc. 5. v. 12. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere honorem, gloriam & benedictionem.* Ut bene dixerit S. Joh. Damasc. l. 4. c. 12. fidei orthod. *Inter omnia mirabilia, crucem esse admirabilissimam.* Addo ego. Et Christi resurrectionem præcipuè cum hac circumstantia; Quod Christus D. filius Dei per mortem crucis, per tot tribulationes debuerit intrare in gloriam suam; ut sciamus, quod & nos oporteat pati, si aliquando cum glorioso capite nostro glorificari velimus. Quod hac concione ostendam, non tamen ero immemor gloriosæ Resurrectionis.

Christi non amplius est infamis, sed gloriosa.

§. 2. *Magnos sanctos permittit Deus vexari, ut fiant gloriosi.*

Innumera exempla S. Scripturæ manifestè ostendunt, Deum viris magnis, quos ad eximiam dignitatem & gloriam destinavit, præparasse varias tentationes & tribulationes, per quas ad nominis claritatem pervenerunt. Magnus fuit Abraham; sed primum quod illi indixit, fuit tribulatio & labor. Gen. 12. v. 1. ait *Egredere è domo Patris &c. Immola filium tuum Isaac, ejice Ismaelem*, & similia &c. Sed pro solatio hæc addidit. *Et faciam te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum.* Nota sunt, quæ dici solent de Jacobo, de Josepho,

de Davide & similibus. quorum exempla, præcipue S.Pauli in N.T. considerans D.Chrysost. hom.3. in ep. S. Pauli ad Rom. p. dixit. *Paulus inclaruit ab iis, qui ei incommodum moliebantur, insidiasque struebant. Sic Iob à plagis, sic Ieremias à lacu cœni, sic Noe à diluvio, sic Abel ab insidiis, sic Moyses à Iudæorum invidentia, sic unusquisque magnorum illorum virorum, non à requie, non à deliciis, verum ab afflictione, à tentationibus clari effecti sunt, & insignes coronas reportarunt.* His diebus vidimus, hodie videmus, à quibus inclaruerit Christus D. à laboribus, à doloribus, à spinis, à cruce: infamis mors fecit illum gloriosum in gloriosa resurrectione. Per hæc instrumenta, & nos, nostras coronas reportare debemus.

§. 3. *Adamas permissus magis splendet.* *Adamas* inquit Origenes hom.3. in Jerem. *quanto plus cæsus fuerit, tanto plus ejus virtutem splendescere scias.* Talis adamas, talis petra, talis silex his diebus fuit Christus D. percussus spinis, percussus alapis, percussus clavis, percussus cruce & lancea! tanto plus hodie in resurr. splendescit, tanto splendidiores vibrat radios, tanto hodie lucet magis & pulcrius. Adamantes fortissimi sunt, qui cum tribulationis probentur ictibus & quotidie inter malleum, incudemque sint tunc magis eorum splendet virtus, clarioresque ipsi fiunt, lucidissimi adamantes usque ad admirationem.

§. 4. *Talis adamas fuit S.Paulus.* Talis adamas fuit S.Paulus, percussus, tentatus, probatus tot adversitatibus, tot laboribus, tot periculis; sed qualis scintillæ ex hoc adamante? *Gaudeo in tribulationibus. Gratias autem Deo &c.* 2.Cor.4.v.8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur sed non perimus.* causam dedit alibi. Momentaneum & leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Proinde, ut bene Origenes l.4. in c.5.ep. ad Rom. *Tribulatio justi, non angustiat animi ejus virtutem, sed dilatat;* præsertim cum memor est gloriæ Christi resurgentis in quam non intravit, nisi per tribulationem.

§. 5. *Et Tobias.* Sacra scriptura valde laudat Tobiam, quod cæcitatem æquissimo tulerit animo c.2.v.17. Tob. *Non est contristatus contra*

tra Deum, quod plaga cæcitatis eveniret ei, sed immobilis (velut adamas) *in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Et sibi insultantibus dixit. *Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* q.d. quid arguitis ex tribulatione malum, recordamini quia aliam vitam expecto, ad quam eo certius perventurus sum, quod hic majores sunt meæ tribulationes. Addit S.Greg.Naz. orat. ad 150. Episcopos. *Ex hyeme Deus facit ver, ex tempestate tranquillitatem*, ex tribulatione gloriam, vitam miseram sequitur altera beatissima. Hyems his diebus fuit passio; hodie est ver lætissimæ resurrectionis. fuit passio quædam tempestas aut bellum, hodie est dies pacis & summæ tranquillitatis. Tribulatio est via ad paradisum. Ad regnum Christus D. tenuit viam crucis, eandem & nos debemus ambulare. Qui murmurant, non sunt memores & exempli Christi, & alterius vitæ, quam expectamus. *Aliqua similia.*

Hunc versum ex hod. Evangelio, *Nonne hæc oportuit &c.* ut scilicet & nos cum Christo patiendo, cum eodem resurgamus in gloriam, pulcre explicavit S.Paulus ad Rom. 8. vers. 29. *Quos Deus ad gloriam elegit, hos præscivit & prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui.* Non dubito quin hic omnibus occurrat duplex imago Christi. Meministisne v.g. Christi sudantis sang. quam fuit tristis imago? Meministisne flagellationis, coronationis, Bajulationis crucis? quis istas imagines siccis oculis, & sine compassione cordis aspicere potuit; ultimam præsertim, in qua vidimus illum morientem in cruce? Tristes imagines! sed revera in illis agnovit cœlestis Pater, imaginem filii sui, de qua loquitur S.Paulus. *Idea, imago, forma, species* in qua hodie nobis objicitur imago resurgentis à morte, in gloriosissimo corpore, cum sacrosanctis Vulneribus, quæ radiant veluti soles; imago inquam hæc Christi in gloria, tam est pulcra, tam speciosa, tam divina, ut satis aspicere, intueri & admirari non possimus. Sed his positis redeo ad verba Apostoli, quæ S.Cyrillus & Orig. sic explicant. Quos Deus præscivit, sibi amicos & dilectos futuros per gratiam, hos etiam prædesti- *§.6. Prædestinati per tribulationes debent fieri similes capiti suo Christo D. In gratia in hoc mundo.*

 navit

navit ut patiantur, & per patientiam fiant similes filio suo, qui in hac vita tot labores, ærumnas & dolores sustinuit; ut conformitas imagini Christi in hac vita nil aliud sit, quàm nostra patientia, si aliquid pati debeamus. Tota enim vita Christi 33. annorum nihil fuit aliud, quàm speculum continuæ patientiæ, cui nos conformare debemus. quod fit, si subinde alligamur ad columnam, si coronemur spinis, si affigamur cruci. Gaudet Pater cœlestis nos videre in tali imagine.

§ 7. *In altera vita in gloria.* Sed sequitur alterum infallibiliter. erimus aliquando etiam similes & conformes imagini filii in gloria. Resurgemus cum Christo; conglorificabimur cum illo; fuimus filii per gratiam, erimus etiam in gloria 1. Cor. 3. v. 18. *Nos vero omnes* (qui tribulamur &c.) *revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformabimur.* --erimus similes illi. Quam volupe nobis est, si hoc lætissimo Paschali tempore tantum imaginemur nos videre Christum resurgentem cum lucidissimo corpore instar solis &c. quale erit gaudium cum & nos in lucidissimis corporibus, nõ oculis fidei, sed facie ad faciem illũ videbimus. qualis voluptas cordis, videre amœnissima vulnera in immortali corpore &c. quæ erit voluptas &c. (hoc modo potest fieri pulcra inductio.) Sed bene monuit Apostolus, antequam Redemptori nostro simus conformes in gloria, prius per patientiam in tribulationibus similes illi esse debemus qualis fuit in hac vita, *Nonne hæc oportuit &c.*

§ 8. *Quomodo simus cohæredes Christi.* Solatio plena sunt pauca verba Apostoli, Rom. 8. v. 17. *Hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi*; id est, erimus aliquando participes æternæ gloriæ. Card. Toletus advertit non sine magna causa nominari Christum. nam inter hæreditatem bonorum hujus mundi, & hæreditatem gloriæ cœlestis, magna est differentia. Nascitur Monarchæ Hispaniarum filius primogenitus, eo ipso quod genitus est, quod est filius regis, est hæres regni, sine omni labore, sine omni merito. Hæc lex civilis non habet locum in hæreditate regni cœlestis, omnes filii & hæredes Dei sumus, & cohæredes fratris nostri Christi, sed antequam hæreditatis possessionem adeamus, debemus primus laborare, ut Chri-

ut Christus laboravit &c. ideo statim eodem versu subdit Apostolus: *Si compatimur & conglorificabimur.* Card. Toletus hic. Conditionem quandam apponit Apostolus, ut hæreditatis possessionem adire possimus si modo compatimur, nimirum tribulationes, persecutiones, afflictiones patientes, sicut etiam ipse Christus *passus est*, *cujus cohæredes sumus, ut una cum ipso etiam conglorificemur, & hæreditate Dei perfruamur.*

Alia adhuc pulcra emphasis latet in his verbis, *cohæredes Christi.* Cur Christum nominat? Matthæi 19. Matri petenti dexteram & sinistram Christi in regno suo pro filiis, Respondit; *Calicem &c.* sedere *non est meum dare vobis.* Sed quomodo, nunquid Pater omnia tradidit filio &c. Euthymius p. explicat. Mater hæc petebat ante labores, ante passionem filiorum &c. Christi autem non est, sive non solet dare mercedem sine labore, coronam sine certamine &c. *per calicem pertingitur ad majestatem* ait S. Greg. §. 9. *Per calicem pertingimus ad majestatem.*

Confirmat hunc locum Rupertus Abbas in cap. 5. Apoc. *Hoc jus legale est apud cælestem Regem, ut sicut ipsi disposuit Pater regnum, ita nobis disponat præmium permanentibus cum illo in tentationibus ejus.* & S. Chrysost. in ps. 5. *Non enim reliquit nobis hæreditatem pure, sed sub quadam conditione, quænam autem ea est? ut tollamus crucem nostram & sequamur eum.* Luc. 22. vers. 28. iterum promittit discipulis suis cœlum, *Dispono vobis regnum.* nam-- *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Exultate auditores, vos estis qui triduo passionis permansistis cum Christo in illis angustiis in monte Oliveti. Vos permansistis cum illo ad columnam. & etiamsi vos etiam alligemini, tamen libenter estis cum Christo, etiam inter spinas, imò in ipsa cruce. Euge servi boni! vult Salvator noster ut hodie etiam sitis participes gaudii. (est locus pro p. inductione) S. Bernardus. *Eodem cum Christo donantur regno, qui cum Christo tentationes tolerarunt.* §. 10. *Sumus cohæredes Christi, conditionate, si cum illo patiamur.*

Mirantur plerique pium latronem tam cito pervenisse ad paradisum. ait; *Memento mei, cum veneris in* §. 11. *Latro alter compendi-*

 regnum

regnum tuum. Mox statim, respondet Christus, *hodie mecum eris in paradiso.* Scio SS. Patres hoc ascribere perfectissimæ ejus conversioni, ejus fidei, dolori, publicæ professioni divinitatis Christi in tam misero statu. Juvit intercessio B. V. servit mihi modo ratio S. Bernardi ser. 1. in ramis. *Latro euntem Christum vidit ad cælum, -- rogat ut sit sui memor, & secutus est euntem -- sed vis nosse, quàm compendiosa via? tam cito pervenit per crucem & tormenta, quæ sunt via compendiosa, & initium beatitudinis patriæ.* Obstupescite effectum & fructum patientiæ in tribulatione & cruce. Non latroni ut sic, sed latroni tribulato. Non supplicanti tantum, sed simul patienti, paradisum donavit. Nam ut ait S. Bern. ser. 1. de verbis Isaiæ. *Nunquam Christus socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri, sicut latronem, quem habuit crucis socium, habere voluit beatitudinis consortium. O quam pauci, bone Iesu, post te ire volunt -- per crucem, cum cruce, vel in cruce; Omnes corregnare cupiunt, sed non compati; non curant quærere, quæ tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non sequi.*

Ipsam tenuit viam ad Paradisum. Viam crucis.

§. 12. Finio cum S. Aug. *Qui hic consolantur Domine Iesu, indigni tua consolatione habentur, sed qui hic cruciantur, à te consolantur.* O mi Jesu, ecce meos auditores, qui his diebus in tanta tristitia sunt compassi, Consolare illos hodie. Ecce illos, qui adhuc in corde suo habent spineam tuam coronam. O gloriose Salvator, Consolare illos &c. hoc modo fac affectuosum Epilogum.

Quinam digni sint consolatione Christi, quinam indigni.

CON-



CONCIO LXVI.

FERIA III. PASCHATIS.

Pax vobis.

Joann.20.cap.v.27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFfert multa, de pace, quæ fuit fructus, arboris crucis.

§. 1. *Exordium de gloria crucis. Fructus ejus, Pax est.*

§. 2. *Nihil est delectabilius pace.*

§. 3. *In Nativitate pacem annuntiat Angelus: in Resurrectione ipse Christus.*

§. 4. *Quo sensu dicatur? per Resurrectionem confirmatam esse divinam misericordiam.*

§. 5. *Elogia pacis ex S. Augustino.*

§. 6. *Pax est paraphrasis omnium donorum.*

§. 7. *Prosecutio.*

§. 8. *Vbi pax; ibi dona charismatum; & abundantia.*

§. 9. *Christi D. titulus gloriosissimus est, quod sit Princeps Pacis.*

§. 10. *Pax Apostolos fecit fortes, & testes Resurrectionis Christi.*

§. 11. *Cur dicatur Pax Christi.*

§. 12. *Aliqui sunt incapaces, ut fiant participes hujus pacis.*

STetit in medio discipulorum, scilicet ille, de quo ante biduum dixit Angelus, *Iesum quæritis Naz. Crucifixum; Resurrexit.* Nemo horreat, hoc lætissimo tempore, inter paschalia gaudia toties nominari crucifixum & hunc titulum dari tam glorioso Victori & triumphatori. Eleganter enim

§. 1. *Exordium de gloria crucis. Fructus ejus, Pax est.*

enim ait S.Chrysost. hom.11. in Joannem. *Neque miraculorum gratia Christum duntaxat admiramur* (non tantum Resurgentem.) *Sed etiam passiones, ut cum affixus est cruci, flagellis & alapis cæsus --siquidem in his ipsis, quæ probri & ignominiæ plena esse videbantur ipsum rursus verbum clarissimum apparuit.* Et Oecumenius in illud Pauli ad Hebr.2. v.9. *Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*, ait, *Gloriam, & honorem* S. Paulus *vocat crucem, neque tantum dignum, tamque gloriosum fecisse cælum & terram, ac hominem, supernasque virtutes, sicut quod propter nos dignatus est crucifigi.* addit deinde rationem citatus S.Chrysostomus; *Non enim id caritatis solum fuit, & amoris*; (& misericordiæ) *sed immensæ etiam virtutis* (& omnipotentiæ) *tunc enim mors abolita est, maledictum periit, dæmones confusi sunt, & de his triumphatum est, & chirographum cruci affixum.* addo. Inter Deum & homines post acres inimicitias, stabilita est pax, quam gloriosus Victor in prima sua apparitione, discipulis apprecatus ait, *Pax vobis.* Nimirum illa, quæ est fructus meæ crucis; illa, quam ego per mortem conciliavi; illa, quam mundo secum affert, gloriosa mea Resurrectio. De hac pace, aliqua affectuosa & solatio plena, proponet hæc concio, ut hanc pacem omni studio quæramus.

§.2. *Nihil est delectabilius pace.*

Suavia sunt verba S. Aug. de civ. Dei, apud S. Bern. ser. de bono pacis ser.9. art.1. *Tale donum est bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri.* tali g. verbulo; suavi, dulci, gratioso, in sua resurrectione, suavis, dulcis, gratiosus Jesus, tristissimos suos discipulos alloqui voluit, quo illis apprecaretur bonum, quo gratiosius & dilectabilius audire non possunt; pacem! quæ continet in se omne felicitatis genus, & bona simul omnia. Nam mos erat antiquitus apud gentes, & præcipuè apud Hebræos, dum salutando imprecabantur pacem, per illam significare omnium bonorum apprecationem, & felicitatis. idem in hod. Evang. facit Christus D.

§.3. *In Nativitate, pacem*

Lætissima die, qua natus fuit in hunc mundum, mundo pacem fuit apprecatus per Angelum Luc.2.v.14. *Gloria in excelsis*

celsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est Salvator, à quo pax & omne bonum; Angelum misit, quia Nativitas fuit tantum quasi inchoatio Redemptionis nostræ, fuit præludium pacis quæ fieri debebat inter Deum & homines; ideo Angelus tantum mittitur boni nuntii bajulus. Postquam per mortem crucis ipsa redemptio data est executioni, postquam sanguine crucis sublatæ sunt inimicitiæ, Christus ipse pacem promulgat, *Pax vobis.* Ipse ait, mei discipuli nolite timere. *Gloria in excelsis* Patri meo cœlesti, vobis in terra pax. Ponite tristitiam, annuntio vobis gaudium magnum, qui pro vobis mortuus fuit in cruce, Resurrexit. Resurrectio mea est vobis confirmatio pacis.

annuntiat Angelus; in Resurrectione christus D.

§. 4. *Quo sensu dicatur; per Resurrectionem confirmatam esse divinam misericordiam.*

Puto Rupertum propterea hodierna festivitate præcipue usum versu illo ps. 116. v. 1. *Laudate Dominum omnes gentes, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.* Videtur psaltes voluisse insinuare, in Nativitate Christi, cœpisse quasi misericordiam, fuisse tantum initium tanti boni, sive Redemptionis nostræ; ideo Angelus tantum mittitur, qui pacem & gaudium mundo annuntiet; Continuata quodammodo fuit D. Misericordia in opere & negotio nostræ redemptionis, quam diu Redemptor noster vixit in hoc mundo. Supremam manum operi imposuit, dum ex infinita misericordia in cruce mortuus fuit. Verùm quale fuisset gaudium, si mortuus in cruce, mortuus permansisset? Si non resurrexisset? Imperfectissimum fuisset opus, nostra redemptio; sed quia hoc in Deum infinitæ perfectionis non cadit, Deus resuscitavit Filium suum à mortuis imò sua vi & potentia ipse resurrexit, & sic demum, confirmata fuit Dei misericordia; modo perfectissimo perfectissimum opus redemptionis absolutum fuit; ideo ipse ait, *Pax vobis.* q. d. Mei Apostoli & discipuli, annuntio vobis gaudium magnum, Salvator vester, non tantum natus est, non tantum mortuus, sed resurrexit, Ecce ego sum; nolite timere, Pax vobis. Resurrectio mea, erit vobis radix omnis felicitatis;

& Veritas ejus manet in æternum! Hic est sensus verborum Christi. Pergo ad illa bona, quæ hæc Pax Christi in se continet.

§ 5. Elogia pacis ex S. Augustino.

S. Augustinus l. de verb. Domini dixit, *pacem esse serenitatem mentis, tranquillitatem animi, vinculum amoris.* Stat pulcerrimus Jesus in medio discipulorum; corda eorum erant tristia, densis involuta nebulis, timoris, anxietatis, confusionis; Pauca verba Christi, *Pax vobis*, momento illa serenarunt, & pulsis tenebris amabilem lucem reddiderunt. Discipulorum corda, erant plene perturbata, vexata gravissimis dubiis de resurrectione Magistri; titubabat illorum fides. Paucis his verbis, suavissima hac apprecatione, pax vobis! momento illa tranquillavit, ademit dubia, fidem confirmavit. Frigida erant discipulorum corda, fervor amoris erga suum Magistrum valde intepuerat; suavissima apprecatio Christi; *Pax vobis* fuit veluti facula, quæ momento illorum corda calefecit, amorem accendit, & novis vinculis suavissimi amoris Christo D. illa colligavit. Bene habet, si aliquorum auditorum meorum corda sunt adhuc tristia, turbida; quid melius in Paschate apprecari possum, quam pacem Christi, ut Christus resurgens à mortuis illa serenet. Pax vobis. hoc vobis precor (sic de aliis.)]

§. 6. Pax, est paraphrasis omnium bonorum.

Christus D. tristissimos & timidos suos discipulos magis exhilarare, consolari, & corroborare non potuit, quam apprecatione suæ pacis. Sap. 3. v. 3. ait Salomon, justos, qui multum debent pati, videri oculis inscientium mori; sed addit, *Illi autem sunt in pace.* Hac unica vocula v. 3. Beatorum in cœlis felicitatem voluit exprimere. quid? nunquid innumera illorum bona potuisset referre v. g. Illi sunt in æterna vita. in lætitia sempiterna, facie ad faciem Deum semper vident. Cur hoc tantum expressit, illi autem sunt in pace? acutissimè ad rem nostram respondet Franciscus Labata, verbo Pax. prop. 5. *Quia quidem tantum bonum est pax, ut periphrasis esse valeat omnium cœlestium bonorum.* Ut pax idem sit, quæ beatitudo & omne bonum.

§. 7. Prosecutio.

Pax vobis, ait Christus D. ad suos discipulos. Nunquid potuis-

potuisset dicere, mei discipuli ecce resurrexi; Vici mortem, vici diabolum, spoliavi infernum, liberavi captivos. Nunquid potuisset dicere, mei discipuli gaudete de mea victoria; debellati sunt vestri hostes, aperui vobis cœlum; affero vobis ingentes thesauros, gratiarum & virtutum. Mei Apostoli; jam apud Patrem sum vester advocatus; ibo ad illum, & inde mittam ad vos spiritum Paraclitum &c. Cur tantum ait, *Pax vobis.* nisi quia tot & tanta bona continet hæc vocula, ut illa sola sit paraphrasis, omnium bonorum, omnium gratiarum, & omnis felicitatis, quam discipuli à Christo Resurgente sperare poterant. Hæc pax supponit mortem esse jugulatam, devictum diabolum, deletum chirographum peccati &c. Ubi pax est, ibi Deus est, ibi Christus est, ibi omne bonum est, ibi omnis felicitas est, ibi Paradisus est. *Et seminarium omnium bonorum*, ait Sylveira. Cum hac pace Christus D. suis discipulis àttulit perfectissimum gaudium; propter ejus abundantiam, omnium præcedentium malorum sunt obliti; contentissimi, quod viderent suum Magistrum à mortuis resurrexisse.

Cum pace Resurrectionis, omnes pariter gratiæ & dona charismatum venerunt super discipulos. prout David prædixit ps. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus Iustitia & abundantia pacis.* Nam, ut inquit S. Aug. *Vbi pax ibi omnium charismatum dona.* Pacem attulit Christus D. suis discipulis, cum illa abundantiam fidei, abundantiam spei, abundantiam caritatis, abundantiam zeli. Cum illa pace, abundantiam gaudii, abundantiam lætitiæ, abundantiam omnis solatii. Hæc fugavit ex discipulorum cordibus omnem timorem. Nam, *cedit omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cum Christus adest*; Hinc dicitur esse in medio Pacificorum; id est, ait Dion. Carth. art. 32. *inter eos, atque in cordibus singulorum per Spiritus S. directionem, piam gubernationem, & precum illorum gratiosam exauditionem. Tales g. Christus custodit, protegit & illustrat. Ecce fructus pacis.* §. 8. *Vbi pax, ibi dona charismatum, & abundantia.*

Aliquid observatione dignum advertit S. Bernar. ser. de S. Benedicto. Quod filius Dei, verbum & imago patris, splendor gloriæ, fons vivus omnium bonorum, & in sinu patris & ab §. 9. *Christi D. titulus gloriosissimus est, quod sit*

 æterno,

Princeps pacis. æterno, & in utero matris, & quamdiu vixit, imò in ipsâ cruce & morte, voluerit secum habere pacem, & nominari amator pacis. Sic ait cit. S. Bern. *Filius à Patre processit, & venit in mundum, & qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris (ab æterno) fieret & ipse Pax in utero matris, voluitque sibi ab Isaia Propheta Principis pacis gloriosum titulum acclamari, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Hactenus S. Bernardus. Addo ego; hoc eodem titulo honorari voluit pendens in cruce; ecquid enim illa verba, illud testimonium Pilati, Jesus N. R. J. aliud sonat, quàm Regem Pacificum, Amatorem Pacis, conciliatorem pacis, etiam per sanguinem suum, in quo per mortem ejus diu desiderata pax inter Deum & homines facta & stabilita est. Qui in corde patris ab æterno, qui in utero matris, qui in vita & in morte fuit Princeps pacis; talis quoque est in gloriosa Resurrect. ita, turbator est inferni, conturbator omnium hostium, sed suis discipulis, Princeps pacis. quapropter primam salutationem, primam allocutionem voluit esse pacificam, *Pax vobis.* & cum hac pace omne bonum.

§ 10. *Pax, Apostolos fecit fortes, & testes Resur.* Fructus eximius hujus pacis fuit, quod Apostoli statim deposito omni dubio de resurrectione audacter eam prædicarint, & testimonium illi perhibuerint præsertim postquam accessit virtus ex alto post adventum Spiritus S. Act. 2. v. 32. *Hunc Iesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.* cap. 4. v. 10. *Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus.-- Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis &c. Iterum. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonia Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI, &c.* Illi qui fugerant, qui negaverant, qui latuerant tam timidi, tam anxii &c. hoc fecit Pax CHRISTI. Solatur tristes, erigit debiles, confortat timidos.

§ 11. *Cur dicatur, Pax Christi?* Vocatur Pax Christi, quia Christus pacem hanc è cœlis ad terram detulit, unde Angeli cecinerunt, *Pax in terris &c.* Pacem sanxit præceptis; pacem legavit in testamento, Pacem relin-

relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ex sepulcro ad nos redit cum pace. Unde p. dixit S. Paulus ad Coloss. 3. v. 15. *Et pax Christi exultet in cordibus vestris.* q. d. Gaudete & exultate ob pacem animi. in græco est. *Pax gubernet corda vestra.* ad Philip. 4. v. 7. hæc pax--*custodiat corda vestra in Christo Iesu.* loquitur hic Apostolus de pace, quasi inexpugnabili scuto, quia revera hæc pax elidit omnes suggestiones & tentationes dæmonis, per quas pacem nobis eripere conatur, solicitando nos ad peccata, quæ pacem tollunt; vel certe eam turbare, immittendo scrupulos, diffidentias, mœrores &c. uti hoc tempore experti erant Apostoli, sed Jesus ait, Pax vobis, pax vos custodiat &c. Vel, hæc mea pax vos confortet; quid enim timetis, si Patris mei, & mei sitis amici, dilecti, filii, Deum in me habetis protectorem, imo vindicem, pro quibus Deus pugnat. pro quibus ego vici mundum & diabolum, pro quibus ego vitam posui. Advertitis credo auditores, quam varia & magna & multa bona Christus D. unica vocula suis Apostolis fuerit apprecatus. Eadem omnia ego vobis apprecor ex intimo corde. *Pax vobis.*

Sed quid ego omnibus precor pacem Christi, cum forte ex meis Auditoribus aliqui sint qui ejus capaces non sunt? Suntne fortassis inter vos, qui needum peregerunt paschalem confessionem, eo quod hostem vel inimicum habeant, cui nolunt ignoscere? Cum his non est Christus resurgens amator & princeps pacis; sed diabolus pater & auctor inimicitiarum, hi pacis Christi capaces esse non possunt nisi ignoscant. Hoc letale odium, & aliud quodvis peccatum mortale est quoque causa, ut tales pacem non habeant cum Deo, consequitur neq; cum Christo. Et quæ lætitia hoc paschali tempore talibus esse potest. Quid medii? Severus Imperator moriturus, vocavit ad se filios suos, & ad concordiam adhortatus, auream hanc sententiam illis reliquit *Conveniat inter vos.* Hoc ante paucos dies Christus Pater noster moriturus in cruce fecit, verbis & exemplo pacem suasit. Date hoc quoque hodie resurgenti, conveniat inter vos. Deinde conveniat inter vos & Deum. fiat tandem pax, per seriā Confessionem & vitæ emendationem, ut omnes pacis Christi

§. 12. Aliqui sunt incapaces, ut fiant participes pacis Christi.

ſimus capaces. Refert Maffeius hiſt. Indicæ l. 7. Barnagaſium Præfectum exercitus regis Abyſſinorum, cum Prætore Luſitano fœdus initurum, apprehenſa cruce nixum genibus dixiſſe. *Quam pacem Ieſus Chriſtus humani generis Redemptor diſcipulis reliquit, eadem eſto inter nos, qui ejuſdem profitemur fidem & cultum.* Non loquamur nos aliter Aud. Omnes per crucem redempti ſumus, omnes cupimus eſſe participes ſanguinis Chriſti, itaque cedant odia (p. hoc.) *Quam pacem &c.* p. Qui pacem non vult; S. Aug. ſer. 57. de verbis Domini. Abdicatur à Patre, exhæreditatur à Filio, alienus efficitur à Spiritu S.



CONCIO LXVII.

FESTO SS. APOSTOLORUM, PHILIPPI, & JACOBI.

In domo Patris meæ manſiones multæ ſunt.

Joan. 14. cap. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUcit Auditores ad quatuor fontes, juxta quos creſcunt flores & herbæ, quæ ſunt ſymbola, bonæ conſcientiæ, amoris Dei, Fiduciæ, & Orationis; ex quibus ceu quatuor fontibus fluit & promanat, verum Majale gaudium.

§. 1. *Felix ille, qui diſcit gaudere in hoc mundo.*

§. 2. *Mirabile animal Africæ.*

§. 3 *Gaudent aliqui in nihilo.*

§. 4. *Teſtimonium Marci Aurelii Imperatoris; humanam malitiam, bonis hujus mundi non poſſe ſatiari.*

§. 5. *Filii hujus ſæculi, putant, v. g. ſe habere divitias, ſed non habent.*

§. 6. *Primus fons eſt, juxta quem*

in amæ-

VIridem, amœnum, lætum, Majum auditoribus meis ex animo precor. Lætissimum hoc tempus exigit lætam concionem. Materiam suggerit pulcra & brevis gnome viri sapientissimi; *Disce gaudere.* felix ille est, qui scit, quo gaudeat; æstimo doctorem qui in hoc axe positus est. Verum gaudium, est quasi majalis flosculus; beatus est, qui locum, hortum vel sylvam scit, in qua flosculus ille crescit. Neque enim omne gaudium pectus veraciter implet, & solidè beat, sed verum gaudium, de quo Christo D. in Evangeliis hoc Paschali tempore sæpius loquitur. Gaudii homo naturaliter & semper est appetentissimus; sed nescio qui fiat, quod hoc tempore majali præcipuè gaudio quodam afficiatur, dum scilicet, terra, fluvii, aër, arbores, herbæ, flores, prata, horti, novi gaudii dent occasionem. Sed ideo meritò moneo. O mortales discite gaudere; discite, ubi vera sint gaudia. Salvator noster in hoc Evang. clare insinuat, non esse illa quærenda in terris, sed in cœlis. Non illa consistere in extrinsecis, in opibus, vel honoribus, vel deliciis, quæ sensus tantum afficiunt, sed intus in corde, & bona conscientia; ideo monuit S. Ambr. *In te ipso suavitatis tuæ, gratia est, ex te pullulat, in te manet;*

§. 1. *Felix ille, qui discit gaudere in hoc mundo.*

manet; intus, id est, in te ipso quærenda jucunditas tua est conscientiæ. Plutarchus l. de virt. & vit. *Iucunde vivere & hilariter, non à foris est;* sed contra homo rebus ipsis, in quibus versatur, lætitiam & oblectamentum ex moribus suis quasi ex fonte adit. eleganter S. Chrysost. in illud ps. 4. v. 7. *dedisti lætitiam in corde meo; Non dixit, simpliciter & absolute, dedisti lætitiam, sed in corde meo, ostendens, quod nulla est in rebus externis lætitia; hæc enim non est cordis, sed oculorum tantum lætitia.* Verùm ne diutius hæream in exordio, ordiar concionem, & rogo ut benevolas aures mihi præbeant. Docebo enim, quomodo lætissimo hoc tempore gaudere debeatis: sive, qui sint fontes veri gaudii; idque sub metaphora Potus majalis &c. Ostendam quatuor fontes, juxta quos crescunt flores & herbæ, quæ ego exigo pro haustu Majali.

§. 2. *Mirabile animal in Africa.* Africa calidissima est regio, quia perpetuis quasi radiis solis torretur, &, quod incolis est molestissimum, carent aquis & fontibus. De remedio tamen præcipue in desertis pro peregrinis providit natura. nascuntur enim multa animalia, (Plinius l. 10. c. 73. vocat, *Oryges.*) quæ in corporibus suis habent vesicas plenas limpido, & sapido liquore, quo peregrinantes utuntur pro potu. circumferunt itaque illæ bestiæ veluti fontes in remedium sitientium, sed hoc est admiratione dignum, teste Plinio, illæ, perpetua & calidissima uruntur siti, & avidæ turbidas quærunt aquas, ut sitim sedent, cum intus in corporibus optimas circumferant aquas. His bestiis plurimi mortalium sunt simillimi; sitiunt opes, sitiunt honores, sitiunt voluptates, sed sitim sedare his aquis non possunt, imò quò plus sunt potæ, *plus sitiuntur aquæ*; & tamen intus in corde habent fontes veri gaudii, ex quibus sitim facillime sedare possent. Itaque veros fontes ostendam, & ut melius retineatis, offeram recepto more fasciculum ex floribus majalibus; in quo colligavi, lilium convallium, Tulipam, varios flores & herbas, ex quibus potus majalis *solet confici.*

§. 3. *Gaudent* Cap. 6. v. 14. *Filiis hujus mundi* dixit Amos: *qui lætamini in nihilo.* Hebraica lectio sic habet, *qui lætamini in non verbo.*

Pagni-

Pagninus, in eo *quod non est aliquid.* Symmachus, *frustra sine causa* hæc vocula nihilum in memoriam mihi revocat vers. 8. cap. 7. Sapientiæ. *Venit in me Spiritus sapientiæ, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sed vitiæ, nihil sunt, si nihil honores, si nihil voluptates, clarum est in illis non consistere verum gaudium; alibi ergo quærite, quo discatis gaudere.

Marcus Aurelius Imperator mundialibus deliciis abunde satur, has de conscientia voces eructat (ut in ejus vita legitur.) *Quæ sum expertus libere proferam licet cum mei nominis nota, sed olim forsitan futuro sæculo profutura: per omnia me vitia exercui, periculumque feci. posset ne se ipsam satiare humana malitia; sed deprehendi, quo bibo magis, ardentiorem sitim quo plura mihi sunt, adhuc his plura concupiscere, quo quæro diligentius minus invenire: nihil demum unquam obtinuisse, quod appetitum satiaret, ac non aliud habendi potius libidinem provocaret.* Sic est mundialis & humana voluptas, lætitiæ inops, exucca, falsa, potius doloris quàm gaudii causa, qui itaque discere volunt gaudere scire debent, mundum suis non posse dare verum gaudium. *§. 4. Testimonium Marci Aurelii Imperatoris, humanam malitiam, bonis hujus mundi non posse satiari.*

Pulcrè S. Greg. ait l. 2. mor. c. 15. postquam delicias hujus mundi comparavit cum rosis, quæ spinis sunt septæ, ait: *Manent sub sentibus & hoc ipsum delicias putant: quia dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant, & tamen ex affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem ejusdem tolerantiæ, voluptatem putant* Ingeniose dixit, putant, quia tales verum gaudium in divitiis non habent, sed putant se habere. Spinæ plus pungunt, quam rosæ recreent. hujus opinionis fuit S. Bernardus cum dixit; *Quæcunque mundus reputat crucem, ego delicias reputo: & quæ mundus delicias, ego reputo crucem* (ser. 7 de quadrag.) *Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiæ &c.* De talibus ait S Paulus. 2. ad Cor. 6. vers. 10. *quasi tristes semper autem gaudentes.* talis fuit ipse S. Paulus, in tot laboribus, in tot persecutionibus, in carceribus, in fame, siti, nudi- *§. 5. Filii hujus sæculi putant v. g. se habere divitias, sed non habent.*

tate, quaſi triſtis; ſed revera intus gaudebat; ut auderet dicere, *Abundo gaudio* in tribulationibus. hoc modo diſcite gaudere.

§.6. *Primus fons eſt, juxta quem in amœna valle magna copia creſcunt lilia cõvallium &c. ſive, prima cauſa veri gaudii, eſt bonæ conſcientia.*

Lilium convallium ob ſuum candorem eſt ſymbolum innocentiæ, puritatis, ſive bonæ conſcientiæ. itaque diſcite gaudere, id eſt, habete corda pura, abſtinete à malo, bonas habete conſcientias, & verè gaudebitis. pulcrè S. Chryſoſt. hom. 25. ad pop. Antioch. *Nihil aliud eſt triſte, niſi Deum offendere. quod cum aberit, non tribulationes, non inſidiæ, non quidquam aliud ſapientem animum poterit contriſtare.* S. Ambr. l. 2. de off. c. 1. *Vitam beatam efficiunt, tranquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ.* & ſapiens Proverb. 14. verſ. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis:* in timore Domini, id eſt, in illa conſcientia, vel illo homine, qui timet Deum offendere, in illo eſt verum gaudium. S. Greg. l. 12. mor. cap. 21. Nihil ſimplici corde felicius --habet enim quaſi arcem quandam fortitudinis ſimplicitatem ſuam. Experientia commonſtrat hoc verum eſſe. vita v. g. alicujus vinitoris eſt vita plane laborioſa (eſt locus pro pulcra deſcriptione) veſperi dum decubiturus ſe Deo commendat, meminit, ſe illo die Deum graviter non offendiſſe, ſervivit Deo, vel laboravit in timore Domini, &c. Hic vinitor eſt beatus. diſcite gaudere &c. (hoc modo poteſt fieri pulcra inductio.)

§.7. *Juſtus verè lætatur; non impius.*

Proverb. 13. v. 25. *Juſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis.* Hebraicè ſic locus exſcribitur: *juſtus comedit ad ſatietatem animæ ſuæ*, id eſt, *deſiderii ſui:* hoc eſt, ait Vatablus, *deſiderium ſuum explet.* talis verè gaudet, ſed debet eſſe juſtus. pro altera parte verſus, *Venter &c.* hebraicè; *deficiet. 70. animæ impiorum egena.* Dion. Carthuſ. ſic explicat: *venter &c.* id eſt, *cor eorum terrenis rebus non ſatiatur.* conſentit illi Hugo Card. *Venter impiorum eſt cupiditas, quæ inſatiabilis eſt.* ideo tales verè gaudere non poſſunt. *Non eſt pax impiis.* alia lectio, *Non eſt gaudium impiis.* D. Chryſoſt. *Non eſt gaudere impiis &c.* Sed juſtis, qui bonæ ſunt conſcientiæ &c.

Elo-

Eloquenter S. Bern. l. de inter. domo cap. 23. *Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus moritur, secura cum anima coram Deo præsentabitur, secura, cum in die judicii ante tribunal terrestrum justi judicis statuetur.* (ex hoc loco respondere possum quæstioni quam fortassis aliqui sibi proponunt; Quod ergo est verum gaudium de quo loquitur Evang. sive, quis verè gaudet? &c. Respondeo enim, qui ex vobis ita sunt constituti, vel istius conscientiæ, ut si statim mori deberent non curarent, si statim justo judici sistendi essent, non reformidarent, hi dico sunt beati, hi verum & solidum habent gaudium, sed fons est, bona conscientia, fons est Deum non offendere. qui scit, se, si modo mori deberet, damnandum, quomodo hic gaudere potest? talis merito tristatur, timet, angitur; fons est conscientia mala) pergit S. Bernardus. *Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia, subjiciatur corpus in pœna, in injuriis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, secura erit conscientia.* §. 8. *Elogia bonæ conscientiæ ex S. Bernardo.*

Itaque lilium convallium quod offero projiciam in potum majalem, ut vos recreet, & sapiat optime. Cum regius scyphus Josephi, ut scitis ex cap. 44. vers. 5. Genesis, inventus fuit in sacco Benjamini, Oeconomus aulæ fratribus objecit, *scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* pro τὸ *augurari,* hebraice est, *nachas,* quod significat *divinare, præsagire, vel somnia interpretari.* paulo aliter locum explicat Petrus Ab. Cellensis in l. de consc. *Conscientia bona est scyphus Joseph, in quo augurari & inebriari solet animus.* Oeconomus dicere voluit, cum Josephus meus Dominus est lætior, cum plusculum bibit (si fuisset Germanus forte dixisset, cum bibit sanitates. cum bibit majaliter) tum utitur hoc scypho. ethycè illo utitur, sive lætus est, gaudet, qui bonæ est conscientiæ. Permitto vobis Audit. ut hoc primo die Maji post divinum cultum redieritis domum, potu majali vos reficiatis, §. 9. *Bona conscientia confertur cum scypho Josephi.*

 sed

sed inter alias herbas & flores, desidero lilium convallium, id est, cupio ut sitis Dei amici, ut illum non offendatis &c. hoc facile, & verè gaudebitis &c. discite, quomodo cum gaudio calice majali, uti debeatis.

§ 10. *Juxta alterum florem Tulipa, sive veri gaudii causa est amor Dei.*

Bene Seneca. *Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile magnumque & verum gaudium consequantur, ignorant.* Itaque vos, discite gaudere. & quidem à Majali flore, id est, tulipa; notus flos est; ejus folia miscui inter alios flores & herbas miscui pro majali potu. habet hic flos proprietatem heliotropii; cum oriente sole pandit folia, dum sol est altissimus, quantum potest illa explicat; cum sol occumbit, & tulipa occumbit, id est, claudit folia. adverterunt aliqui curiosi, quod secundum cursum solis se gyret; verbo & flos solis, amator solis. Estote tulipæ, Deum respicite, hunc amate, & scietis artem solide gaudendi. Hunc fontem veri gaudii gestatis in cordibus vestris, si vultis, gaudere potestis, quando vultis, quia, cum vultis Deum amare potestis, à quo solo verum gaudium procedit.

§. 11. *Cur David dicatur exultasse in Deo vivo.*

Expertus fuit David cùm præ gaudio exclamavit ps. 83. v. 3. *Cor meum & caro mea exultaverunt*, hoc est verum gaudium, nam gaudent aliqui secundum corpus, sed intus cor lancinatur (est locus pro pulcra induct.) David, non corpore tantum, sed corde exultavit. causam addit, quia exultavit *in Deum vivum*. eleganter S. Aug. l. 50. hom. hom. 33. *Non exultavit in hoc mundo, non in divitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non vanitatibus mortuis* (bestialia sunt gaudia) *& citò cum omni amore suo morituris: sed in Deum vivum: ut ostenderet, quia totum quod non pertinet ad Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum.*

§. 12. *In Deo sunt omnia delectabilia.*

Elegantius l. de diligendo Deo c. 18. *Si multæ ac magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus* (ut mundani putant) *qualis & quanta est delectatio in illo qui fecit omnia delectabilia? O, qui hoc bono fruetur, quid illi erit? & quid illi non erit? Cur ergo per multa vagamur, quærendo bona corporis & animæ nostræ; Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.* Discite gaudere, id est, amate Deum, & gaudete, & recreate vos potu ma-

majali in lætitia cordis & corporis. De hoc gaudio loquitur David ps. 84. v. 7. *plebs tua lætabitur in te*, id est, justi &c. gaudebunt in Deo. S. August. apud Lorinum. *Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te quando enim voluit habere gaudium de se, invenit planctum in se*. Nunc ergo quia totũ gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat qui nõ potest perire &c

Verum multi ita gaudium quærunt ut locum habeat querela Joëlis c. 1. v. 12. *Confusum est gaudium à filiis hominum*, id est (sic explicat Rupertus Tuitiensis) confuderunt gaudium, seu non servaverunt ordinem gaudii, filii hominum. primò enim & principaliter gaudere debuerunt de Domino secundariò verò, non in bonis, sed de bonis Domini, super frumento, vino, & oleo, & cæteris, quæ dantur à Domino. Hunc ordinem ita confuderunt filii hominum, ut in Domino gaudere negligerent, in bonis autem Domini gaudere cuperent. Vos cum primis ante & super omnia amate Deum, projicite hodie in potum folia tulipæ, & gaudete, thut ein frölichen Maytrank in lætitia cordis & exultatione animæ.

§. 13. *Gaudium hujus mundi à Joële dicitur, confusum.*

Potui majali solent alii etiam flores injici, gelbe Näglen/ Ehrenpreiß/ die Blümble von Lungenkraut/ & alii, qui symbolum sunt spei. Inter adversa fidite Deo, & gaudete in Domino. Sapienter Salomon, Prov. 16. v. 29. *Eruditus in verbo reperit bona; & qui sperat in domino, beatus est*. 70. exscribunt ex hebraico. *Intelligens in negotiis, inventor bonorum, & qui confidit in Domino, beatissimus*. alia lectio sic habet: *intelligens super verbum reperiet bonum, & confidens in Domino, beatitudines ejus*. pulcrè Cajet. *felix est sperans in summo Deo, quoniam ipse beatus, hic in spe, postea in re erit*. Philo apud Corn. in c. 12. ad Rom. spem vocat *gaudium ante gaudium* (est p. locus) Eccles. cap. 2. v. 9. *qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblectationem veniet vobis misericordia*. è græco textu sic locum vertit Jansonius: *qui timetis dominum sperate in bona, & in lætitiam. Quibus verbis, inquit, significatur pios in rebus asperis & acerbis spem meliorum suscipere debere, & animo præsumere illud solatium & gaudium, quod à misericordia Domini profectum, nullum unquam finem est ha-*


§. 14. *Juxta tertium fontem crescunt herbæ, & flosculi, qui sunt symbolum spei. Hæc est causa veri gaudii.*

est habiturum, Discite gaudere, id est, animo præsumite cœli gaudia, & illa sperate. Spes est verum gaudium. S. Paulus ep. ad hebr. 6. v. 18. *qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus.* alludit Apostolus ad sancta sanctorum in templo Salomonis, quod significat Ecclesiam triumphantem in cœlis; velamen verò cœlos; Interiora sunt Dei visio &c. Sensus ergo est, spes nos ducit ad cœlestem gloriam &c. S. Chrysost. *Cum adhuc simus in mundo, & nondum excesserimus, ostendit jam esse in promissis, nam per spem jam sumus in cœlis.* Itaque &c.

§. 15. *Iuxta fontem quartum crescunt herbæ, quæ sunt symbolum orationis. Hæc est anima veri gaudii.*

Præter flores, majali potui variæ injiciuntur herbæ; Lungenkraut / Leberkraut / Roßmarin / Isop / Melissen / Salben / Burschi / etc. odoriferæ hæ herbæ, ob odorem suum, symbolum sunt orationis. fundamentum est in sacris literis. Discite gaudere, id est, Orate, frequenter & ferventer; oratio est fons veri gaudii. expertus fuit David. ps. 76. v. 4. tam fuit tristis ut dixerit, *renuit consolari anima mea.* Apollinarius. *Recusabam consolantem audire.* S. Hier. *noluit se consolari anima mea.* Cassiodorus. *Negavi consolari animam meam.* quasi diceret, licet me persequatur Saul, licet profugus fugiam à facie Absolonis &c. tamen ab amicis nolo consolationem. nemo miretur; olim corde gaudebat David, solido gaudio, ideo subdit *delectatus sum,* addit causam, *in die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus. - Memor fui Dei & delectatus sum.* Alibi hæc latius deduco; finio. Discite gaudere &c. fac p. repet. & p. Epilogum &c. has herbas injicite potui majali, & bibite in hilaritate &c.

CON-



CONCIO LXIIX.

FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Dominus Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum.

Marc.16.cap. v.19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MEmoria Christi D. gloriose ascendentis ad cœlos; & viva recordatio cœlestis gloriæ, sunt duæ preciosissimæ gemmæ.

§.1. Solennitas Ascensionis: Christo D. est gloriosa: nobis gaudiosa.

§. 2. S. Hieronymus appellat illos felices, qui frequenter sunt memores Christi D. Vocat hanc memoriam, preciosam gemmam.

§. 3. An Christus D. subito, an vero paulatim, & per moras fuerit raptus ex oculis Apostolorum.

§. 4. Hanc gemmam sponsus vocat signaculum.

§. 5. Aurea praxis, ut Iesu, ascendentis ad cœlos, frequenter simus memores.

§. 6. Mysterium Ascensionis, est fons gaudii.

§. 7. Memoria Iesu, est mel & consolatio.

SOlennitas ista (sic loquitur S. Bern. ser. 2. de Ascensione) *fratres carissimi, gloriosa est, & ut ita dicam gaudiosa.* Gloriosa est Christo Domino. In clivo montis Oliveti, media- *§. 1. Solennitas Ascensionis Christo D.*

est gloriosa, nobis gaudiosa. dia die, lucente sole, propria virtute sese elevat, & instar gloriosæ Aquilæ ascendit in cœlos; quanta gloria ipsi! nobis verò quanti gaudii fons est, hæc Christi gloria? Dies gloriosa Christo salvatori! Ipse enim, valde gloriosus est in splendore suo; gloria & honor sunt corona ipsius; hodie non in sole, in nubibus tantum, sed super Seraphinos ad dexteram Patris posuit tabernaculum suum ps. 18. vers. 7. *A summo cœlo egressus ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Regna terræ propterea cantant, psallunt Domino, qui ascendit super cœlos cœlorum. Omnes cœlestium spirituum Ordines una voce conclamant. Apoc. 5. v. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & gloriam.* An non Christo Dom. hodierna festivitas fuit gloriosa? B. Virgini verò, Apostolis piis fœminis, quàm fuit gaudiosa? Quantum illis fuit solatium, cum viderunt eum tam gloriose discedere, ex hoc mundo; neque hodie pii & ardentes amatores Christi Domini meminisse possunt gloriosæ hujus ascensionis, sine peculiari solatio. Est hodierna dies, dies gaudiosa! Pergit S. Bernardus & dat rationem tantæ gloriæ, tanti gaudii. *Consummatio enim est, & adimpletio reliquarum solennitatum & felix clausula totius itinerarii Filii Dei.* Aurifaber aliquis magna cura & labore elaborat aureum anulum, vel catenam; postquam absolvit, addit preciosam aliquam gemmam à cujus luce & splendore anulus vel catena summopere exornatur. Talis catena fuit Vita Salvatoris nostri in hoc mundo. Aureus anulus fuit Incarnatio, aureus anulus, Nativitas &c. Absoluto opere, dum tempus est ut vadat ad Patrem, addit gemmam pulcerrimam, admirabilem ascensionem. Gemmam preciosissimam hac concione ego vocabo, Memoriam Christi D. gloriose ascendentis ad cœlum, & cœlestis gloriæ, in qua sedet ad dexteram Patris. Hæc gemma nos faciet divites & beatos, etiam in terris, quod pluribus ostendo.

§. 2. *S. Hieronymus appel-* Cur hodierna solennitate non exclamem cum S. Hieron. in ps. 95. *Felix qui Bethleem habet in corde, in cujus scilicet corde Chri-*

Christus quotidie nascitur. Hujus felicitatis spero nos fuisse participes festis Natalitiis, in quibus hospes cordis nostri fuit Parvulus de Bethleem. Tempore Passionis dicere potuimus, Felix qui JESUM Crucifixum habet in corde. eo tunc collimarunt nostri affectus & desideria; Crucifixum diligere ex toto corde. Per dies 40. à festo Resurrectionis in cordibus nostris pulcerrimis coloribus depinximus pulcerrimam Imaginem Christi Domini gloriose à morte Resurgentis. Felices, gaudiosi, fuerunt, qui jucundissimæ illius Resurrectionis, frequenter fuerunt memores. Hodierna verò solennitate iterum cum gaudio exclamat S. Hieronymus: *Felix qui locum Ascensionis portat in pectore suo.* Verba hæc clarè insinuant sanctum Doctorem de memoria hujus mysterii loqui veluti de precioso monili vel gemma, qualem viri Principes in pectore gestare solent. Tali gemma ornatum esse, nihil aliud est, quam in corde, piis & affectuosis cogitationibus Christi frequenter meminisse. Quam memoriam necessario comitantur aliæ suavissimæ cogitationes; cum affluentia cœlestium solatiorum, unde sanctus Hieronymus addit; *Felix qui locum Ascensionis portat in pectore suo*; qui frequenter exspatiatur in montem Oliveti, ut intersit jucundissimo spectaculo Ascensionis; *Ubi sunt Olivæ Domini uberes.* Memoria Christi Domini Salvatoris nostri ascendentis in corde fidelium est velut fons vivus olei, ex quo fluit suave unguentum & balsamum divinæ consolationis. Imo CHRISTO Domino ipsi volupe est, cum ejus sumus memores.

Iat illos felices, qui frequenter sunt memores Christi D. Vocat hanc memoriam gemmam.

§. 3.

An Christus D. subito, an verò paulatim, & per moras fuerit raptus ex oculis Apostolorum.

Inter pias quæstiones de gloriosa Christi ascensione, hæc quoque à SS. Patribus proponitur. An Christus D. subito, & quasi in ictu oculi fuerit elevatus in cœlum, sive motu velocissimo; an verò lento, tardo, ut paulatim evanuerit ex oculis aspicientium. Potuisse primum fieri, certum est; sed probabilius est non contigisse. Itaque à terra elevatus paulatim processit per regionem aëris, inde per elementum ignis, &

ita deinceps per omnes cœlestes globos; denique per cœlum empyreum, usque ad paratam sibi ab æterno patre mansionem & sedem. Verba S. Lucæ, quibus nobis descripsit historiam Ascensionis; Act.1.v.9. *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: cumque intuerentur in cœlum euntem illum;* & quæstio illa Angelorum; *Quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus qui assumptus est à vobis &c.* hic inquam modus loquendi clarè videtur innuere, Christum Dominum non fuisse subito raptum ex illorum oculis; sed potuerunt videre, intueri, contemplari, erigi per caput, cum capite reliquum corpus: & sic paulatim elevari, quasi instar aquilæ suspensis alis subinde penderet in aëre; & quo tardius, simul tamen altius viderunt eum elevari, eo magis accensa fuere desideria amoris, eo major fuit voluptas oculorum. Arbitror verò Christum Dominum hoc modo se elevasse non sine mysterio, ut scilicet ita gloriosi corporis sui imaginem Apostolorum cordibus fortius imprimeret. Cum Jesus fuit paulatim elevatus, clarè, distinctè, diu adhuc potuerunt v.g. videre sacrosancta Vulnera. Vulnera pedum; sic memoria illorum Apostolis impressa fuit, ut deinde semper fuerint memores; O quam radiarunt illi pedes, cum gloriosus ascendit! Cum jam Jesus in aëre altius se elevaret, clarè, distinctè, diu adhuc viderunt illius manus, præsertim cum jam in altissimo aëre supremum illis benediceret. Memoria hujus dexteræ nunquam recessit à cordibus Apostolorum. Cum jam jam nubes aurea inciperet involvere sacrosanctum corpus, probabile est Apostolos cum ingenti gaudio, adhuc clare, distinctè cum mora vidisse amœnissimam ejus faciem, & præcipue lucidissimos oculos, quos adhuc de alto in sanctissimam Matrem & Apostolos conjiciebat. O quo jubilo! quo solatio, quo gaudio! hic Christus Dominus in Apostolorum cordibus reliquit preciosissimam gemmam, sive memoriam suæ imaginis. O felices & hodie, qui piis cogitationibus frequenter se sistunt in monte Oliveti, & jucundissimum mysterium ita si-

ita sibi imaginantur, quasi revera viderent, quomodo Christus Dominus à terris fuerit elevatus; quasi viderent gloriosa Vulnera; Stant, & ita aspiciunt in cœlum, quasi viderent illum Antidem ex oculis evanescentem; pleni jubilo & gaudio. Omnino, talis memoria est preciosissima gemma, quam qui portant in pectore suo, felices sunt.

Gemmam hanc cœlestis sponsus Cant. 8. vers. 6. vocavit *signaculum*, & ut dilectæ insinuet, quam libenter videat sui memoriam in ejus corde; quam sibi complaceat in corde, quod hac gemma vel signaculo signatum est, ipse se offert, & cupit, ut sit sigillum. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Illis, quos amat cœlestis sponsus, & à quibus amatur, illis inquam infallibiliter donat hanc gemmam, tribuit hanc gratiam, ut sui frequenter meminerint, præsertim in solennioribus festis præcipuorum mysteriorum Vitæ Christi. Hoc signaculo signat suorum corda. Quod agnovit S. August. cap. 13. in solil. ubi cum ingenti gratiarum actione Salvatorem suum ita alloquitur. *Tam caro precio reduxisti me de exilio, redemisti me de servitio, extraxisti me de supplicio, vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, ut memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce.* Animæ piæ! absolvit hodierna die Christus Dominus iter suum, in quo fuit in laboribus & doloribus. Hodie iter suum absolvit. Postquam nos reduxit de exilio, postquam devicit hostes &c. ascendit ad cœlos. Dulcissimum hoc mysterium, non recedat à cordibus nostris. Hodierna die ultima vice in monte Oliveti apparuit Matri & Apostolis; O quàm pulcer! quàm gloriosus in decore suo! non recedat hæc pulcritudo à cordibus nostris. Hodie, illorum osculis ultima, vice porrexit sacrosancta Vulnera, Matri præcipuè dulcissimum cor: non recedat hæc memoria à cordibus nostris. Narrare & verbis exprimere ego non possum suavissima verba, quibus Christus D. illos ultimum fuit allocutus; multò minus affectus Virginei cordis, quibus Mater Filio valedixit, cum copia suavissimarum lacrymarum.

§. 4.
Hanc gemmam sponsus vocat signaculum.

rum. Non recedant hæc à cordibus nostris. Memoria hujus mysterii est signaculum & gemma, quàm semper debemus gestare.

§. 5. *Aurea praxis, ut Iesu ascendentis in cælos, frequenter simus memores.*

Auream praxin signandi suum cor hac gemma, hoc signaculo, sive frequenter meminisse Christi D. mihi suggerit Spiritus S. & meus amor erga Christum D. in gloriosa sua ascensione. Antequam illam vobis communicem, duo monere debeo. primum est; sicut amatores B.V. præsertim S. Dominicus excogitarunt Rosarium, in quo certo numero salutationum Angelicarum, v.g. 50. vel 63. plurium vel pauciorum, secundum numerum diversorum mysteriorum Dominam nostram persalutamus; ita amatores aliqui Christi D. excogitarunt Rosariolum amoris Jesu; quod nil aliud est, quàm ut aliquis in manus accipiat suam coronam, & quot in illa sunt globuli, toties corde & lingua dicat, *Iesu amo te.* In prima decade decies cum Ang. & Arch. *Iesu amo* (sic per reliquos Choros SS.) Seraphinum aliquem puto viris sanctis hunc orandi modum suggessisse. Alterum est; qui excellentiam Rosarii deprædicant, dicunt salutationes, esse veluti rosas & lilia, quibus Virginis sceptrum ornamus; Vel totidem sagittas aureas, quibus cor ejus vulneramus; Vel totidem scutellas cum pulcerrimis fructibus, quas illi offerimus; Vel totidem stellas, ex quibus conficimus illi coronam; Vel totidem lucidissimas gemmas, quas projicimus in sinum Virginis. His positis; hodierna die & per sequentem Octavam, in manus accipite vestra Rosaria; nolite terreri, non cupio, ut longa oratione vos occupetis, hæc duo verba eligite, *Benedictus Iesus*; quot sunt grana, toties has voculas repetite; sed in memoriam gloriosæ ascensionis, corde saltem addite, *Benedictus Iesus* gloriose ascendens ad cælos. Dum hæc dicitis, cogitate vos interesse jucundissimo spectaculo, cum videbitis, v.g. Magistrum osculantem pedes, dicite *Benedictus Iesus* (hoc modo fiat pia & elegans descriptio Ascensionis cum affectibus laudis erga Jesum. Animæ piæ! si hodie gloriosis pedibus possetis

ſetis ſubſternere, roſas & lilia, nunquid faceretis? Poteſtis facere, dicite 1000. Bened. Jeſus. 1000. offeretis roſas, ſic de aliis &c. Hoc erit offerre illi roſas & lilia. Hæ voces erunt aureæ ſagittæ, quibus cor ejus Vulneribus &c. erunt gemmæ & ſignacula, quibus memoriam ſuaviſſimi hujus myſterii cordibus noſtris altiſſimè imprimemus.

Cum S. Auguſtinus ſuum & Matris Monicæ deſiderium vellet exprimere, quod habebant erga Chriſtum D. & cœleſtem patriam p. ait l. 9. Confeſſ. c. 1. *Inhiabamus ore cordis, in ſuperna fluenta fontis tui. fontis vitæ, qui eſt apud te, ut inde pro captu noſtro aſperſi, quoquo modo rem tantam cogitaremus.* Talis fons hodie ſalit in clivo montis Oliveti; fons ingentis gaudii eſt myſterium aſcenſionis. Magna, glorioſa hic cogitare poſſumus: qua gloria aſcenderit. Magna; quali triumpho ingreſſus ſit cœlos &c. Sed hæc cogitare, eſt reſpergi ſuaviſſimis guttis & rore cœleſtium deliciarum. Scio benedixiſſe S. Thereſiam in ſua vita cap. 14. Aliqui proficiunt, vel ſentiunt conſolationem ex conſideratione mortis; alii ex meditatione inferni vel cœli: alii ex continua memoria Paſſionis &c. Cum ego quærere volo peculiare aliquod ſolatium; aſcendo clivum montis Oliveti, & myſterium aſcenſionis mihi imaginor. &c. Tam magna, tam ſuavia, tam jucunda &c. cogitare non poſſum ſine magna conſolatione. Scio dixiſſe Hug. Cardin. *Vt autem facilius & amplius accendi valeat ignis iſte, id eſt, ardor caritatis in cordibus hominum, ſubjungit de Paſſione ſua; Quia nihil eſt, quod adeo accendat ardorem caritatis in cordibus humanis, ſicut mors ſive Paſſio Chriſti.* hoc tempore Paſſionis experti ſumus. Hodie montem Oliveti aſcendite, cogitate magna! cogitate ſuavia! vos videte &c. ſentietis an non accendatur ardor caritatis.

§. 6. *Myſterium aſcenſionis eſt fons gaudii.*

Scio aureum monitum S. Bernardi, in formula honeſtæ vitæ. *Sit tibi Ieſus ſemper in corde, & nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat.* Sed hodie & per hanc Octavam cupio, ut idem JESUS ſit in corde & in oculis & cogitationibus

§. 7. *Memoria Ieſu eſt mel & conſolatio.*

noſtris, ſed qualis aſcendit ad cœlos. Dulcis memoria hujus myſterii *ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua; mel tuum & deſiderium tuum, lectio tua & meditatio tua; oratio & contemplatio tua, vita & mors, & reſurrectio tua & ſpes cæleſtis gloriæ.* Scio & ſæpe rumino ſuaviſſima elogia Jubili S. Bernardi, de dulciſſimo nomine Jeſu. (NB. percurre illud jubilum & ſelige aliqua pulcra dicta; v.g. Dulcis Jeſu memoria; ego addo hodierna præſertim ſolennitate &c. hoc modo poterit fieri p. Epilogus.)

FINIS
PARTIS TERTIÆ.



Alvei Tertii,

SIVE

CONCIONUM,

In Festa à Pentecoste usque ad Adventum.

PARS IV.



CONCIO LXVIII.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, Joan. 3. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit hæc Concio, quòd una ex præcipuis operationibus versetur potissimùm circa linguam hominis, ut loquatur sanctè.

§. 1. *Verba hæc: Sic Deus dilexit mundum, &c. sunt ostensiva maximi amoris.*

§. 2. *Ignea operatio Spiritus S. versatur potissimùm circa linguam.*

§ 3. *Quia hoc membrum valdè indiget auxilio Spiritus S. ut dometur. Qui linguam moderatur, vir est pretiosi spiritus.*

§. 4. *Sermonem sanctum accendit & acuit Spiritus S.*

§. 5. *Spiritus S. excitat in cordibus nostris fontem, qui effluit. Pulcher locus de Samaritana.*

§. 6. *Spiritus sanctus facit nos loqui sanctè.*

§. 7. *Quare Spiritus S. descenderit in vento.*

§. 8. *Alia analogia inter ventum & Spiritum sanctum.*

§. 9. *Alia causa hujus comparationis.*

§. 10. *Generatio adamantis.*

§. 11. *Spiritus sanctus instar venti impellit nos ad cælum.*

§.1.
Verba hæc: Sic Deus dilexit mundum, &c. sunt ostensiva maximi amoris.



Um S. Bernardus Serm. 64. in Cant. hæc verba expendit, exclamavit, *O Suavitatem! O gratiam! O vim amoris!* quot in themate hoc sunt verba, quot voces, quot syllabæ; tot sunt ardentes flammæ, quibus ipse Christus Filius Dei mortalium corda conatus fuit accendere, & permovere ad mutuum amorem, erga DEUM tàm suavẽ, tàm beneficum, tàm liberalem, tam nostri amantem! Scio præclarè dixisse Richardum de S. Victore; *Quocunq; se vertat homo, habet admonitionem amoris.* Si respiciat cœlum, si solem, si lunam, si stellas, si in cœlo empyreo Cherub. & Seraphinos, &c. Omnia clamant, ama Deum tuum. Si discurrere velis per elementa, ignis & quę in igne sunt, aer & quę in aere sunt, terra, & quę in ea sunt, mare, & quæ in illo sunt omnia clamant: Homo! ama Deum tuum! quot creaturas habet orbis universus, tot sunt monitores, quæ nobis suggerunt, ut DEUM amemus. Superat omnes ipse Filius DEI, his verbis, *sic Deus dilexit* &c. S. Thomas in Cant. *Certè ostensiva hæc sunt verba maximi amoris*: ut vicissim DEUM maximo amore prosequamur. Postquam autem Filius DEI in gloriosa ascensione nos, & hunc mundũ deseruit, post decem dies festo Pentecostes in hunc mundum misit Spiritum S. Quis non exclamet? ô suavitatem! ô gratiam! ô vim amoris! Sic Deus dilexit mundum, &c. Præter Filium, dedit etiam Spiritum S. De tanto dono multa heri vobis proposui, hac concione in medium afferam. 1. Operationem Spiritus S. versari præcipuè circa linguas. 2. Præsertim cum loquendum est contra peccatores. 3. Spiritus S. facit nos loqui sanctè. &c.

§.2.
Ignea operatio Spiritus S. versatur potissimùm circa linguam.

Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2. v. 3. Benè advertit Abbas Absolon, Spiritum S. in festo Pentecostes non descendisse de cœlis absolutè in forma ignis, ut sciamus illum esse Spiritum, qui hominis intellectum illuminat, qui voluntatẽ accendit, qui scorias passionũ consumit, similesq; effectus, de quibus alias actum est, producit: sed illum ignem arsisse, luxisse, instar ignearum & ardentium linguarũ, ut sciamus:

mus: *circa linguam fore operationem Spiritus S.* Ideò aliquorum sententia est, igneas illas linguas non sedisse tantùm suprà capita Apostolorum, veluti *novas spirituales coronas*, ut loquitur S. Cyrillus, & prout depingi solent, sed quod ora Apostolorum penetrarint, & sederint illæ flammeæ lingulæ super eorum linguas, ut visæ fuerint quasi ardere.

Neq; sine causa hoc membrum humani corporis indiget peculiari assistentia Spiritus S. Jacob. 3. v. 6. *Lingua est universitas iniquitatis*, & *linguam nullus hominum domare potest*. S. August. l. de natura & gener. *Nullus hominum* &c. *Vt ostendat divinum auxilium necessarium esse ad domandam linguam: & sic cùm domatur, Dei misericordiâ, Dei auxilio, Dei gratiâ fieri fateamur.* Peculiari Spiritus S. gratiâ opus est, ut dometur. Ipsorum Apostolorum linguæ, igne Spiritus S. debuerunt purificari & accendi, ut loquerentur magnalia Dei, ut Christum prædicarent: S. Gregor. *Vt igneæ linguæ igneam legem loquerentur.* Actor. 2. v. 4. *Cæperunt loqui, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.* Proprietas linguæ est, ut plerunq; loquatur falsum, turpiter, procaciter, quæ non licet loqui: Itaq; Prov. 17. v. 27. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est, & pretiosi Spiritus vir eruditus.* Isa. 6. v. 7. Seraphinus igneo carbone tetigit labia prophetæ, & ablata est iniquitas) in plurima peccata Isaias non fuit lapsus. Carbo ille Seraphicus vel ignitus symbolum fuit illius ignis, quo Spiritus S. linguas nostras purificat, ut non loquantur malè, & accendit, ut ferventes loquantur de rebus divinis S. Chrysologus serm. 57. *Putamus etiam ut ad corda usq; nostra, perveniat calor iste carbonis, ut de tanta suavitate mysterii, non solùm labiis gustum, sed ipsius totam suavitatem sensibus, & mente capiamus.* Breviter S. Chrysostomus hom 14. in Ep. ad Eph. *Sermo pius, signum est Spiritus sancti.* Labia sponsæ comparat sponsus Cant. 6. v. 3. *Vittæ coccineæ.* Talia autem labia sunt ex mente S. Bern. orat. de pass. cap. 21. *quæ semper verbis ardentis caritatis abundant*, quæ rubræ ab igne Spiritus S. loquuntur magnalia Dei. S. Gregor. hom. 36. in Evang. *Quos replet Spiritus S. ardentes pariter, & loquentes facit.*

§. 3. *Quia hoc membrum valde indiget auxilio Spiritus S. ut dometur. Qui linguam moderatur, vir est pretiosi spiritus.*

Præcipuè cum pro honore DEI contra impios loquendum est. S. August. hom. 5. in Apoc. *Postquam Dominus ascendit in cælum,*

§. 4. *Sermonem sanctum accendit & acuit Spiritus S.*

lum, misit Spiritum S. cujus verbo Prædicatores tanquam sagittæ ad corda hominum pertingerent, & vincerent incredulitatem, ad Hebr. 4. v. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Sed unde illa vita, illa efficacia sermonis: nisi ab igne Spiritus S. Si lingua hominis ardeat, si ferveat, si feriat instar acutæ sagittæ, si penetret instar gladii ancipitis, instar ensis flammei, qualem habuit Cherub custodiens paradisum, si loquatur magnalia Dei, Digito Dei, Igneæ Linguæ, Spiritui S. id oportet adscribere. De lingua v. g. ferventis alicujus Concionatoris verissimum est cùm duriùs intonat, fulgurat, territat, & multa infert de inferorum pœnis, de damnatorum suppliciis, quòd id faciat Spiritus S. hic tonat, hic fulgurat, hic territat. Cùm verò eadem lingua fluit melle ac lacte, cùm profert dulcia de paradiso, Spiritus S. fons est, puteus est, ex quo tàm dulces hauriuntur aquæ.

§. 5. Spiritus S. in cordibus nostris excitat fontem, qui effluit. Pulcher locus de Samaritana.

Joan. 4. v. 14. Christus Dominus dixit Samaritanæ ad fontem. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Emphasis latet in illa vocula, fons; quia Christus Dominus non fuit locutus de quavis aqua alicujus putei, vel cisternæ, sed de fonte: Hanc nos observamus differentiam, putei & cisternæ plerumque non effluunt, sed in se continent suas aquas: In fonte verò ex occultis venis & meatibus terræ tàm copiosè scaturit aqua, ut fons eandem cum magna abundantia communicet latè adjacentibus campis. Hæc est proprietas Spiritus S. fons est, qui ex illo bibunt, aquas vitæ non tantùm in se retinent, sed surgunt illi rivuli ex corde in os & linguam; etiam lingua dulces effundit aquas, cùm sancta loquitur. Sic Pinna de lingua loquitur veluti de fonte: *Prodeat ad instar aquæ fontanæ, & utilitatem pariter, & voluptatem afferat spectatoribus; prata & sata riget, & segetes ad culmum spicamque perducant.* Aquæ haustæ ex fonte Spiritus S. non manent in corde, effluunt in linguas.

§. 6. Spiritus S. facit nos loqui sanctè.

Spiritus S facit nos loqui sanctè. In Samaritana hoc observatur; hauserat aquas dulcissimas, hauserat ex fonte verbi Domini fidem de Christo, hauserat amorem erga eundem; neque

neque factus fuit puteus vel cisterna, sed fons: Communicavit concivibus illas aquas, loqui cœpit, & ex civitate illa crediderunt multi, *propter verbum mulieris testimonium perhibentis.* S. Chrysostomus serm. 44. in Joan. *Videtis quomodo impleta illa mulier divino illo & spirituali fonte, non detinuit intra se flumina, sed superscaturiens, ut ita dicam, effudit, & super habitatores civitatis, concessit Domini gratiam, & praconis officium egit mulier Samaritana & alienigena.* Ut finiam primum punctum, repeto breve dictum S. Chrysostomi superiùs jam allatum: *Sermo pius est signum Spiritus S.* Inspicite vestras linguas, attendite sermones, ex illis colligite, an gratia Spiritus S. habitet in vobis. Illis, qui in lingua non offendunt, gratulor: Signum habent Spiritus S. Illos, qui malè loquuntur, qui turpiter, &c. moneo cum S. Paulo ad Eph. 4. v. 29. *Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat.* Et subjungit: *Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis in diem redemptionis*, (fiat invectiva in illos, qui blasphemiis, imprecationibus, turpiloquiis, damnationibus contristant Spiritum S.) Ut redemptio nobis prosit, signari debemus à Spiritu S. præcipuè in lingua. S. Chrysologus serm. 6. *Mundate labia, sanctificate linguam.* S. Cyprianus de Apostolis: *De calore Spiritus fervebat sermo ignitus.*

Ostendi unam ex causis, ob quas Spiritus S. apparuit in linguis igneis: Nunc ad alterā Concionis partem progredior, quare idem Spiritus S. venerit in hunc mundum, veluti fortis ventus. Sic ait textus Actor. 2. 2. *Factus est repentè de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis.* Elegans simile causam nobis explicabit: Contingit subinde, ut in portu Gaditano hæreant naves, rebus omnibus instructissimæ, paratæ in longissimum iter in Indias, exire tamen ex portu, & alto se committere non possunt, donec secundus aspiret vētus. Momento quo ventus Orientalis incipit flare, extrahuntur anchoræ, attrahuntur rudentes, expanduntur vela, expediuntur remi, & cū gaudio naves evolant in altum pelagus. Instar naviū hærebant Apostoli Jerosolymis in aula, in monte Sionis, parabant se ad illud iter, de quo illis dixerat Dominus, Marc. 16. v. 15. *Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed. quia nondum aspirabat necessarius ventus ad tàm arduum iter, ad tàm sublimem

§. 7. Quare Spiritus S descenderit in vento.

blimem negotiationem peragendam, perseverarunt unanimiter in oratione, suspirantes cum Sponsa, Cant. 4. v. 16. *Veni Auster, & perfla hortum meum.* Qui ventus cùm calidus sit (S. Bernardus) *significat Spiritum sanctum.* Proinde quoque Festo Pentecostes circa sextam matutinam, factus est de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, in quo Spiritus S. supra Apostolos descendit; subitò Apostoli aperuerunt portas cœnaculi, & veluti ex portu solventes, explicuerunt vela divinæ prædicationis, ut mox dici potuerit, ex Psal. 18. v. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* cum ingenti fructu animarum. Felicissima fuit illorum navigatio: Non miror; navicula, quæ per altum hujus mundi pergit, afflante Spiritu S. navigat feliciter.

§. 9. *Alia analogia inter ventum & Spiritum S.*

Origo ventorum difficulter indagatur. Soli, mari, aeri, aliis causis multi ascribunt ventos. Puto ego benè dixisse Davidem, Ps. 134. v. 7. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Proinde soli Deo cognita est causa ventorum. Æquè mirabiles sunt effectus ventorum. Job. 28. v. 25. *Qui facit ventis pondus,* qui facit illos fortes, ut convellant arbores, concutiant montes, diruant fundamenta terræ. Nota sunt mirabilia, quæ venti patrant in Oceano, &c. Heri insinuavi, quàm incomprehensibilis & ineffabilis sit emanatio Spiritus S. à Patre & Filio. Ventus est! spirans ex thesauris Divinitatis! Insinuavi heri, quàm sit Spiritus validus ac fortis, quàm fortes fecerit Apostolos. Ventus est: Celerrimus quoque est Spiritus S. *Ambulat super pennas ventorum,* Psal. 103. v. 3. *Quia scilicet* (S. Augustinus hîc) *velociter currit sermo ejus, citò implens, quidquid vult.* Addit S. Ambrosius. *Et nescit tarda molimina Spiritus S. gratia.*

§. 10. *Alia causa hujus comparationis.*

Philosophi agentes de proprietatibus venti, inter alia: ajunt: *Ventus omnia fœcundat & vivificat.* Ob hunc effectum puto dixisse, Joan. 6 v. 64. *Spiritus est, qui vivificat.* S. Cyprianus legit, *Spiritus S. est omnium viventium anima.* S. Petrus Dam. serm. 21. *Sicut anima est vita corporis, ita & vita animæ nostræ Spiritus S. est. Ut sicut corpus nostrum, animâ recedente collabitur, ita & eadem anima, si spiritus vivificator abscesserit, necesse est moriatur.* Ideò cùm hodiernâ die Act. 2. 2. *factus est repentè de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis,*

hementis, Apostoli de cœlo acceperunt quasi novas animas, novâ & cœlesti inceperunt vivere vita; hinc novi motus! hinc cœlestia desideria, hinc generosus & intrepidus animus. Vivificatus à Spiritu sancto.

Mirabilis est generatio adamantis, si credimus Alberto M. in montibus Aquilonaribus decidunt nives, non frigidæ, sed teneræ. Post aliquot menses liquefiunt pleræque, plerumque tamen in profundis vallibus, quas radii solis non attingunt, remanent nivis massæ, quæ paulatim à frigidissimis & siccissimis ventis ita purgantur ab omni humiditate, & sordibus, ut denique reddantur duræ, veluti crystallus. Supervenientibus tandem & aspirantibus ventis longè siccioribus & frigidioribus certæ particulæ illarum massarum ita siccantur, purgantur, indurantur, ut tandem particulæ à natura transformentur in durissimos adamantes, tàm duros ac fortes, ut omni chalybi, ferro, atque igni resistant. Videtur ad hæc alludere v. 22. cap. 43. Eccl. *Frigidus ventus Aquilo flabit, & gelabit crystallus ab aquis.* Talis nix erant Apostoli, candida quidem, vos mundi estis, sed frigida & mollis; *relicto eo fugerunt.* Postquam Christus Dominus post gloriosam resurrectionem, *insufflavit in eis dicens*, Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum sanctum*, facti sunt veluti crystallus, acceperūt aliquod robur; fragiles tamen adhuc erant & timidi. Sed ecce gloriosissimâ die Pontecostes, *fit de cælo sonus*, &c. Hic ventus dissipavit ex illorum cordibus omnem timorem, hic ventus purgavit omnes sordes, hic ventus illos convertit in adamantes, &c.

§. 10. *Generatio adamantis.*

Placuit metaphora venti Regio Psalti, Psal. 142. v. 10. *Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam.* Addit Genebrardus. *Quia sicut ventus impellit in cælum.* Vel, ut ait S. Chrysostomus, sæpiùs citatus. *Spiritus Domini* (instar venti) *concupiscentias extinguit, & ad majora exercenda semper impellit.* Matth 3. v. 16. Cùm Christus Dominus baptizaretur in Jordane, *vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se, &* confestim ascendit de aqua. Statim Spiritus sanctus instar venti illum impulit, ut iret in desertum. Hunc ventum, hos impulsus petiit tàm ardenter David, cùm dixit, Psal. 54. v. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut*

§. 11. *Spiritus S. instar venti impellit animas nostras in cælum.*

INgens fuit prodigium, quod zelosus Elias, ardenti oratione impetravit de cœlo l.3. reg. c.18. Erexerat altare, præparaverat victimam, imposuerat aræ, ut illam immolaret Deo. Prius tamen usus fuit mirabili cæremonia; Victimam non tantum aspersit & humectavit aqua sed circum altare jussit fudi canales sive rivulos, quos etiam implevit aqua; tum clamavit ad Dominum, ut ipse cœlestibus flammis præparatum sacrificium accenderet, quod & contigit; vers.38. *Cecidit ignis Domini* tanto impetu, tanta copia, ut non tantum statim *devorarit holocaustum*, licet esset planè madidum, tum ob effluentem sanguinem, tum effusam aquam; sed fluentem quoque aquam in canalibus circum altare accendit, tanto circumstantis populi stupore, ut omnes exclamarint, vers. 39. ejusdem cap. *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Hæc fuit cura SS. Apostolorum à die gloriosæ Ascensionis, ut unanimiter, perseveranter, orando, suspirando, flendo se suaque corda disponerent ad immolandum holocaustum Domino. Festo Pentecostes cœlestis Elias, ardens pro amore Jesus Christus Filius Dei, Salvator mundi, de cœlo inter ventos, inter tonitrua, inter igneas linguas demisit ignem, cecidit spiritus sanctus, qui omnium præsentium corda, lacrymis madida accendit, devoravitque suavissimum Deo holocaustum. Circumstantia illa, quod ignis accenderit aquam, denotat præcipue admirabiles operationes spiritus sancti in cordibus nostris; multas vobis exposui hoc biduo; supersunt *nihilominus* aliæ, quas hac concione proponam.

§.1. Ignis, qui voravit holocaustum Eliæ, fuit signum spiritus S.

Super verba illa Christi D. Joannis.16.v.7. *Expedit ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non venit ad vos*, ait S. Chrysostomus, *His verbis ostendit Christus, quæ sit necessitas & utilitas, advenientis spiritus sancti.* Necessitas in hoc videtur consistere, quod homini ad assequendam salutem non sufficiat quod sit creatus à Patre, neque quod Redemptus sit à Filio, sed debet insuper justificari à spiritu sancto ut servet mandata Dei, ut bene operetur, ut fugiat malum, & sic salvetur. SS. Patres hanc necessitatem explicant quibusdam similibus;

§.2. Spiritus S. nobis utilis est & necessarius: quod ostenditur per similia.

formaverat Deus corpus Adami ex limo, Gen. 2. verf. 7. tum ait textus, *Inspiravit in eum spiraculum vitæ.* S. Chrysost. hom. 13. in Gen. *Quia corpus illud, quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se movente.* Clarius S. Aug. *Quod est anima corpori, est Spiritus S. anima.* Et ficut, ut cythara fuaviter fonet, non fatis eft, ut fit instructa chordis, fed opus habet aliquo, qui ex arte illas tangat; eodem modo, ut nos vita noftra, veluti dulci fono cytharæ Deum oblectemus Digito opus eft, qui nos dirigat, id eft, Spiritu S.. S. Greg. Naz. or. ad Patr. *Organum divinum, cythara divina ego sum; instrumentum ratione præditum: quod à Spiritu S. concinnatur atq; pulsatur.* Cum Moyfes in Ægypto patraret mirabilia exclamabant Ægyptii, Exod. 8. v. 19. *Digitus Dei hic est.* Si contingat me videre aliquem hominem Chriftiana patrare miracula gratiæ, v.g. fi mundum contemnat; cogito & dico, *Digitus Dei hic est*, Spiritus S. hoc facit. Contingit ut fubinde aliquis, qui multos annos fovit graviffimum odium erga fuum hoftem, contingit, inquam ut hic fubito mutetur, ut deponat odium &c. dicamus libere *digitus Dei hic est &c.* poteft hoc modo fieri p. inductio.

§. 3. *Et ex historia Samsonis.*

Sacra fcriptura multis celebrat fortitudinem Samfonis; Jud. 14. obviavit in via illi leo, *cum venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis, sævus.* & *dilaceravit* illum *quasi hædum. Nunquid leo culex*, quærit nobilis facr. fcript. Interpres, *vel pulex erat, qui digitis comprimitur ac necatur?* Sic leonem compreffit Samfon; fed caufam fortitudinis affignat facer textus Jud. 14. v. 6. *Irruit spiritus Domini super Samson---& dilaceravit leonem, quasi hædum.* Caput 13. v. 25. Jud. ait, de Samfon, *cœpit spiritus Domini esse cum illo, in castris Dan.* Sive ut S. Ambrof. ait, l. 2. de fpiritu fancto; *Cœpit spiritus Domini comitari eum in castra; meritoque fortior cæteris habebatur, quia eum spiritus Domini dirigebat: quo duce, solus, alienigenarum fugabat populos.* O Metamorphofes! hic fortiffimus Samfon à Dalila deceptus, ab eadem capillis & fortitudine fua fpoliatus fuit! hic Samfon denique captivus Philiftæorum, imò, (cap. 16. verf. 21.) *eruerunt oculos ejus, & clausum in carcere molere fecerunt.* Non dubito Samfonem fubinde

inde tentasse pristinas vires; non dubito fuisse conatum disrumpere vincula; non dubito extendisse lacertos; sed frustra. *Nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.* v. 20. Proinde exclamavit S. Ambr. cit. *Sed utinam tam cautus fuisset Samson ad conservandam gratiam* & spiritum Domini, fugiendo Dalilam, *quam fortis ad superandam bestiam.* Similes operationes spiritus D. cernimus quotidie. Terribilis, sævus leo est Iracundia; subinde hanc bestiam dilaceramus ut hædum, superamus iram facillime: signum est nobiscum esse gratiam spiritus sancti, cum hic dux noster est, facilis est victoria: cur verò ab eodem leone frequenter dilaceramur? fidimus Dalilæ, causas ponimus ut recedat à nobis spiritus sanctus. Eruto hoc oculo, servire, molere cogimur sub miserabili jugo Satanæ. (sic discurre per alia vitia.)

Non sine mysterio S. Matth. Evang. cap. 4. v. 1. antequam narraret tentationes diaboli contra Christum D. dixit, *Ductus est Iesus à spiritu in desertum:* quibus verbis nobis innuit, quod erat necessarium, cum Christo D. fuisse spiritum sanctum ut intelligamus ulterius; nobis, quia frequenter tentamur à diab. si vincere velimus, opus esse ut confortemur gratia spiritus sancti. *Talis enim illa est* (S. Chrysost. ser. 2. de asc.) *Vbi se manifestat, fugat agmina dæmonum, cunctasque potestates adversarias.* Mirantur subinde aliqui peccatores, quod toties & tam facile superentur à diabolo, quod tam facile & frequenter labantur in gravissima peccata, nescientes, quia erutos habent oculos: nescientes, quod extincta in illis sit lampas gratiæ spiritus sancti; nescientes, quoniam spiritus D. ab illis recessit: in cujus absentia difficillimum est bene vivere: non expedit tantum, sed necessarium est; ut ad nos veniat Paraclitus spiritus sanctus. §. 4 *Quare Christus D. dicatur in desertum ductus à spiritu.*

S. Bern. super verba illa sponsæ Cant. 3. v. 1. *Quæsivi quem diligit anima mea,* varias affert causas, ob quas id fecerit. Inter alia ser. 85. in Cant. ait; *Quærit; cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem.* Ego hæc verba sic in- §. 5. *Ob quas causas sponsa optaverit præsentiam sponsi & spiritus S.*

fic intelligo, quod ſponſa quæſivit doctorem, inſtructorem, adjutorem, ſponſum ſocium. Advertitiſne cauſas, quas habemus, ut anhelemus ad ſpiritum ſanctum? Chriſtus D. dum vixit in hoc mundo, fuit noſter Magiſter: poſtquam ad cœlos aſcendit, miſit nobis ſpiritum ſanctum ut nos arguat, ut nos corrigat, ut nos illuminet &c. (hoc modo pergo per reliqua dicta S. Bernardi.)

§. 6. Generoſa deſideria amoris erga Deum & proximum ſuggerit ſpiritus S.

De S. Joanne Evangeliſta dixit S. Petrus Damianus ſer. 63. *Tanta cor ejus etiam circa fratres caritatis gratia replebatur, ut ſacroſanctum corporis ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii.* Hæc incendia excitat ſpiritus ſanctus. In corde S. Pauli Apoſtoli, diffuſa fuit caritas Dei, ut ipſe gloriatur ad Rom. 5. v. 5. Sed *per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Super illa verba ejuſdem ad Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto D pro fratribus meis.* ait S. Chryſ. *Optat ſeparari à dilectione Dei, ut dilectionem adaugeat. Unum enim* (S. Paulus) *per omnia conſiderabat, nempe quomodo pulcrum hunc amorem expleret.* Sed per gratiam ſpiritus ſancti ſubinde, ardenter amantium, *ſummum deſiderium, ſummum gaudium eſt, animarum fructus, converſio peccatorum!* Per gratiam ſpiritus ſancti S. Demetrius teſte Simeone Metaphr. *Summum damnum reputabat, ſi non omnes, ad quos verba inſtituebat, ab infelici Dæmonum ſervitute, in Chriſti libertatem vindicaret.* S. Dominici ſanctiſſimi Ordinis Patriarchæ, *fuit tantus in animas amor, & commiſeratio, ut non ſolum fideles omnes, ſed etiam infideles, & eos, qui in inferno cruciarentur, amor ille tantus & commiſeratio complecteretur, & multis pro illis lacrymas effunderet.* Tanta per cor S. Dominici diffuſa fuit caritas, ſed per ſpiritum S. hic fuit fons dulciſſimarum lacrymarum. Ep. 1. ad Theſſ. c. 2. v. 19. iterum dixit S. Paulus; *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in adventu ejus. Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Hunc ſenſum S. Paulo præbuit, & hodie Apoſtolicis concionatoribus præbet gratia ſpiritus ſancti cum tanto guſtu, ut S. Th. dixerit, *Maxima eſt retributio concionatori ex his, quos convertit.*

Per-

Permittite mihi auditores, ut in materia amplissima de operationibus spiritus S. magnum numerum sine Ordine in unum accumulem acervum. Cumulus ille, ut sit dicam fuit B. V. De qua & spiritu S. ait S. Hildephonsus ser. 2. de ass. ut *Spir. S. eam replevit, simul ornavit immensis largitatis suæ muneribus.* S. Petrus Dam. de annunt. *Mariam totam sibi rapuit Spiritus S.* S. Ans. l. 4. de virt. Mariæ. *Huic puellæ, totum se infudit* spir. S. Et *Matrem suam Dei Filius penetrans, unxit eam oleo exultationis, id est, spiritu S.* De hoc oleo, Rich. de S. Vict. ser. de spir. S. loquitur veluti de melle; *Audacter affirmo, quod sola una hujus mellis stilla potest, quod totus mundus non potest. Cor quidem copia mundi non satiat; una hujus dulcedinis gutta,* (sola spiritus S. præsentia) *plene inebriat.* Hanc impletionem, hunc ornatum à spiritu S. hunc raptum, hanc infusionem, hanc penetrationem, hanc unctionem, hoc oleum exultationis, hoc mel, hanc copiam dulcedinis, Archangelus Gabriel, vocavit Obumbrationem. Spir. S. obumbrabit tibi; (implebit te, ornabit te, rapiet te. Spir. S. sese tibi infundet, penetrabit potentias animæ tuæ &c. O sancte spiritus, Veni! Ecce mundavimus corda nostra per sacram exomologesin, Vasa nostra munda sunt, lota in sanguine Agni, infunde te illis, Orna illa! (fiat affectuosa imploratio spiritus sancti.)

§ 7. Operationes mirabiles Spiritus S. in B. V.

Pergit cit. libro S. Anselmus cap. 8. *Plena fuit* -- Deipara, *spiritu sancto, qui est amor Patris, & prolis amor suavis, & dulcis! Ipse spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris & Filii; ipse per quem, & in quo amatur omne, quod bene amatur; ipse enim corporaliter venit in eam, &c. ideo, totis medullis, totis viribus in Dei amorem suspensa fuit; cum quadam amoris & exultationis immensitate.* S. Gregor. Thaumat. ser. de Annunt. asserit, spiritum S. *in ea, totius gratiæ thesaurum recondisse.* Cum Amedio Lausam. hom. 3. B. V. festo Pentecostes sic alloqui possumus. O Domina! *Ubi erat tua, ubi cor, ubi mens, ubi sensus, ubi ratio? Ardebas ut rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris! liquefiebas, & non consumebaris! Ardebas liquefacta supernis ignibus,*

§ 8. Prosecutio.

liquefacta in igne vires resumebas ab igne, ut semper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit; Ros luminosus unctionem præbuit, unctio semen sanctum præstitit, &c. Numerastisne quas paucis lineis insinuavi operationes spiritus sancti. Amare Deum in spiritu sancto amore dulci, & suavi! Totis medullis, totis viribus suspensum hærere amore Jesu; adhærere illi; cumulari thesauros gratiæ; ardere, non comburi! liquefieri animas sanctas, non consumi; resumere vires ab igne, ut semper ardeamus; irrigari, accendi, corda nostra luminoso rore dilectionis, simul inungi suavissimo oleo cœlestium deliciarum; Spargi in agris animarum nostrarum divinum semen sanctarum cogitationum, lætissimorum affectuum &c. hæ sunt operationes spiritus sancti. Facile advertere potestis, an his feriis descenderit super vos spiritus sanctus! Vestras cogitationes, vestros affectus, vestros amores, vestros ignes examinate.

§. 9. *B.V. tota accensa & ignita à spiritu sancto.*

Unum adhuc addo locum S. Hildephonsi ser. 1. de assumpt. *Beatam Mariam, velut ignis ferrum, spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut in ea spiritus sanctus flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei.* Amed. Lausf. hom. 7. *Sic illa, divini ignis calore, vehementer accensa, & Verbi flammigerantis sparsa incendiis, odorem resultantis gratiæ,* --aliis,-- exhalabat. Sed tempus est, ut hæc moneam.

§. 10. *Has operationes spiritus sancti impetrare debemus per intercessionem B.V.*

Ut gratia spiritus sancti tam eximios in nobis operetur effectus, de quibus hoc triduo in meis concionibus egi, rogo meos auditores. Primo ut memores sint dicti S. Bonaventuræ, & S. Bernardi, quo asserunt, *Deum decrevisse, nihil nobis dare nisi per Mariam.* & quod in particulari, teste S. Brigitta l. 3. revel. c. 30. *Ipsa Deïpara sit canalis spiritus sancti.* vel ut S. Ephrem loquitur, quod *Maria facta sit hominibus fons spiritus æterni.* Rogo omnes ut sibi persuadeant, cum Dion. Carthus. l. 4. de laud. V. art. 16. quod, *per Mariæ suspiria, & orationes; spiritu sancto repleti sunt Apostoli.* Spiritus Sanctus dicitur donum altissimi, sed, *Nemo est,* (S. Germ.) *cui donum concedatur, nisi, per te, O castissima!* Itaque accedamus ad thronum Mariæ, accedamus ad hunc canalem,

malem, & fontem, imploremus Deiparam ferventi oratione, ut & nobis impetret ſpiritum ſanctum; nobis tam utilem atque neceſſarium.

Rogo 2. meos audit. ut in ſe excitent magnum deſiderium excipiendi, & recipiendi; tantum ſpiritum: Sap. 7. v. 7. ait Salomon, *Optavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* id eſt, *quia optavi.* Et ideo Chriſtus D. ante aſcenſionem ſuam ſæpius Apoſtolis promiſit ſpiritum ſanctum *ut excitaret deſiderium.* (S. Leo ſer. 3. de quad.) *Ob eandem cauſam, etiam hodie Deus non ſtatim largitur, quod petimus, ut ſic differendo* (S. Aug. tract. 4. in ep. S. Joannis) *extendat deſiderium, deſiderando extendat animum, extendendo reddat capaciorem.* Nam *deſiderium* (S. Th.) *quodammodo facit deſiderantem ad ſuſceptionem deſiderati, aptum & paratum &c.* *§. 11. Per ardentia deſideria.*

Rogo. 3. ut præcipuè per piam communionem ſe reddant participes gratiæ ſpiritus ſancti. Neque enim ſine illo Chriſtus D. corda noſtra ingredietur. Illos, qui fortaſſis non communicarunt cupio eſſe memores canonis Concilii Toletani. *Sæculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* hoc ſupereſt remedii, ut id fiat proximo feſto ſacroſanctæ Trinitatis. fiat p. invitatio &c. *§. 12. Per ſanctam communionem.*



CONCIO LXXI.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea, vere eſt cibus.

Joan. 6. cap. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de vera fide erga ſanctiſſimum ſacramentum Eucharistiæ; ejuſque adoratione, atque veneratione.

§. 1. *Chri-*

§. 9. Christiani, mirabili modo in terris habent sibi Deum suum præsentem.

HÆc Judæorum, in V. T. erat gloriatio, quod Deum sibi haberent vicinum & præsentem in medio sui. didicerunt sic gloriari à suo legislatote Moyse, qui Deuter. 4. v. 7. dixit, *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster.* ps. 75. v. 1. sic gloriatus fuit David. *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.* q. d. Invocent Philistæi ficticium suum Dagon. laudent Syri Deum suum Remmon. prædicent Assyrii Deum suum Nesroch. adorent Babylonii voracem suum Belum, glorientur alii multitudine Deorum; *non est natio tam grandis, quæ habeat Deos suos appropinquantes sibi, uti nobis adest* Deus noster vivus, verus, æternus, omnipotens, Deus exercituum ut nos protegat, ut nobis loquatur, ut innumera exhibeat beneficia. Sic olim gloriati sunt hebræi, & merito, gaudet bonus filius, dum penes se habet parentem, discipulus de præsentia magistri, miles de præsentia ducis, subditus de præsentia regis, sponsa de præsentia sponsi. Sed, O judicia Dei! natio illa quæ dixit Is. 12. v. 6. *O Sion lauda & exulta, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* populus il-

lus ille electus, populus Dei, hæreditas Dei, gens sancta, ille populus à quo Patr. Prophetæ, Reges, B.V. ipse Messias, descenderunt, rejectus est, quia Deum suum rejecerunt. qui Deo fuerunt omnium proximi, facti sunt remotissimi. Ad nos translata est hæc dignitas, ut gloriari possimus (rep. cit. versus) præcipuè hodierna festivitate, qua tanta pompa Deum nobis in SS.S. præsentem per urbem circumferimus. Ut comitemur ea reverentia, quàm tantum exigit mysterium; necessaria nobis est viva fides. hæc nos movet ad dignam adorationem. De his duobus aget hæc concio. Laus sit sacrosl. sacramento.

§. 2. *Vera fides, debet custodiri, ut pupilla oculi.*

Elegans est similitudo S. Drogonis l. de Sacram. Dom. Passionis. *Hilaris pupilla lucide speculatur; fides est pupilla oculi tui. quomodo pupilla oculi est subtilissima; nisi impigre ac solicite custodiatur à palpebris, levissimi ac tenuissimi pulveris tactu confunditur; sic acie fidei, nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur.* Elegans ut dixi, est hæc comparatio; sicut enim pupillam custodiunt palpebræ & quasi tenent in carcere, ne ab extrinseco, pulvis adveniens lædat obtutũ: ita & fides intellectum tenet in custodia, ne aliunde species advenientes, ne hæreticorum errores & opiniones in gravissimis articulis fidei nostræ, rationem confundant, ac infusum fidei lumen restinguant. Nisi enim hac custodia, sive carcere semper claudatur, grande subest periculum, ne amicus nativæ libertatis, fidei jugum excutiat, ac luxurians dicat, *non serviam*, vel cum Thoma incredulo, *non credam*. Joan. 20. v. 25.

§. 3. *Præsertim circa mysterium sacrosf. Eucharistia.*

Quæ custodia si ullibi in articulis fidei nostræ requiritur illa necessaria est, in sanctissimo sacramento Eucharistiæ. Hilaris pupilla, lætus oculus hominis Christiani lucidè speculatur; in sacrosancta Hostia veluti speculo, plurima mira & admiranda intuetur. Clarus oculus fidei post cancellos accidentium speculatur latentem sponsum. Oculus fidei sub his cortinis videt Corpus Christi, ejus sanguinem, Vulnera, Animam, imo divinitatem intuetur. hilaris, cum magno solatio & delectatione. Sed delicatissima hæc pupilla cum summa solicitudine est observanda & custodienda.

densos pulveres conatur aspergere Calvinus vel aliquis Bucerus. Nigrum fumum excitavit Berengarius; densas tenebras, alii hæresiarchæ. facillimè nocent intellectui, facillimè conturbatur ratio, citò excutiet jugum fidei, nisi ligetur, nisi contineatur, nisi *captivetur*, ut loquitur S. Paulus Rom. 7. v. 23. Hæc est hodierna festivitate vera devotio; lætis & puris oculis, in templis, in altari, in S. hierotheca, in processionibus, sub sacrificio missæ aspicere accidentia sacrosanctæ Eucharistiæ, & sub illis videre tot mirabilia; illam adorare, procumbere in genua, ut postmodum dicam; sed ne errent, vera fides illos debet regere, & dirigere, & custodire contra omnes errores.

§ 4. *Cavenda sunt curiosæ quæstiones circa hoc myst.*

Scio quosdam inter se disputare & quærere cum Judæis & illis auditoribus Christi; quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum? quomodo panis potest mutari in carnem, quomodo vinum in sang. quomodo sub his accidentibus, postea nobis esse præsens Deus & Humanitas Christi? quomodo fieri potest tam admirabilis unio inter nos ac Deum, per materiam cibi & potus? Ex ipsis quæstionibus advertere potestis, quàm sint fugiendæ periculosæ disputationes. Lutum & vas figuli vult discutere admirabilia opera creatoris. Curiosi quærimus scire de mysterio Eucharistiæ quod in hac vita intelligere non possumus: quod sine periculo non licet perscrutari. Tutus incedit, qui simpliciter credit verbis Christi; *Hoc est &c.* qui credit Deum in hoc mysterio innovare opera sua mirabilia, juxta illud Davidis Ps. 110. v. 4. *fecit mirabilium suorum &c.*

§ 5. *Figura hujus mysterii.*

Creditis ex c. 2. v. 6. Gen. Deum omnipotenti sua virtute creasse primum hominem ex massa terræ; & terram illam, quæ neque vivebat, neque sentiebat, versam esse in carnem, sanguinem, ossa, venas, corpus &c. Credite SS. Eucharistiam esse memoriam mirabilis hujus operis, credite esse illius renovationem. nam materia panis & vini, quæ neque vivit, neque sentit, substantialiter convertitur in corpus & sanguinem Christi. Creditis ex eodem cap. in paradiso fuisse arborem, quam scriptura vocat arborem vitæ, quia fructus illius continuassent

nuassent & conservassent hominem in vita, si in eo permansisset statu, in quo Deus illum condidit. Admirabilis arbor! Credite memoriam ejus fieri in sacrosancta Eucharistia. Credite dignam sumptionem hoc præstare homini secundum animam, quod fructus arboris vitæ contulisse secundum corpus, juxta verba Christi, qui *manducat &c.* Creditis ex cap. 14. v. 18. Gen. Melchisedechum, velut sacerdotem Dei altissimi obtulisse illi panem & vinum. Credite fuisse figuram in re: commemoratio illius oblationis est Eucharistia quæ est vera oblatio. Et hæc q. opera admiranda & similia contigerunt tempore legis naturæ. Tempus legis Mosaicæ quod attinet, creditis filios Isr. in deserto miraculose pastos fuisse manna, pane cœlesti &c. Credite admirandi operis innovationem esse sacrosanctam Eucharistiam. Ecce panis Angelorum &c. Creditis Deum mirabilia fecisse in Æg. convertisse aquas Nili in sang. pulverem in muscas, virgas in serpentes. Credite Deum & hoc posse, ut &c. Nolo modo inhærere similibus figuris, creditis Deum immortalem in mysterio Incarnationis factum esse hominem, assumpsisse corpus & sang. nostrique amore se obtulisse in mortem crucis. Credite hujus præcipue mysterii memoriam & renovationem esse sacrosanctam Eucharistiam, in qua sub specie panis & vini sumimus idem illud corpus, & bibimus illum sang. & præsentem nobis adoramus Christum. Quæ dum spiritus sanctus objecit Davidi exclamavit, ps. 110. v. 5. *Dominus escam dedit timentibus se.* Christus D. instituit Eucharistiam, & istud agens, *memoriam fecit mirabilium suorum.*

Sed! est mirabile! nihil videmus præter accidentia hostiæ, sive panis & vini. Oculi dicunt, hic est panis, hoc est vinum, hoc dicit gustus! hoc odoratus! hoc tactus! ideo bene monuit. S. Th. Auditu solo in te creditur. Fides auditu sic ait; cogitate fidem in persona formosæ Virginis jacere prostatam ante SS. Hostiam; vel quamvis animam devotam Christiani hominis, fides hæc Deum lætis oculis aspicit hostiam; dum illa imponitur linguæ, dum manducat carnem & sang. filii Dei, ait: Credo fide viva, meum Salvatorem sub his speciebus esse nobis

§. 6. Exercitium fidei, licet plerique sensus aliud judicent.

præsentem secundum corpus, animam &c. sed tectum sub his accidentibus. Ita credo, & paratus sum mori pro hac veritate. Ita credo! ideo abjicio me humi, & Deum meum adoro. O mi Jesu! quantumvis lateas post hos cancellos! O cœlestis sponse, quantumvis te abscondas inter lilia; oculis fidei video tuam faciem, video tuas genas &c. (est locus pro p. descriptione,) Salvator meus es, Rex & Deus meus es.

§. 7. *Cur SS. Eucharistia vocetur mysterium fidei.* Ob innovationem & memoriam operum tot mirabilium sacrosſ. Euchar. vocatur mysterium fidei. (nam ut ait S. Thomas opusc. 59. c. 1.) *Tot & tanta sunt ibi, supra & præter &c. etiam contra rationem, ut nisi per fidem tenerentur, & crederentur, nunquam intelligerentur.* Ad intelligendum, ad firmandum cor sincerum, sola fides sufficit, hæc præstat supplementum sensuum defectui. Credimus Davidem bene dixisse psal. 32. v. 6. *Verbo ejus cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Cum enim in magno creationis die & opere dixit, *fiat lux, & facta est lux &c.* Gen. 1. v. 3. Cum deinde filius Dei in carne dixit morbido, *sanus esto, surge,* surrexit: cum mortuo, *Veni &c.* ad vitam rediit &c. Evolemus si licebit altius, & discurramus paulò subtilius. Ab æterno de Deo generatur Deus, sed quomodo? Verbo suo. ps. 2. v. 7. *Ego dixi Domino, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ego dixi, his verbis æternum & increatum verbum designatur. clare S. Joann. c. 1. v. 1. *In principio &c.* Taliane in cœlo Deus facere potuit Verbo, cur non alia miranda Verbo facere poterit in terra. Cur David canat psal. 134. vers. 6. *Dominus est in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, quæcunque voluerit, facit.* cum itaque in cœna sumpsit panem in manus, & dixit, *hoc est corpus meum,* voluit panem convertere in corpus suum, *dixit, & fecit* (sic de calice) postmodum dixit Apostolis *Hoc facite &c.* cum hæc dixit, voluit illis dare potestatem conficiendi corpus & sang. Christi *dixit, & fecit.* Sed hæc sola capit fides.

§. 8. *Fides, præsentem* Viva hæc fides nos movet, ut magna reverentia adoremus sanctissimam Hostiam. Kemnitius acerrimus hæreticus

cus tamen ait, parte 2. Exam. Concil. Trident. Constat Dei adorationem nec loco, nec tempore alligatam. semper g. & ubique adorandum Christum. quem si in cœna sumis, peculiari modo præsentiæ & gratiæ, adesse verè & ex animo credimus, fieri non potest, quin cum fides in ea actione præsentem veneretur & adoret. Alii dicunt. Sane posita Christi præsentia corporali in pane, tam non potest negari ei honos adorationis in pane, quam non poterat ei negari à Thoma stante coram oculis ipsius in conclavi, cum procidens acclamabat, Dominus meus & Deus meus. Subdunt. Si enim constaret ex verbo Christi, ipsum in pane, vel adhunc panem adesse corporaliter, necessario conversis illuc animis, & gestibus externis, reverentia DEO debita ipsi exhibenda foret, non minus quam si ipsum videremus coram nobis stantem, sicut Th. & Stephanus &c. Hæretici loquuntur, si, si &c. nos nos Catholici hac vocula non utimur, credimus corde, ore confitemur, revera adesse corporaliter, æquum ergo est ut omni reverentia interna & externa adoremus.

Christum in Eucharistia adorat.

§. 5. *Antiqui certas habuerunt formulas salutandi SS. Eucharistiam, quales & modo sunt in usu.*

Antiqui Christiani non tantum adorarunt SS. hoc sacramentum, sed habuerunt certas formulas, quibus fuerunt usi ad ostensionem sacros. Eucharistiæ in sacris, vel processionibus; S. enim Basilius ait l. de spiritu S. c. 27. contra illos, quibus semper in ore est, *Ubi illud scribitur, mandatur in S. Script.* -- Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum nobis in scripto reliquit? ex quibus vobis manifestum est, Christianos in Græcia id temporis aliquam habuisse verborum formulam, acceptam à majoribus quibus adorabant & invocabant Christum; quando SS. Sacramentum exhibebatur. Formula D. Anselmi hæc fuit. *Adoro te Christe, Rex Israel, lux gentium, Princeps regum terra &c:* D. Bernardi. *Ave salus mundi.* D. Guerrici Abb. *Domine ad te veniemus post mortem, & ante tribunal tuum judicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita quod à nobis tractaris, conservaris, manducaris, noli nobis*

a... ius esse in morte, sed parce nobis in die malo. Confundantur dæmones, qui nos tum persequentur; destrue fortitudinem illorum virtute tua, quia non est qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster. Seraphicus S.Fr. hilaris, oculis aspiciens SS. Hostiam suspirabat, *Defensor noster &c.* D.Th. *O Salutaris hostia &c.* Ecclesia hodie toto fere orbe terrarum utitur verbis ejusdem S.Thomæ, Tantum ergo &c. Genitori &c. hoc cum festiva Musica, inter odores &c. Modus hic adorandi desumptus est ex c.5. v.13. Apoc. ubi ait S.Joannes: *omnem creaturam quæ in cœlo est* (vide locum, additur autem Agno &c.) Christo in sacrosancto Sacram. Eucharistiæ nobis præsenti.

§ 10. *Eximium factum & dictum fortissimi Ducis.* Insignis fuit devotio fortissimi Ducis, Simonis Montforcii in exercitu Lud.XII.Gall. Regis. Viso sacros.Sacram. dicebat; Nunc dimittis &c. cum ante prælium aliquando interesset sacro, monitus à suis, properare, hostem jam misisse pugnam, ℞. Sinite me audire divina mysteria, & nostræ redemptionis intueri sacramentum. Rursus monitus de periculo suorum militum, Non egrediar, ajebat, quin prius videro Redemptorem meum. & mox, elevata hostia dixit; Nunc dimittis &c.& addidit, eamus, & si opus est, moriamur pro illo, qui pro nobis mori dignatus est. Sic contra hostes ardenti spiritu abivit, & celeberrima reportata victoria bello contra Albigenses finem imposuit. Non dubito meos Auditores hod. festivitate vidisse Salvatorem suum in sacrosancto S. hoc optarem, ut omnes sibi persuadeant, diem non bene successurum, nisi prius mane in parvo sacro videant suum Redemptorem in sanctissima Hostia. Cogitatis ire ad vineas &c. quæso, videte prius in templo in sacrosancta Hostia vestrum Redemptorem. Mei opifices, cogitatis mane, totis diebus hærere in vestris officinis; facitis bene, hoc status vester exigit, quæso, mane prius videte Salvatorem vestrum in sacrosancta Eucharistia &c. (hoc modo potest fieri inductio.)

§.11. *Quam devotionem erga Euch.* Pulcrum modum adorandi reperio in diversis conciliis, in quibus hæc fuerunt sancita. In elevatione corporis & sang. Christi & post, usque dum cantatur agnus Dei, sileant organa, nulla

nulla cantetur Antiphona-sed silentio quisque per se, aut flexis genibus aut prostratis humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat, & Redemptori gratias agas, pro beneficiis per mortem ejus largissimè acquisitis. Possem hic agere multis, contra sacramentarios, qui rident adorationem sacrosanctæ Eucharistiæ; sed scio plerosque ex meis auditoribus subscribere canoni 6. sess. 13. in Conc. Trid. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum Unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.* *prostrati bant concilia.*

Fortassis non injucundum erit audire vobis, mentem & verba celebris Lutherani, cit. ante Kemnitii. Ad veram confessionem (sic loquitur Lutheranus.) *Dico ego, ad veram Romano-Cathol. fidem pertinet, ut fidem, & devotionem publica quoque testemur voce, & externis significationibus, quibus ostendamus, quid de hujus cœnæ substantia, & fructu sentiamus-Tali externa confessione sejungimus nos à sacramentariis & epicureis, horum mysteriorum contemptoribus. excitamus alios ad veram reverentiam &c.--- Externa enim irreverentia signum est profanæ mentis, non dijudicantis Corpus Domini &c.* talia loquitur homo Lutheranus &c. quid g. dicemus de Catholicis, qui non tantum sacrosancto sacramento non exhibent reverentiam, sed irreverentiam (est locus pro pulcra & seria invectiva.) Ego hodie cum gaudio spectavi meos Audit. qua devotione, qua reverentia, qua fide, qua adoratione comitati sint sacrosanctam Eucharistiam. hoc faciemus per totam Octavam &c. §. 12. *Et aliqui ex Adversariis requirant.*

CON-



CONCIO LXXII.

FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Ioannes est nomen ejus.

Luc. 1. cap. v. 63.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INgentium & plurimarum gratiarum, quæ S. Joanni in utero matris, & in Nativitate, collatæ sunt, radix fuit præsentia Mariæ Virginis.

§. 1. *Nativitas tanti pueri fuit lætissima.*

§. 2. *Præsentia Mariæ, fuit causa multarum gratiarum, quæ in illum collatæ fuerunt.*

§. 3. *Officia B. Virginis, veluti Matris, erga parvum Ioannem.*

§. 4. *Fuere illi utilissima.*

§. 5. *Quam suaviter parvus Ioannes aspexerit Mariam.*

§. 6. *Sanctitas S. Ioannis, ex ejusdem Virginis præsentia fuit aucta.*

§. 7. *Maria fuit bajula lucis, & ignis.*

§. 8. *Varia elogia S. Ioannis.*

§. 9. *Prosecutio.*

§. 10. *Alia elogia.*

§. 11. *Alia.*

§. 12. *Maria Mater gratiarum.*

§. 1. *Nativitas tanti pueri, fuit lætissima.*

HOdierno festo merito quærere potest Concionator cum Patribus Concilii Basiliensis sess. 43. *Quis tanta mysteria condignis laudibus prosequatur? quis hæc gaudia sufficienter exponat? dum Ioannes exultat, Elisabeth collætatur, Maria in mysteriis gaudet, clausus in utero Salvator à suo recognoscitur præcursore, lætantur Angeli, cælum & terra jucundantur &*

tur & tota Trinitas novis laudibus glorificatur. Suavia sunt verba aurei Episcopi Ravennatis. *Patris, Matris, Filii* (addo ego B. Virginis, cognatorum vicinorum) *corda, unus atque idem implet spiritus S. ut uno sanctitatis organo resonet Nativitatis hujus cantilena.* ex ore Zachariæ Luc. 1. v. 68. *Benedictus &c.* ex ore Elisabethæ vers. 42. *Benedicta tu &c.* ex ore B. Virginis v. 47. *Magnificat* &c. Ex ore cognatorum & vicinorum, *Magnificavit Dominus misericordiam suam. Manus Domini est cum puero hoc.* Et divulgata sunt hæc super omnia montana Judeæ. Inter has Dei laudes, vicini & cognati, & B. Virgo *congratulati sunt* Zachariæ, & Elisabetæ, & Nato Infantulo. Quidni & nos Deum laudamus, & S. Joanni aggratulamur? Puer est: sed maximus sanctorum. Congratulamini! Puer est: sed gigas perfectionis, congratulamini! Puer est, sed æterni solis phosphorus & verbi incarnati præco atq; præcursor. Congratulamini! Puer est, homo! sed simul angelus. Puer est, sed suo modo primogenitus gratiæ. Congratulamini; laudate, magnificate Deum. Aggratulabor ego fortunatissimo puero hac præsenti panegyri, ideo præcipuè quod ejus Nativitati interfuerit B. V. Maria, cujus peculiari ratione Filium, Joannem B. vocat S. Chrysostomus; eo quod excellentiæ tam eximiæ à Deo illi collatæ sunt per Mariam. Quis nos impedit quo minus prius ex corde dicamus. Ave Maria! salve Joannes per gratiam filii tantæ Matris.

§. 1. *Præsentia Mariæ fuit causa multarum gratiarum, quæ huic puero fuerunt collata.*

Eximias gratias S. Joanni adhuc in utero Matris existenti, collatas, ut quod per præsentiam verbi incarnati antequam nasceretur, liberatus fuerit à peccato originali, quod impletus gratia, quod repletus spiritu S. quod præsentem Dominum & creatorem suum agnoverit, & adorarit, quod præ nimio gaudio in utero exultarit; similes inquam gratias Joanni tum temporis collatas, jam alias vobis proposui. Modo pro introitu hujus concionis, insinuo tantum bene observasse S. Chrysost. cum dixisset contigisse hæc miracula. *Cum B. V. salutavit Elisab. vox enim salutationis per aures ejus ingrediens ad puerum descendit, virtute cujus salutationis puer spiritum sanctum accepit, sicut prædixerat Angelus Zachariæ.* Luc. 1. *Spiritu S. replebitur adhuc ex ute-*

ex utero Matris suæ. Itaque gemmas gratiarum, quibus in utero matris, amabilis puer mundatus à macula peccati originalis, ornatus fuit, attulit illi thesauraria gratiarum. Eadem intulit in domum Elisabethæ lumen & lucem, qua Joannes in carcere tenebrarum fuit illustratus. Pulcerrima Virgo fuit dulcis cythara, cujus sonus, fugato dæmone, parvulum Joannem in utero fecit exilire & exultare. & sic secundum naturam Joannes fuit filius Elisabethæ; secundum gratiam ait S.Chrysost. *Ioannes B. fuit filius Virginis.*

§.3. Officia B. V. veluti Matris, erga parvum Ioannem.

De uno eximio privilegio ego hodie gratulor S. Joanni quod illi soli collatum fuit, & nulli aliorum sanctorum; scilicet, quod ejus nativitati præsens fuerit Regina cœlorum; cum gaudio & peculiari solatio Festo Nativitatis Christi considerare solemus, quod B.V. dulcissimum suum infantulum exceperit in ulnas, quod imposuerit sinui, quod applicuerit pectori, quod suaviter suum infantulum fuerit osculata, quod pannis involverit, quod præsepio imposuerit, quod omnia reliqua Matris officia illi exhibuerit. O felicem infantulum! O fortunatum Joannem B. qui solus, præ omnibus reliquis sanctis, harum gratiarum, cum Filio Dei fuit particeps! Joannem, quamprimum fuit natus, brachiis excepit B. Virgo! B. Virgo Joannem imposuit sinui, sub quo latebat filius Dei. O floridum lectulum! O sanctas cunas! O aureum reclinatorium! & quis putatis, puer iste, jacens in tali lectulo, inter flores gratiarum quis inquam erit? Joannem Virginum pulcerrima, Matrum dulcissima reclinavit super cor suum dulcissimum; & quos lætitiarum rivulos putatis fluxisse ex suavissimo hoc fonte in parvulum Joannem, quis putas puer iste erit? B. Virgo natum Joannem ipsa, sanctissimis suis manibus involvit panniculis, & suavissimo alloquio somnum illi conciliavit. Et quæ Nativitas ullius sancti fuit felicior, quænam similior Nativitati ipsius Salvatoris? cum hac tamen differentia:

§. 4. Fuere illi utilissima.

Amplexus, oscula, & alia officia Matris Virginis erga Jesulum, non fuerunt illi causa alicuius gratiæ vel sanctificationis. Jesulus erat Sanctus sanctorum & fons omnium gratiarum; filio-

filiolus potius matrem sanctificavit, & novis gratiis implevit. Aliter se res habet in Nativitate S. Joannis Baptistæ; dum enim v.g. B. Virgo Joannem fuit amplexata, ille amplexus fuit quasi canalis, per quam filius Dei latens in utero Joanni gratiam jam collatam auxerit; & majorem fecerit. Joannem jacentem in sinu B. Virginis simul adhuc magis obumbravit spiritus S. qui super Virginem illam quiescebat. Dum Joannes jacuit in brachiis auroræ, simul novis gratiarum radiis fuit ab eadem illustratus. Virginis amplexus fuit simul aurea catena, qua parvulus Joannes, parvulo Jesulo per ardentiorem caritatem magis fuit colligatus. Verbo præsentia B. Virginis Joanni in sua Nativitate fuit causa magnarum gratiarum.

Ideo (ut ait S. Bonav. c. 5.) *Parvulus ipsam, intelligens* (quænam adesset, p. hoc) *aspiciebat, & ad eam caput vertebat; & in ea solum delectabatur.* deinde exclamat, *O felicem infantem! quem cælorum regina natum excepit! quis possit explicare, quanta in Deiparæ, gremio, tum Virgini, tum Christo maximè conjunctus, lætitia exilierit. Considera magnificentiam Ioannis; nullus unquam* (præter Christum D.) *talem gerulam habuit.* & quia intellexit, quænam illa esset, quod esset Mater altissimi, libenter illam aspexit, libentur cum gaudio jacuit in ejus ulnis; libenter, cum gaudio quievit in ejus sinu. **§. 5. Quam suaviter parvulus Ioannes B. Virginem aspexerit.**

Gratia collata in utero Matris; gratia Joanni collata est in Nativitate, magna sumpsit incrementa ex præsentia B. Virginis, ut probabiliter putant Patres, per tres integros menses. Sic ait S. Ambr. in Lucam. *Non sola familiaritas causa est, quod Virgo diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit* (possunt breviter repeti collatæ tum gratiæ) ---*quantum putamus usu temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam.* ideo S. Ambr. *quem tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis unguento Domini Mater exercuit.* Ludolphus de vita Christi Domini. *Neque enim B. Virgo alio fine in domo Elisabethæ tanto est tempore commorata, quam ut tanto facilius & felicius progressum & exaltationem S. Ioannis promoveret.* Suavissime ut solet S. Bernardus de Joanne B. *Ita nimirum no-* **§. 6. Sanctitas S. Ioannis ex ejusdem B. V. præsentia fuit aucta.**

vus ille ignis (verbum incarnatum) *qui recens elapsus de cœlo per os Gabrielis in aurem* (& uterum) *Virginis intraverat; per matris aurem introivit ad parvulum* (Joannem) *ut ab ea hora* (aliquot adhuc mensibus in utero, & hodie in Nativitate, & deinde per aliquot menses, per præsentiam & in præsentia Dei Matris) *spiritus sanctus vas electionis suæ impleret, & lucernam Christo Domino pararet*, in sinu B.V.

§. 7. *Maria fuit bajula lucis & ignis.*

Pulcrè D. Greg. *Erat* (scilicet Joannes) *in utero matris lucerna Dei* (erat stella matutina, quæ mox mundo prænuntiare debebat ortum solis Justitiæ) *sed nec ardens, nec lucens. Divinus advenit ignis, & luce illam gratiæ inflammavit, lucentemque fecit & ardentem. Igne enim spiritus S. accensa, ardere cœpit ac lucere.* Sed ignis, sed lucis, sed solis bajula fuit Maria. In hujus utero latuit sol, cum Joannem illuminavit. in illius utero latuit lux quæ illustravit, latuit ignis, qui Joannem accendit & inflammavit.

§. 8. *Varia elogia S. Joannis.*

Et quo ego nomine fortunatissimum hunc puerum appellabo, ut, prout teneor, illum laudem & extollam? Vocabo Margaritam? Omnis dos Margaritæ, ait Plinius, consistit in magnitudine, in lævore, in candore & pondere. De magnitudine S. Joannis B. ipse Christus ait, quod major inter natos mulierum non surrexerit. Preciosa est Margarita! Joannes B. in utero Matris fuit liberatus à peccato Originali, in utero fuit repletus gratia; Joannes B. mansit semper Virgo, Joannes B. in carne humana fuit Angelus! candida, tersa est Margarita. In pondere, in dignitate, in officio, in excellentiis omnes superat sanctos. Gravis, ponderosa, preciosa est Margarita. Sic est Audit. Sed cupio vos in hac concione advertere, BB. Virginem Dei Matrem fuisse quasi concham, in qua spir. S. & gratia hanc Margaritam efformarunt & præpararunt, ut tã pulcra sit, ut ita radiet in corona gloriæ. Vocabóne Joannem in sua nativitate gemmam, præcipuè illã quæ dicitur Astrion? reperitur in Indiis, est similis crystallo, hoc habet peculiare, quod in ejus centro pulcerrima luceat stella, sed non nisi cum luna est plena. Talis gemma, talis Astrion, talis stella in sua nativitate fuit J. Baptista suo fulgore omnes Elis. vicinos & montana Judeæ exhilaravit.

Sed

Sed in præsentia lunæ plenæ, in præsentia Mariæ. Stella est Joannes; sed firmamentum est Maria.

Vocabóne Joannem B. in sua Nativitate Hyacinthum? nam hæc gemma tam peculiares habet influxus à sideribus, ut dicatur partus cœli. unde etiam hæc gemma præcipue lucet, & est quasi lætior, amœniorem ostendit frontem, cum cœlum serenum est, & innube. O fortunatum puerum jacentem hodie in brachiis Magnæ Matris & Reginæ cœlorum. quàm lætus est hic hyacinthus, quam ridet parvulus Joannes; non mirum, cœlum est serenum, jacet in sinu Matris, quæ plena est gaudiis. Jacet inter brachia Virginis formosissimæ. Partus cœli, partus Virginis est cœlestis hic hyacinthus. §. 9. *Prosecutio.*


Vocabóne Joannem in sua Nativitate ardentem facem, & lucernam ardentem plenam oleo gratiæ? fax est, lucerna est, sed candelabrum aureum in quo lucet est B. Virgo. De cœlo, ab astris, amœno hoc tempore, descendo in amœnum hortum ad areolas florum. Floremne vocabo Joannem B.? Rosa est & q. sine spinis peccati originalis. Viola est ob profundissimam humilitatem; narcissus est, ob virginitatis candorem, caryophillum est, ob ardorem caritatis, heliotropium est, in ipso enim utero, in Nativitate se vertens ad Solem & Lunam, ad Jesum & Mariam; lilium est Joannes B. ob causas plurimas, hæc est peculiaris. Fingunt Poëtæ pulcerrimum hunc florem esse sacrum Junoni, sponsæ Jovis, eo quod hæ dicatur Nutrix regii hujus floris. Apage cum ementita Junone, apage cũ fabulis de sacro hoc pulpito; Cœlestis Juno, una est Maria, sponsa Sp. S. Dei filia & Mater. Huic sacrũ est liliũ, quod hodie floruit in horto gratiarũ. huic sacer est, qui nascitur infans. lilii ort⁹, crescentia, succus, vita, viror, odor, pulcritudo, ascribitur influxibus cœli, solis & astrorum. Ortus, Nativit. sanctificatio, gratia J. Bapt. ejus in gratia profectus, crescentia, augmentũ, succus, viror, vita pulcritudo omnia referenda sunt in Mariam. Lilium est, Joann. B. Rosa est, Viola est &c. Sed hortus cõclusus in quo crevit talis floscul. est Maria. Puteus cujus aquis rigatus est, est Maria. Sol, cujus calore fovetur, est Maria. Pictrix, quæ pinxit, hanc rosam, hanc violam &c. est Maria. §. 10. *Alia elogia.*

 Vo-

§.11. *Alia.* Vocabóne S. Joannem B. formosam, fructiferam & fortem arborem? talem fuisse insinuavit Christus D. cum asseruit, non fuisse arundinem vento agitatam, sed q. bene radicatam quercum. per me licet, sic vocate S. Joannem, & talis fuit; sed ego addo, Radicem hujus arboris fuisse B. Virginem. Vultisne vocare inter arbores Cedrum. ut hæc inter illas, sic S. Joannes inter omnes sanctos est altissimus. sic vocate. Sed ego addo ex Plinio, cedri felicius crescunt in monte Libani. Ipsa autem (ait Rich. à S. Laur.) B. Virgo est mons libanus. Si tempus pateretur, per similia elogia discursus meus longe lateque evagari posset. In S. Joanne B. fuit verissimum, quod S. Bernardus de omnibus affirmavit ser. 3. de Virginis Nativ. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.* Christum filium suum voluit esse fontem ex quo, Mariam canalem, per quem, omnes rivuli defluunt gratiarum.

§.12. *Maria, Mater gratiarum.* Idem nos omnes experimur. Si invenimus Margaritam preciosam quæ est gratia, Maria est concha, in qua reperimus (hoc modo fieri potest brevis & pulcra repetitio totius concionis) Gratulor præcipue illis, qui vocantur Joannes; si advertere velint gratias, quas tota vita acceperunt, agnoscent & se esse filios B. Virginis &c. Æquum proinde est, ut laudemus Jesum & Mariam. Hoc pulcris verbis optavit Hugo Victorinus in præt. Magn. *Quis dubitet B. Mariam recens Spiritus S. in se supervenientis tanta plenitudine, & gratiam repletam, non potuisse parvum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Salvatoris sui proferre? constat g. de tanta plenitudine eructantem, tantaque devotione novum illud, & humanis mentibus insolitum gaudium Iesu suo jubilantem, nova laude & singulari praeconio, novam lætitiam in novo adventu æterni Domini prædicasse. Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dom. sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo. p. locus.*

CON-



CONCIO LXXIII.

FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI & PAULI.

Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam.

Marc.16.cap. v.17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFfert varia elogia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.

SAcra Historia commemorat Exod. 25. v. 18. quod super propitiatorium arcæ, Moyses ex præcepto Dei collocaverit duos Cherubinos ex solido & optimo auro, quæ extensis aureis alis arcam non solum ornabant, sed veluti tegebant & obumbrabant. Si illa arca, figura etiam fuit Ecclesiæ Christi, ob varias causas quibus hic non inhæreo, meo judi-

§. 1. *Varia elogia SS. Ap. Petri & Pauli.*

judicio duo Cherubini aurei ob caritatem aliasque virtutes, extendentes alas potentiæ & doctrinæ per totum mundum, duo inquam Cherubini dici possunt gloriosi duo Apostoli, quorum hodie solennitatem solenni ritu celebramus. Alter est; Apostolorum Princeps, magnus Jesu Christi Vicarius, ac generalis totius Ecclesiæ Rector atque nauclerus, regni cœlorum janitor, petra fidei, S. Petrus; his utitur elogiis Concilium Ephesinum cum agit de S. Petro. *hic fons est, reliqui Apostoli sunt rivi. S. Petrus arbor est, reliqui Apostoli sunt rami. S Petrus sol est, alii radii.* Alter Apostolus cujus hodie festum agimus est vas electionis, magnus gentium Doctor, Evangelii buccina S. Paulus. Ambo ob cœlestem sapientiam Cherubini, ob inflammatum amorem erga Christum aurei, ambo dignitate Apostoli; ambo Martyres pro Christo, ille per crucem, hic per gladium, & quidem uno loco, in urbium domina Roma, uno die, & sub eodem tyranno. Quæ causa est; ut utriusque festum simul eodem die celebret Ecclesia. Quos amor Christi & felix mors; quos gloriosum martyrium, quos Ecclesia conjunxit, non decet, ut separet mea panegyris. Proferam vobis illa virorum sanctorum elogia, quæ meus in tantos patronos invenit amor & affectus, in sacris literis, in SS. Patribus, in aliis discursibus & comparationib us. Venerationi illorum hoc date, ut exiguo tempore me benevolè audiatis.

§. 2. S. Chrysostomus, dum illos laudavit, fuit usus pulcris similibus.

Modum discurrendi, quem observabo in hâc panegyri per encomia Apostolorum, & præcipuè SS. Petri & Pauli, me docuit S. Chrys. in homiliis de laudibus S. Pauli, dum ait. *Misit Christus Apostolos quasi sol radios suos; quasi rosa suavitates odoris sui; quasi ignis scintillas suas dispersit. Vt sicut sol in radiis apparet; sicut rosa in odoribus suis sentitur: sicut ignis in scintillis suis aspicitur; sic in illorum virtutibus Christi potentia-* majestas & gloria- *agnoscatur,* ecquis enim aspiciens solem, quis delibutus odore rosæ, quis recreatus calore ignis, solem, rosam, ignem non laudat & extollit. Inter illos 12. radios, duo pulcerrimi; inter 12. rosas, duæ odoratissimæ; inter 12. ardentes faces, duæ ardentissimæ & lucidissimæ sunt SS. Petrus & Paulus. prout de hoc, idem ait S. Chry.

S.Chrysostomus. *Sicut enim missum in igne ferrum, totum profecto ignis efficitur; sic Paulus caritate succensus, totus effectus est caritas.* quod idem de S.Petro verissimè dici potest. Floridus inquam, hic modus discurrendi S.Chrysostomi de laudibus SS. Apostolorum plura similia elogia mihi suggessit.

V.g. si Ecclesia Christi, vel militans in terris, vel triumphans in cœlis, cœlum quoddam est, in quo sol inflammatæ pulchritudinis est Christus D. Luna pulcerrima, Maria; Apostoli sunt stellæ; inter quas maximè lucent S.Petrus & S.Paulus. Apoc.cap.12. Ecclesia monstrata fuit sancto Joanni quasi mulier ornatissima. inter alia ornamenta in capite habuit coronam stellarum 12. scio amatores eximios B.V. integris libris, homiliis & sermonibus visionem hanc explicuisse de B.V. Dei Matre, & præcipue per 12. stellas intellexisse 12. eximia privilegia, collata Deiparæ. SS. Patres, qui dicunt & bene, illam mulierem fuisse typum Ecclesiæ, per 12. stellas intelligunt Ecclesiæ doctores, sanctitate & doctrina radiantes ut stellas, & præcipuè 12. Apostolos. quæ comparatio placuit S. Chrysostomo hom.1. de Pent. *Quæ sunt tales stellæ sicut Apostoli? stellæ in cælo, Apostoli super cælos.* apud Christum D. sedentem ad dexteram Patris *stellæ ignes æterni* (ut Poëta loquitur ex mente Platonis) *de igne insensibili*, *Apostoli de igne intellectibili*; accensi ab illo qui dixit; *Ignem veni mittere &c.* Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur. Apostoli in die & nocte suis radiis, hoc est, virtutibus effulgent. ideo quicunque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit, non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de vita migrarunt; & dum sunt in gloria. Quæ S. Chrysost. dixit in communi de SS. Apostolis, hodierno festo ego præcipue assero de SS. Petro & Paulo. & dico, inter stellas, quibus coronatur & ornatur Ecclesia pulcerrimas, lucidissimas, esse gloriosos hos Apostolos. Vel dicamus & ipsos in cœlis esse coronatos stellis; ubi lucebunt in perpetuas æternitates. Ornent alii Crucem S.Petri, gladium S.Pauli, quibus instrumentis pro Christo occubuerunt, rosis vel gemmis; ornabo ego corona & stellis &c.

§. 3. *Sunt duæ lucidissimæ stellæ.*

pulcerrimarum & Apoſtolicarum virtutum, quibus bravium æternæ gloriæ apprehenderunt.

§ 4. *Bina porta & propugnacula, preciosi lapides &c.*

Si Eccleſia vel militans in terris, vel triumphans in cœlis, civitas eſt, & quidem pulcerrima, poſita in monte, ædificata ex auro & cryſtallo; dicam ego hodie 12. Apoſtolos eſſe civitatis illius 12. portas, vel valla & propugnacula, vel 12. munitiſſimas turres. Apoc. 21. Joannes ait, 12. lapides precioſos eſſe fundamenta hujus civitatis. Fundamenta ſunt, quia ſuper illos Chriſtus ſuam Eccleſiam inædificavit, ut S. Petro præcipue dixit, *tu es Petrus &c.* Turres ſunt & propugnacula à quibus Eccleſia Chriſti propugnatur & defenditur, juxta Chriſti promiſſionem *portæ inferi non prævalebunt.* Portæ vero ſunt, quia per illorum vitam atque doctrinam, intrat in eam multitudo credentium. In his fundament[illegible] in his turribus, in his portis radiant præcipuè SS. Petrus & Paulus veluti duo lucidiſſimi carbunculi, per ſermonem doctrinæ ignitum, quo fugato errore tenebrarum, illuminant corda credentium. Radiant veluti duo Saphiri, per cœleſtem vitam, veluti duo jaſpides, per fortitudinem fidei, veluti duo adamantes per invictam patientiam, veluti duo Smaragdi per virorem puritatis. Sufficiat has gemmas nominaſſe; SS. Apoſtolis, SS. Petro & Paulo hoc tribuo elogium, quod in fundam. in turribus, in portis Eccleſiæ & militantis & triumphantis ſint duo precioſiſſimi lapides, quorum fortitudine, pulcritudine, virtute, colore, ſplendore, magnorum virorum ſanctitatem, doctrinam, virtutes, heroica opera &c. glorioſam pro Chriſto mortem, & in cœlis gloriam, ſpiritus ſanctus in ſacris literis ſolet explicare.

§. 5. *Duæ ſagittæ, vel ſagittarii.*

Si Eccleſia turris eſt, & quidem fortiſſima, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium; dicere poſſumus 12. Apoſtolos eſſe 12. electas ſagittas, quibus Chriſtus D. ſuos hoſtes vicit; & totius mundi regnum atque imperium, à ſolis ortu uſque ad occaſum, ſuavi jugo Eccleſiæ ſuæ ſubjecit. Apoc. c. 6. v. 7. ait S. Joannes; *Et vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Talis equus, talis ſagittarius, in Indiis v.g. fuit S. Tho-

Thomas, in Phrygia &c. Romæ in nido, in regia superstitionum & idololatriæ tales equi, tales sagittarii, victores errorum, victores dæmonum &c. fuerunt SS. Petrus & Paulus. Vox sagitta, ostendit quales fuerint Apostoli, & quales ipsorum exemplo debeant esse prædicatores Verbi D. 1. Debent mitti & quasi dirigi à Deo, cujus sunt instrumenta. 2. Debent esse conjuncti cum Deo, per orationem, ejus per omnia obedientes seque in omnibus illi conformantes. 3. Veloces. 4. efficaces & penetrantes; sic enim sagitta, dum magna vi fertur in scopum, illum configit & penetrat. 5. tersi à vitiis, & virtutum sanctitate politi atque fulgentes. 6. ut librentur directe in scopum, ut quærant solum Deum, & ut feriant animas hominum, illas vulnerando timore ac amore Dei. Tales sagittæ vocantur, sagittæ potentis (scilicet Christi Domini) acutæ; imo igneæ, ex arcu Christi crucifixi validissimè tenso ejaculatæ totum urbem ferientes & accendentes, juxta illud ps. 7. v. 14. *Sagittas suas ardentibus effecit* -- S. Aug. *sive ipse sagitta ardeant, sive ardere faciant*. sic in Apostolis impletus fuit vers. 4. ps. 96. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. Volarunt quasi per orbem universum igneæ hæ sagittæ, & pulsis ubique tenebris idololatriæ, claram lucem Evangelii orbi intulerunt. Ipsa Roma vulnerata sagittis SS. Petri & Pauli humiliata & subjugata jacet ad pedes Christi & Ecclesiæ. Æquum est, ut hæ sagittæ, ut gloriosi duo Apostoli ornentur pulcerrima corona, quæ vocatur *Victoria*.

Vallis & propugnaculis, quibus urbes & turres muniuntur, solent certa nomina imponi, ut illi sciunt qui in munitis habitant urbibus. quia Ecclesia urbs est, quia turris est, quia 12. Apostoli sunt 12. valla & propugnacula; vocemus unum, S. Pauli &c. & fortissimum, S. Petri &c. contra quod portæ inferni non prævalebunt. Quos assultus non tentarunt Tyranni, contra hæc propugn. quos cuniculos non duxit hæresis? quas machinas, quæ tormenta non admoverunt hæresiarchæ &c. frustra! Stat arx Christi, stat turris Ecclesiæ, nihil timet urbs tam pulcre cincta, munita est propugnaculo S. Petri cincta, munita est pro-

§. 6. Contra hæc propugnacula, hactenus nihil potuit hæresis.

eſt propugnaculo S. Pauli cincta, munita eſt vallis aliorum Apoſtolorum; nihil eſt, quod timeat.

§. 7. *Sunt Paſtores.* Hæreo diutius in his elogiis, cum ſuperſint plurima. Si Eccleſia Chriſti in terris, eſt Ovile; (ipſe Chriſtus D. ſic appellavit) 12. Apoſtoli ſunt 12. gregis duces & paſtores; illorumque eſt Princeps S. Petrus ab ipſo Chriſto D. aſcenſuro in cœlos conſtitutus, Joan. 21. v. 18. *Paſce oves meas.* ſive, ut Salomon ait in Prov. c. 27. v. 23. *tuos greges conſidera.* Septuaginta vertunt. *applicabis cor tuum armentis tuis.* Aquila. *Pone cor tuum in armentis.* Per cor accipere poſſumus mentem & voluntatem. Mentem, ut paſtor bene conſideret, quid gregi utile ſit atque proficuum. Voluntatem, ut illud illi ſingulari amore & cura procuret. Ob quam cauſam Chriſtus D. antequam Petrum conſtitueret paſtorem, tertio ab eo popoſcit amorem, dicens, Petre amas me; ac cum tertio reſpondiſſet, Domine tu ſcis quia amo te, ei gregem tradidit. Si fortaſſis alicui placeat hæc comparatio in laudem Apoſt. ille occaſionem habebit declarandi, quàm ſoliciti paſtores & duces Dominici gregis fuerint SS. Petrus & Paulus.

§. 8. *Vinitores.* Si Eccleſia, vinea eſt, juxta v. 7. c. 5. Iſ. *Vinea Domini exercituum, domus Iſrael eſt*, cui promiſit Dominus per prophetam Oſeam c. 2. v. 15. *Et dabo ei vinitores*, Qui vineæ curam habeant &c. Dedit, cum dedit Eccleſiæ Apoſtolos, & inter illos vinitores vigilantiſſimos ſanctum Petrum & S. Paulum, adeo ut ſuo ſanguine vineam Domini irrigarint. Si illos in hac vinea vocare velitis, duas fructiferas vites, non errabitis.

§. 9. *Montes, & arbores.* Eccleſia quæ cœlum eſt, quæ civitas eſt, quæ turris eſt, quæ vinea eſt, eſt etiam hortus vel paradiſus, vel pulcerrimus mons. in hoc monte, in hoc paradiſo, in hoc horto arbores pulcerrimæ, & fructiferæ ſunt 12. Apoſtoli, & inter illos duo altiſſimi cedri, duæ fortiſſimæ quercus, duo dilatati terebynthi, duæ glorioſæ palmæ, duæ pingues Olivæ fuerunt & ſunt SS. Petrus & Paulus. Cedri (inquit S. Greg. hom. 20. in Evang.) quorum corda ita in æterno amore fuerunt ſolidata, ut nulla terreni amoris putredo illa corrumpere potuerit. Quercus ob invictam

victam patientiam, terebynthi ob dilatatos ramos caritatis, palmæ ob victorias de carne, peccato, mundo & diabolo, Olivæ per abundantiam fructuum in omni opere bono. Quibus metaphora hæc placet, invenient plurima in arboribus, quæ ducere poterunt in laudem horum Apostolorum.

In hoc horto, in hoc paradiso, in hoc monte invenient pulcerrimas areolas, in illis omnis generis odoratissimos flores, in illis rursum plurima symbola Apostolicarum virtutum SS. Petri & Pauli. in illis iterum varia encomia & elogia quibus merito laudantur. Me monet tempus, ut similia tantum insinuem. Si Ecclesia fons est, Apostoli, inter hos SS. Petrus & Paulus fuerunt & sunt canales, per quos aqua Evangelicæ doctrinæ in totum orbem fuit derivata. Si Ecclesia Christi est castrorum acies ordinata, & terribilis dæmoni; SS. Petrus & Paulus fuerunt & sunt, duo fortissimi duces, milites & pugiles, vocati & electi ad prælia Domini. Latissimus iterum campus excurendi in laudem horum Apostolorum, si ostendere velis, quales fuerint milites & heroes. Si Ecclesia Christi est pulcrum ædificium, Apostoli fuerunt architecti. Si regius thronus, fuerunt & sunt leones, qui illum custodiunt. §. 10. Conglobatio aliorum elogiorum.

His similia sunt alia elogia SS. Patrum, à quibus vocantur binæ luces vel duo lumina vel duæ faces mundi, duo specula sanctitatis, duo exemplaria virtutum, duo defensores Ecclesiæ, protectores fidelium. (duo Jaspides fidei, duo Smaragdi spei, duo carbunculi caritatis, duo adamantes constantiæ, duo putei & fontes sapientiæ,) duo Magistri theologiæ, duæ columnæ Ecclesiæ, duo scuta fidei, duo mallei hæreticorum, duo fontes exorientes è throno Dei, duæ tubæ mundi, duæ lampades orbis, duo fundatores Ecclesiæ, duo principes terræ, duo magistri innocentiæ, duo oculi corporis mystici Christi; duo viri misericordiæ, sive quia misericordia pleni sunt sive quia misericorditer nobis à Deo donati sunt. Duo Atlantes, duæ aureæ & marmoreæ bases, quibus incumbit Ecclesia. His elogiis illos honoravit S. Bernardus & alii SS. PP. S. Chrysostomus in hom. de laud. S. Pauli illos vocat duos §. 11. Alia ex SS. Patribus.

cives cœli, duos Angelos terrestres, duos ardentes Seraphinos, duos cœlestes homines, duo flumina cœlestis doctrinæ duo tonitrua, quorum sonitu infernus tremit, tonuerunt ore, fulgurarunt vita, & sic divinis irradiationibus mentes hominum perstrinxerunt, illuminarunt & inflammarunt; duos nuntios Evangelii; duos legatos altissimi; Vocantur ab aliis duæ roridæ nubes, cum copioso imbre sapientiæ & spiritus, duo venatores & piscatores animarum. Apoc. 11. v. 4. *duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia,* duo validi venti, qui evangelizando celerrimè percurrerunt per totum orbem, quasi duo Angeli Dei, de quibus ait David ps. 103. vers. 4. *Qui facit Angelos suos spiritus* (ventos) *& ministros suos flammam ignis.* Duæ procellæ, quæ dum hominum corda terrore concusserunt, ac pondere minarum iræ Dei, judicii & gehennæ, straverunt & contriverunt; duæ petræ stillantes mel pro bonis. Denique duo gloriosi Martyres, & duæ coronæ in manu & diademate Domini. Cupio ego ut omnia quæ dixi, ut omnia elogia, ut omnes lineæ, ut omnia verba, omnes literæ quas pronuntiavi, sint totidem flores & gemmæ & stellæ; cupio ut efficiant pulcerrimam coronam, ut ego illam abjiciam ad pedes tantorum Apostolorum, quorum humillimus sum servus & mancipium. Interim imitabimus illos in terris, donec cum illis in cœlis æt. cantemus, gloria Patri & Filio & Spiritui S. sicut erat &c.

CON-



CONCIO LXXIV.

FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Exurgens Maria, abiit in montana, cum festinatione.

Luc. 1. cap. v. 39.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæparat pulcerrimæ Virgini amœnam viam per montana Judææ.

Quam-

§. 1. *Cur Maria cum tanta festinatione abierit per montana.*

QUamprimum pulcerrima Virgo, die incarnationis, se Deo gravidam sensit, surrexit & abiit in montana Judææ cum festinatione. Non miror! concipiendo Dei Filium, facta est luna, plena gratiarum; luna verò si Poëtis credimus, amat montes, monticultrix Luna. Abit in montana; dum enim solem divinitatis intra uterum suum comprehendit; à sole mutata est in solem, amicta sole; & ideo instar solis, in aureo & roseo caritatis curru, altissimos Judææ montes percurrit. Abit cum festinatione! quamprimùm fœcundo divinitatis illapsu, in virginali thalamo Deum suscepit, didicit, divinum esse, hinc, sese ad homines, ad cognatam præsertim Elisabeth, instar ancillæ demittere; hinc verò, ad alta, sublimia, ad cœlestia, ad Deum celeribus desideriis, veluti alis assurgere, & evolare. Abit cum festinatione! nam pusio, quem fert utero, est gigas, qui magnis passibus incipit currere vias suas; & cum suum infantem Virgo Mater amet, sequitur, currit, clamans cum sponsa Cant. 1. v. 3. *Trahe me post te.* Abit denique cum festinatione! quia vector, quia currus, quia rheda, quia alæ, quia calcar ipsi est *Amor*, qui nescit tarda molimina, sed cum festinatione pergit; ad montes sanctitatis, & ex illis ad amœnissimos colles æternæ gloriæ.

§. 2. *Desiderat auctor illam comitari.*

Anhelat meus amor, ut festinantem ad Elisabetham, Virginem pulcræ dilectionis, & Matrem amoris, per amœnos montes & colles, per valles, per prata, per sylvas, nunc insequatur, nunc prævolet, nunc comitetur. Si placet, sequimini vestigia; via nullo modo molesta vobis erit. Sternam illam rosis & liliis, aspergam rivulis ex fonte gratiarum, tegam aëra arborum ramis, ne sol urat; comitabuntur nos cantillantes lusciniæ, aspirabunt Zephyri; inter has amœnitates conabor, ut pulcerrimam hujus Virginis, per montana currentis ideam, oculis vestris contemplandam proponam. Subinde suavi suspirio mecum dicite, *Salve millies, O pulcerrima Virgo! O venustissima Mater.*

§. 3. *Vituperia pulcritu-*

Legi multa sapientissimorum virorum, & SS. Patrum dicta, de speciosa mulierum forma, quibus illam vel carpunt, vel laudant,

laudant. Ovidius comparat *fragili vitro*, Boëtius *fallaci flori*; *damnosam* pronuntiat Seneca. Leucipes vocat *originem supliciorum*, Euripides, *venenatam sagittam*, (arcus sunt labia, funes capilli, globuli oculi.) Salomon Proverb. 6. vers. 25. *periculosum rete, & extensum laqueum*; cap. 31. v. 30. *Vanitatem*. Alii dicunt esse iniquitatis formam, nequitiæ larvam, lasciviæ Matrem, vanitatis nidum, superbiæ fontem; pacis turbatricem, bellorum genitricem, mortis nuntium, invidiæ nutrimentum, & sexcenta talia. Xenophon dixit: *pulcritudo ignis est, qui absentes urit, præsentes inflammat*; Socrates, appellat *tyrannidem*; Theophrastus, *deceptionem*; eleganter ille poëta; *fœmina formosa, dum ridet, rodit, & radit, non virgo, nec virago, sed vorago*; & quod luctuosum est, non corporum tantum, sed animarum. *dinis mulierum.*

§ 4. *Encomia ejusdem.* Sanctus verò Augustinus ait, *esse donum Dei*; Aristoteles *quoddam divinum*, alii, bonorum paradisi vivum simulacrum; gratiæ ornamentum, cœlestis amoris stimulum, prototypum divinæ imaginis. Plato vocat, *divinæ bonitatis radium, excellentisque animi, qui latet indicem*. Similia elogia in variorum libris passim occurrunt.

§ 5. *Præsertim in Maria, cujus pulcritudo fuit rosa sine spinis; nemini nociva.* Quæ ego præcipuè affirmo de admirabili pulcritudine venustissimæ Virginis, & matris Mariæ; quæ eo est commendanda magis, quo minus est periculosa, utpote quæ Rosa est sine spinis. *Tanta enim erat ejus gratia*, (ait S. Ambrosius l. de instit. Virg. cap. 7.) *ut non solum in se Virginitatis gratiam servaret; sed etiam his quos viseret, integritatis insigne conferret.* Dion. Carthus. in cap. 2. Cant. *Quamvis fuerint multæ Virgines, formosæ, & sanctæ, tamen respectu Virginis, videntur quasi spinæ fuisse; quamvis enim in se fuerint mundæ, fuerunt tamen aliis spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentia compungebantur.* Porro Virgo Deipara, intuentium corda sic penetravit, sua inæstimabili castitate, & virginea, quod à nullo potuit concupisci; imò potius extinxit illorum libidinem; suavissimè sanctus Thomas de Villa Nova: *Sacra, pura, & immaculata Virgo! cui etiam præ aliis hoc erat Virginitatis*

tatis insigne, ut inspectores suos (ita loqui liceat.) *Virgines faceret.* Et paulo post. *Mirares, & admiranda gratia! cum esset sine comparatione pulcerrima, & facie decora nimis; inspicientium oculos, non modo sua pulcritudine non lædebat, sed eo magis sua honestate & venustate honestabat, sanctificabatque.* Gerson. de concept. Virg. *Physiognomia Virginis, movebat aspicientes ad omnem castitatem; & luxuriosas extinguebat, mortificabatque cogitationes.* O Rosam sine spinis! Cum itaque vos, jam mentibus vestris, animisque & cogitationibus, in Judææ montanis inter amœnas arbores versari, & quiescere nonnihil non dubitem; huc quæso vestros oculos, imò toti estote oculi, ut pulcerrimam Virginem sine omni periculo, transeuntem videatis. Videtis? quam pulcri sint gressus ejus, per montana Judææ, in calceamentis filiæ Principis.

§.6. *Maria, sua pulcritudine vicit omnes formosas fæminas.*

De Rebecca dicitur Genesis 24.v.16. *Puella decora nimis, virgoque pulcerrima.* Pulcrior est Maria. De Rachele cap.29. v.17.Genes. *Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Venustior est facies & vultus Mariæ. De Esthere cap.2.v.15. *Erat formosa valde, & incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis.* Formosior, gratiosior, amabilior est Maria! De Juditha cap.10.v.4. *Dominus in illa pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore, omnium oculis appareret.* Longè amplius illam Deus ampliavit in Maria, in Matre filii sui. De Abisach. l.3.Reg. c.1.v.4. *Erat autem puella, pulcra nimis.* Ubi Abulensis quæst.5. *Nimis pulcra Abisach fuisse memoratur, quæ in certamine pulcritudinis de pulcerrimis fæminis totius regni Israel, obtenta victoria, digna fuit, quæ præ aliis, ut Regina, pulcerrimis pulcrior coronaretur.* Mariam verò, ut Reginam cœli & terræ, ita coronavit ipsa SS. Trinitas, ut jure, obtineat victoriam, dicatur fœminis omnibus pulcerrimis pulcrior.

§.7. *Pulcritudo faciei, in B.Virgine, & oculorum.*

Videtis faciem? id est, regiam pulcritudinis, palatium amoris, sedem gratiarum; hospitium cœlestium affectuum; thronum majestatis, amœnissimum calathum, in quo omnium florum suavitas ridet. In hac sponsæ, Virginis, & Matris facie, cœlestis sponsus, omnium amorum casta irritamenta, omnium elegan-

elegantiarum lumina congessit, & accumulavit. Amori meo temperare non possum, quia pergam ubi hoc loco, aurea eloquentia facundissimi & affectuosissimi hoc sęculo Oratoris. Videtis transeuntis Virginis oculos? O portenta! simulacra! miracula pulcritudinis! sunt duæ sphæræ vel globuli castissimi amoris; sunt fenestræ gratiarum, duo sidera mei amoris; binæ rotæ meæ fortunæ; duo labyrinthi, in quibus dudum me perdidi; O formosos Virginis oculos! sunt duo fontes lætitiæ; gemini cœli, unde motum & influxum, hauriunt sanctæ cogitationes; sunt duo specula lucidissima! in quibus ipsa divinitas se considerat; in quibus rerum omnium amœnitas, & venustas relucet; Ustoria & inflammata specula! ex quibus in nostra corda, flagrantia se derivant incendia. Sunt duo Oceani purissimæ lucis, in quorum seu undosis radiis, seu radiosis undis, anima amans, felix & dulce subit naufragium.

Videtis venustissimæ Virginis genas? sunt duæ areolæ rosarum & liliorum; sunt duo horti, quos gratiæ, candido lactis, & sanguineo purpuræ liquore rigant; sunt duo campi æterno vere floridi, sunt duo erithræa littora, pyropis & adamantibus accensa; sunt duæ vineæ, candidis purpureisque racemis inclytæ; quorum vino cor meum amore est ebrium. Sunt duo circi, in quibus Candor & Rubor amica velitatione concurrunt; sunt duo pulvinaria, Austriacis coloribus, candido, & rubeo, in quibus amor dulciter quiescit. Videtis crines, & aureas comas? sunt solares radii; vitæ stamina; sylva aurea frondium, inter quos amor mille optata retia, & millies amatos laqueos tendit nostro amori; sunt radices & fibræ spei meæ; sunt aureus telorum imber; sunt fila bombycina, inter quæ meus amor vitalem quærit tumbam, ut ibi felici fato condatur. Sunt rubus ardens, in quo cor meum beata & immortali flamma uritur, non comburitur. Sunt aureæ catenulæ & purpurei funiculi, ad colligandum corda nostra; Collum est via lactea, per quem aurei capillorum cincinni, & globuli, tanquam sparsa sidera rutilant. Quid dicam de suavissimo pulcerrimæ Virginis ore? & mellea ejus lingua? est scrinium, in quo candidissimæ den-

§. 2. Genarum, & capillorum, colli, oris, & labiorum &c.

tium margaritæ includuntur; & phiala, in qua omnis Ambrosiæ, nectaris & mellis dulcedo, diffusa natat, labia sunt lilia & rosæ, quibus non apes, sed Angeli, & amantes animæ involitant, & nectar exsugunt. Sunt binæ portæ corallinæ & crystallinæ suavissimi alvearis. Sunt binæ scenæ & theatra, in quibus sancti & castissimi ludunt amores. Quid denique de manibus? sunt tornatiles, sunt aureæ, sunt plenæ hyacinthis, sunt candidum marmor, in quo cærulei venarum jaspides, interludunt, illarum lineæ, sunt lineæ nostræ felicitatis. Absolvam verbo, tota, tota pulcra est Maria! tota, tota pulcra Virgo! pulcra in facie; pulcra in oculis, pulcra in fronte, pulcra in genis, pulcra in labiis &c. pulcerrima Maria.

§. 9. *Apostrophe ad montes Judææ, ut Virgini præparent viam.*

Ecce, talis Virgo transit per montana Judææ! Eia amor meus, esto Mercurius; celeribus alis prævola; esto cervus & hinnulus, transi colles & valles; esto tuba, insona quantum potes, esto leo rugiens, ut exaudiant rugitum montes, talia clama: Audite montes, audite colles & valles, audite horti, nemora & prata; audite arbores, læta vobis nuntio, cœli Regina, Dei mater, Virgo pulcerrima vestras vias ingreditur, vestras appellit in oras! ubi ergo germina? ubi flores? ubi lilia? ut viam faciatis floridam: Citò montes, citò valles, cito prata, cito arbores, date folia, date flores, date ramos, protrudite rosas, germinate lilia, ut floridam incedenti Virgini ver substernatis.

§. 10. *Quanta nascentis mundi amœnitas.*

In mundi nascentis exordio, quando terra erat *inanis & vacua*, Gen. 1. cap. v. 11. vel secundum 70. Interpretes, *invisibilis & incomposita,* ait Deus; *germinet terra herbam virentem*; & continuò, ex mente S. Ambrosii lib. 3. Exaëm. cap. 8. *parturiens tellus se novos fudit in partus; & induit se amictu viriditatis; gratiam fœcunditatis assumpsit, diversisque compta germinibus, proprios suscepit ornatus*--quid describam purpurescentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura, nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias, utrum species amplius florum, an vis odora delectet. Quamprimum vox Numinis operosa, super faciem abyssi insonuit, & alluvionem dispe-

diſpeſcuit aquarum, ſtuporemque brutæ telloris exceſſit, è veſtigio tellus in mõtes diſceſſit, exceſſit in valles, excurrit in planities, & cuncta ſimul in ſtirpes, flores, & arbores germinarunt. Talia miracula hodie meus deſiderat amor; ut Judææ montes & valles amictum induant viriditatis, ut ſubito progerminent flores, verbo, ut via, per quam pulcerrima Virgo progreditur, tota ſit florida, amœna, & pulcra.

Plus deſidero. Audite Judææ montes! ſi in veſtris theſauris & latebris latet aurum, ſi argentum, ſi abſconditas habetis gemmas, ſi precioſa metalla: eia aurum date, date argentum, gemmas & metalla, ut via, quam aurea calcat Virgo, ſit argentea, aurea, gemmea. Capite 3. v. 18. dixit Joël. *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem; & colles fluent lacte, per omnes rivos Juda ibunt aqua, & fons egredietur.* Eia montes Judææ, ubi mellea ſtillicidia? ubi lactei rivuli? ubi dulces aquæ? ubi nectarei fonticuli? ſtillate, fluite, erumpite, ut guſtet pulcerrima Virginum, quàm ſint ſuaves. Quid ſiletis luſciniæ; acuite roſtra, cantillate, lallate, concinite, ſalve pulcerrima Virginum! ſibilate Zephyri, murmurate Favonii, ſalve venuſtiſſima inter mulieres. Choros jungite Nymphæ & Fauni, fiſtulis, cymbalis, citharis ludite, ſalve, ſpecioſa inter omnes fœminas.

§. 11. *Optat Virgini præparari viã auream, melleam, inter ſuavem Muſicam.*

Sed alia ſenſim in me ſuccreſcunt deſideria. O amor meus! ſi tu fuiſſes roſa vel lilium, quàm libenter te ſubjeciſſem Virginis pedibus. O amor meus! utinam fuiſſes arbor in montibus Judææ, quàm libenter inclinato vertice, & ramorum omnium, foliorumque demiſſa ſubmiſſione Dei matrem ſalutaſſem, ejuſque caput, ſuavi obumbraſſem umbra. Utinam amor meus eſſet aurum, vel argentum, nemo calcaret, niſi Maria. Si gemma forem, nullibi lucerem, niſi ſub pedibus Virginis. O ſi amor meus tum fuiſſet mel, vel nectar; fortaſſis illud delibaſſet dulciſſima Maria! Utinam fuiſſet fons? O fontem felicem ſi eadem ex illo bibiſſet. Si contingat amorem meum dulci metamorphoſi converti, in luſciniam, vel Nympham; hoc faciam; ſequar Mariam, & ſine fine vel quiete, cantabo, ſalve pulcerrima Virgo.

§. 12. *Alia auctoris, vel amoris deſideria.*

§.13. *Sub qua arbore Virgo quieverit in mõtanis Iudaæ. Cui quæstioni miscentur pulcra elogia Iesu & Mariæ.*

Sed siste amor! sta! quiesce! en colliculum, in quo sub amœnissima arbore, nonnihil quiescit Maria! Accurrite Nymphæ, advolate Fauni, affluite rivuli, properate aviculæ; adeste cœlicolæ, terricolæ; si jucundissimum spectaculum, si Dei matrem sub umbra arboris quiescentem spectare vultis. Meus amor hic curiosus est, scire enim vellet, qualis illa fuerit arbor. An malus? de qua ait sponsa Cant. 2. v. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* An palma? de qua ait Cant. 7. v. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* An malogranatum, cujus cortices, fragmenta, & carbunculos sponsa adeo commendat. An cedrus? qualis crescit in monte Libano; an rosetum? floridum rosis de Jericho. An areola liliorum? inter quæ pascitur dilectus, & libenter commoratur. Quis, curiosis quæstionibus mei amoris satisfaciet? Perinde est; si malus fuit, sine dubio ultro pulcerrima poma dejecit, in sinum pulcerrimæ Virginis. Si fuit palma; sine dubio permisit decidere dulcissimos fructus; hoc fecisset meus amor, si fuisset illa palma. Si arbor illa, sub qua Virgo quievit, fuit malogranatum; sine dubio, matura poma mox scidit, aperuitque, ut pulcerrima quasi pluvia carbunculorum circa Virginem ex alto descenderit. Hoc fecisset meus amor, si fuisset malogranatum. Si fuit Cedrus; non dubito, quin ex ramis pulcerrimis inter se connexis efformavit tectum, vel umbraculum, supra caput Mariæ. Hoc ego fecissem. Si quievit sub roseto; puto conglobasse se rosas, in molle & roseum pulvinar; lilia aspirarunt odorem suavissimum.

§. 14. *Iesus & Maria, sunt dulcissimi amores.*

Sed quid audio? dum amœnissimas nomino arbores, ex variis locis dulcis resonat echo; dico, Malus; respondet echo, Maria est malus; Jesulus in ejus utero est malus, sub cujus umbra Virgo quiescit. Dico? Palma? reponit Echo, Maria palma est. O quam dulces sunt fructus ejus! Cant. 7. v. 7. *statura ejus assimilata est Palmæ.* Inter hos suaves sonos, sonoras voculas, jungunt, Zephyri, Rivuli, Nymphæ, lusciniæ, unanimiter cantantes; Maria Rosa; Jesulus rosula! Maria lilium, Jesulus lilium; Maria Cedrus, Jesus Cedrus. Cur non addimus nostras

ſtras voces, dicentes; hæ duæ roſæ, hæc lilia, Jeſus & Maria ſunt dulciſſimi noſtri amores! Me quod attinet, amo, amo, amo! pulcerrimam Mariam; Amo, amo, amo Jeſum meum! Vos quod attinet, quantum adverto, idem deſideratis. Eia montes, colles, valles, prata, campi, agri Judææ, reſonate millies: Jeſus, Maria, ſunt pulcerrimi noſtri amores. Eia luſciniæ, inflate pectora, protendite colla, ſolvite linguas, in dulce prorumpite melos. Jeſus, Maria, ſunt noſtri amores. Eia Nymphæ, Satyri, Fauni; inflate tubas, ludite fidibus, pſallite cytharis, tangite tympana, animate cornua; ſed aliud non deſideramus audire melos, quàm hoc; Jeſus, Maria, ſunt noſtri amores.

Verùm ſurgit Maria; pergit abire cùm feſtinatione; ſequi volui. Verùm O Angeli, ſtipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo. Huic umbræ, ex qua exceſſit Maria, ſuccedam ego, ut ibi quieſcam, & dulciſſimi mei amoris, erga pulcerrimam Mariam, indulgeam affectibus. §. 15. Epilogus.



CONCIO LXXV.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Erat in civitate peccatrix.

Luc. 7. cap. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de Mariæ Magdalenæ celeri pœnitentia; vitæ mutatione, dolore, lacrymis, amore erga Chriſtum Dominum.

§. 1. *Cur Magdalena à S. Luca dicatur peccatrix.*

§. 2. *Magdalena ad vocem Chriſti ſtatim fuit converſa. Pulcer apolo-*

§. 1. *Cur Magdalena à S. Luca dicatur peccatrix.*

NObilis pictor fuit S. Lucas, qui inter alia paucis verbis, veluti pulcerrimis coloribus nobis proponit Magdalenam & peccatricem & pœnitentem, primum facit paucis verbis, *Erat in civitate peccatrix.* Dicendo peccatrix, scelerum depingit multitudinem; dicendo, in civitate, exponit gravitatem, ob scandala, quibus malitia peccati valde aggravatur. Dicendo; *Erat,* exprimit consuetudinem quod longo tempore sordibus scelerum fuerit immersa peccavit firmiter deliberate incessanter. De primo ait, D.Gregor. hom.33. in Evang. *Parum erat dicere vana, superba, immunda: unum nomen (peccatrix) est, quod exprimit omnia.* Ut peccatrix antonomastice idem sit quod peccatricum primiceria, peccatorum habitaculum, peccatrix infamis, notoria, scandalosa. Eadem voculâ in simili sensu usus fuit Is. c.1. v.4. dum ait; *Væ genti peccatrici.* explicat, quid intelligat per hanc voculam; *Populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* 70. *legunt. Populo pleno peccatis*, q.d.in hoc populo omnia genera peccatorum firmum habuerunt domicilium. D.Hieronym in c.1. Is. *Ostendit nullam speciem peccatorum in populo non fuisse*, tales deinde sic descripsit S.Paulus ad Rom.1.v.29. *Repletos omni iniquitate, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, &c.* Verum, quid ago, si ego talia applicare velim S. Magd. putabunt mei Auditores, meam concionem non fore panegyrim, sed acrem invectivam in Magd. quod non intendo. Moneo itaque, sive insinuo tantum Mariam Magd. fuisse peccatricem, & hoc nobis in Evangelio proponi; vel, ut loquar cum S. Petro Chrysol. ser.93. *Exag-*

Exaggerat Evangelista mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam largitoris: & ut agnoscamus eo magis, quàm felix fuerit S. Magdalena, quod post vitam impiam duxerit vitam sanctissimam. Talia, & similia vobis proponet hæc concio. Cogitate vos cum Magd. sedere ad pedes Christi.

In hoc fuit felix & prudens S. Magdalena, quod quamprimum audivit vocem Domini, ad eundem accurrerit, quæsitura vulnerum suorum remedium. In hoc primum Christus Salvator noster nobis illam proponit in exemplar: *vides hanc mulierem*, subito in prima concione Christi, quam audivit, cõversam. Elegans ad utilitatem nostram compositus apologus (vel ut S. Aug. loquitur, mendacium) subitam Magdalenæ conversionem eleganter exponit. Sol, sive Phœbus processit aliquãdo ad venationem (utitur hac fabula D. Cyr. Alex. l. 6. de adoratione in spirit.) imaginemini vobis solem, veluti speciosissimũ juvenem; ad venationem se contulit ex amore speciosissimæ Nymphæ, quam sciebat per illos montes insequi cervos. Jacula solis, fuerunt splendidissimi ac fulgentissimi radii, arcus, pulcerrima quædã lux, formata instar iridis. Contigit autem, ut Nympha insecuta cervam profundius intraverit sylvam, tanto ardore, ut ingruente nocte, ignara viarum coacta fuerit intrare antrum, in quo putabat se suaviter quiescere, sine omni cura & timore. O infelix puella: nisi antrum pertransiens Phœbus & miseram intuitus sagittam de pharetra sua in speluncam fuisset ejaculatus, radium scilicet clarissimæ lucis, qua excitata & illustrata Nympha, vidit se jacere inter bufones, colubros & serpentes; quo putatis stupore? quo terrore? quàm attonita? sed sic attonita momento surrexit, fugit ex antro, & veluti vulnerata cerva abjiciens se ad pedes venatoris, quas potuit egit gratias.

§. 2. Magdalena ad vocem Christi statim fuit conversa. Pulcer apologus.

Sol hic, Phœbus hic, venator hic hodierna die fuit Christus Salvator noster. flagrans desiderium venandi ac deprædandi animas de cœlo illum detraxit. Amor pulcerrimę nymphæ persuasit illi deponere vestes gloriæ, & induere vestes venatorias. Amor animarũ fecit illum per 33. annos divagari per desertum

§. 3. Applicatio Apologi.

hujus mundi Matt. 9. v. 35. *Circuibat Iesus omnes civitates & castella.* Sagittæ ejus fuerunt splendidæ & circumamictæ. Pulcra Nympha erat Magdalena, inhians suis voluptatibus. Defectu gratiæ & lucis Spir. S. nesciens neque intelligens, ambulabat in tenebris, donec malus ductor illam in antrum deduxit plenum serpentibus, lacertis, pardis, quorum animalium symbolis Spir. S. gravissima scelera solet adumbrare. Onerata scelerum vinculis q. in tuto jacebat Magdalena, imo ipsa *facta fuit habitatio Dæmoniorum* Apoc. 18. v. 2. *& custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis. Fuit habitatio Draconum.* Jeremiæ 51. v. 37. Requieverunt in illa bestiæ ferocissimæ, repleta erat draconibus venenatissimis, habitabant in illa struthiones, & pilosi in illa saltitabant, erat blanda Siren in delubris omnis voluptatis Isaiæ 13. v. 22. O mulier infelix! nisi bonus Jesus, nisi cœlestis Phoebus succurrisset. Lucidissimus hic venator in concione, in cor Magd. unicam intorsit sagittam, unum verbum, sed luce splendidum, & cognovit, & vidit ubi jaceret. eodem momento surrexit, & in domo Simonis se abiecit ad pedes Jesu. *Primum donum* (Dion. Areop.) *quod datum illi fuit ex respectu ad lumen, fuit cognitio sui.*

§. 4. *Mutatio Magdalenæ, cujus primaria dos fuit cognitio.*

Ad lucis hujus intuitum, in lumine, tam splendidæ sagittæ, in lumine verborum Christi, cognovit animam suam perditam, Deum offensum, infernum dilatatum, dæmones rictibus leonum feroces, ut se sibi faciant prædam sempiternam. Quid putatis? qualis in hac luce fuerit Magdalena? quam turbata, quàm attonita, quã anxia? quomodo palluerit, quomodo conciderint oculi, quàm amarè fleverint, quàm atrociter in pectus contorserit palmas, in quos mox domi sola in conclavi eruperit gemitus? quos singultus, quæ suspiria? Abit mox in aulam interiorem, facta mare lacrymarum; ibi cuncta deposuit ornamenta, ibi confregit specula, ibi aureas laceravit catenas, pedibus conculcavit uniones, & nigrum induta saccum sedit in amaritudine animæ suæ.

§. 5. *Itaque mox remedium.*

Sed ut miserrimum suum statum, sic quoque agnovit, non esse mali remedium apud alium, nisi illum, à quo læsa, à quo capta,

capta, à quo permota fuerat, scilicet apud Jesum Salvatorem, & quasi vle quia audivit, quod in domo Simonis accumberet mensæ, surrexit & confestim eo evolavit; dicens cum sponsa, Cant. 3. v. 2. *Surgam & ibo per civitatem, surgam, ibo per vicos & plateas, surgam & quæram quem diligit anima mea,* dico propterea Magdalenam fuisse felicissimam, & prudentissimam magistram in schola pœnitentiæ, in qua nos docet, ut & nos statim confugiamus ad Christum. Sed quid si unus aut alter ex meis Auditoribus jaceat in antro gravissimorum scelerum, inter bufones & serpentes? in periculosissima quiete? O cœlestis Phæbe! O venator animarum nostrarum, unicam mihi concede sagittam, sed fulgidam, ut intorqueam in has Magdalenas; ut tenebras pellam, ut videant Deum offensum, infernum apertum &c. ut una mecum ruant ad pedes tuos, ut dicamus cum ardenti gratiarum actione, vicisti Jesu, vulnerasti corda nostra, vulnerati sumus caritate, te unum quærimus, & statim, hoc momento. S. Paulus de se dixit, 1. Timoth. 1. c. v. 15. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt.* Eadem hodie nobis loquitur S. Magdalena & ad quam informationem? hanc: momento quo S. Paulus paucis vocibus de cœlo fuit illustratus, quo cœlesti luce fuit circumdatus corruit in terram & clamavit Act. 9. v. 6. *Domine quid me vis facere?* Et S. M. Magd. momento quo in concione à Christo mota fuit, surrexit & pœnitentiã egit. Et vos, hodie si vocem ejus audieritis, hod. festo S. Magd. pœnitentiã agite. alibi ait S. Paulus. Cum autem placuit ei &c. & vocavit per gratiam suam, continuo, non acquievi carni & sanguini -- sed gratiæ, & testimonium perhibet mihi conscientia mea in Spiritu S. *quoniam tristitia mihi magna est, & continens dolor cordi meo.* hæc hodie dicite, hæc agite, cum primis inter peccatores, sed pœnitentes, cum S. Paulo & cum S. Magdalena.

apud Iesum.

§. 6. *Magdalena non distulit*

De Noë ingrediente arcam ait v. 13. c. 7. Gen. *In articulo diei illius ingressus est Noe --* arcam. Cajetanus advertit in he-

converſionem.

bræo legi, *in proprietate diei illius.* quo modo loquendi laudatur in Noë prompta executio D. voluntatis vocantis ad arcam: id eſt, illo die ſtatim hoc fecit Noë, quo hoc illi à Deo fuit mandatum. alii legunt: *In puncto diei illius.* his verbis laudatur Noë obedientia promptiſſima, id eſt, ipſo inſtanti illius diei hoc fecit. & bene, ſtatim enim deinde, *Clauſit à foris oſtium Dominus.* Multa hodie in concionibus afferri ſolent in laudem converſionis & pœnitentiæ S. Magd. ego hoc laudo, quod in articulo concionis, quo à Chriſto illuſtrata fuit, ut cognovit, ſtatim accurrerit ad Chriſtum. In proprietate diei illius hoc fecit; dies illa ab æterno fuit à Deo ordinata, quod illo die à furore ducenda eſſet ad concionem Chriſti, quod illo die eſſet illuſtranda, felix fuit quod eadem die gratiæ vocanti acquieverit; felix quod q. illo momento, illo inſtanti accurrerit Chriſtum. Opto ex viſceribus cordis, ut uni aut alteri ſaltem peccatori hod. feſtum ſit articulus diei feliciſſimæ quâ ſe recipiant ad arcam D. miſericordiæ. Utinam & mihi hoc die, fluat inſtans, ut illo me convertam ad Jeſum meum. O felicia inſtantia, puncta, articulos, quibus Magd. ad pedes Chriſti deflevit ſua peccata. Animæ piæ, quærite hod. die talia aliquot puncta ut &c. ſic de oſculis & lacrymis Magdalenæ, & artibus amoris. Hæreo diutius in primo puncto.

§. 7. Bene fecit Magdalena, proſternendo ſe ad pedes Chriſti.

Secundo; fuit Magdalena feliciſſima in hoc, quod plena ſanctis deſideriis ingreſſa fuerit ædes Simonis, & ibi ad pedes Chriſti in conſpectu omnium hoſpitum, inter quos omnes ſcribæ & Phariſæi, qui illam bene norant, ipſe tamen coram illis ad pedes Chriſti, amare fleverit. Videris hanc mulierem; hæc nos inſtruit, in quibus conſiſtat vera pœnitentia. p. dixit de primo D. Ephrem Syrus. *Cerno ferventis illius animæ* (p. hoc) *magnitudinem; & pulcra illius mulieris honeſtam inverecundiam* vel ut loquitur D. Aug. *Quæ erat peccatrix; quæſivit pia impudentia ſanitatem.* Impudentiæ videbatur eſſe, ingredi domum Simonis, non invitatam, non vocatam, fuit impudentia; ſed pia: ſed amantis. Major impudentia videri potuit, ruere ad pedes viri, illos ſtringere & amplecti; fuit ſed pia, ſed ferventis animæ. Quale ſpectacu-

ctaculum videre fœminā, infamem &c. solvere capillos discriminare, dispergere comas, & iis se alligare pedibus tanti prophetæ. Non impudentia fuit, sed pietas, sed fervor & ardor dilectionis &c. talia opera operatur vera & seria pœnitentia.

§. 8. *Magdalena beatos habuit oculos.*

Ante omnia Magd. felicissimos habuit oculos; erant piscinæ, Cloacæ adulterii &c. sed &c. convertit in fontes lacrymarum, ex contrito corde profluentium! O adolescentes! O Virgines! videtis hanc mulierem! *lacrymis cœpit.* illa scilicet perfecta est pœnitentia, quæ à lacrymis sumit initium. Dum David in diversis psalmis decantat magnalia Dei, ps. 77. v. 20. ps. 104. v. 41. ps. 106. v. 33. ps. 113. v. 8. ait; *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* à variis, proprietatibus alibi petra describitur; Sap. 11. vers. 4. vocatur *altissima* (magna, eminens, ab omnibus conspicua. inscribite, Magd. peccatrix. Deut. 8. vocatur *lapis durus.* &--qui *eduxit rivos de petra durissima.* inscribite, Magd. *peccatrix.* consequenter fuit petra siccissima. & aptissima, ut percussa reddat scintillas & ignem. Nihilominus, percussa virga à Moyse, copiosas dedit aquas. ps. 77. v. 15. *Interrupit petram in eremo &c. & eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquarū* alia miracula hujus prodigiosi saxi videri possunt apud diversos interpretes. Majus hodie cernimus miraculum in Magdalena. Cor ejus erat durissimum, siccissimum, dispositum ad cōcipiendas flammas inferni. Sed dum tangitur virga verbi divini, adeo, anima ejus fuit liquefacta ut non tantum fleverit, sed disrupit Jesus cor ejus, & lacrymas eduxit tam copiose, ut pedes ejus illarum copia potuerit irrigare. O felix Magdalena.

§. 8. *Flevit ubertim ob vim doloris.*

Ex lacrymarum copia, quæ cum impetu (Jobi. 38. v. 8.) ex Magd. oculis decidunt, ego colligo vim doloris, qui illas in ejus corde concitavit. nō enim guttatim effluxerunt, sed cū impetu vehementi veluti efficaciter expulsæ magnâ vi doloris, quo cor illius premebatur; non effluxerunt guttatim, sed ubertim & abundanter, pleno gurgite, nec minori impetu, quàm prodierunt aquæ de illo mirabili saxo. licet murmurarint Pharisæi, illa tamen lacrymas continere non potuit, nimium enim

enim fortis erat in corde dolor, qui eas mittebat de visceribus, veluti de arcu sagittas. Colligo 2. in Magd. fuisse perfectissimam contritionem quæ solet esse scaturigo talium lacrymarum, ideoque fuerunt lacrymæ selectæ & preciosæ, defluentes super pedes Christi, id est, effusæ ex dolore de peccatis propter Deum, propter Christum summè dilectum: lacrymæ Magdalenæ fluxerunt ex merissimo dolore, quod Deum offenderit, talem Dominum, talem Patrem, talem amicum; Videtis hanc mulierem pœnitentes? discite ab illa ex quibus motivis deflenda vobis sint vestra peccata ex magno dolore, ex ardenti amore, ob offensam Dei. Quod Christus ex tali saxo, ex tali petra, ex corde peccatricis, ex visceribus Magdalenæ tales produxerit aquas, fuit opus infinitæ ejus omnipotentiæ, & misericordiæ! de pluvia, de rore quæsivit Deus ex Jobo. c.38. 28. *Quis est pluviæ Pater, aut quis genuit stillas roris.* Si hoc hodie quærere velimus de lacrymis Magdalenæ, quis est illarum Pater, quis genuit illas stillas, quis fecit Magdalenam tam amare flere? aliud respondere non possumus, quàm, Optimus, benignissimus Jesus id fecit. Interrupit primum Magdalenæ cor & pectus, deinde oculos; hinc lacrymæ. Primum, vivo & efficaci dolore pressit ejus cor; deinde oculos, veluti spongiam, hinc ille imber roris, quo rigavit pedes ejus. In diluvio illo magno, quo expiatus est mundus Gen.7. v.11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt.* In illo diluvio, quo submersa sunt peccata peccatricis magnæ, Rupti sunt fontes cordis ejus, & apertæ sunt cataractæ oculorum ejus. hinc copia & diluvium, preciosarum, selectarum lacrymarum.

§.10. *Pia vota Authoris.* O mi amabilis Jesu! quid si de corde alicujus ex meis Aud. dicere possim, quod sit petra altissima? quod sit saxum durissimum? quod siccissimum? tali inscripta hæc vocula, peccator, vel peccatrix. ah Salvator amantissime! timeo ne aliquorum corda ita sint sicca, ut proxime disposita sint (deest unicum momentum infelicis mortis) ad concipiendũ igneũ inferni! & quis emollire poterit hoc durum cor? quis rumpet? quis illud scindet? quis educat lacrymas ut cadant super pedes tuos? Consilium

filium mihi ſuggerit devota pictura Magdalenæ. Solet depingi ſedens in obſcuro antro, tenens in amplexibus crucem; in menſa vel colliculo jacet hinc ſpinea corona, hinc clavi, quibus dilutus ſponſus fuit affixus cruci. O feliciſſima peccatrix: præbe mihi hanc crucem; cede mihi unum ex clavis, recenti ſanguine Chriſti rubrum, concede vel unicam ex ſpinis ebriam diviniſſimo illo cruore. Quæris quare? hac cruce primum verberabo & percutiam cor meum; meo cordi infigam hunc clavum; meum pectus pungam hac ſpina, ut rumpatur, ut doleat, ut amet; his inſtrumentis aperiam, ut fluant lacrymæ ſuper pedes Jeſu mei crucifixi. Ah Aud. deinde veſtra corda denudate; & illa cupio percutere, illa cupio diſrumpere, illa cupio aperire, illa cupio premere vi magni doloris, vi magnæ contritionis, ut ſimul omnes doleamus, ut cum Magd. accurramus ad pedes Jeſu, ut ſimul omnes illos rigemus lacrymis, &c. ut ſimul omnibus dici poſſit, dilexiſtis multum, ite, dimittuntur vobis peccata veſtra.



CONCIO LXXVI.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem.

Matt. 20. cap. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST panegyris, invictæ Patientiæ in tribulationibus.

§. 1. *Varii ſymbolici leones, ſunt ſymbola S. Iacobi Apoſtoli.*

§. 2. *Vita hominis Chriſtiani, eſt continua mortificatio: mixta tamen*

§. 1. Varii symbolici leones, sunt symbola S. Iacobi Apostoli.

INter emblemata & mysteriosas picturas frequenter cernimus leones. Dum his diebus aspexi leonem, dextero pede tenentem galeam & gladiũ cum hoc lemmate; *Hinc victoria,* apud me cogitavi, victoriosus hic Leo, est gloriosissimus Hispaniarum Apostolus, S. Jacobus. hic primus inter Apostolos percussus est gladio, & ab hoc, tam gloriosa illi victoria, tam nobilis triumphus, gladio apprehendit bravium gloriæ. Cum vidi alium leonem præter gladium gestare lauream Cyzici sive ramum lauri, in quo dulces creverunt ficus, cum hac inscriptione, *Et honor & fructus.* cogitavi, hic leo iterum est S. Jacobus; cui gladius, quo pro Christo percussus sanguinem fudit, fuit ramus lauri, ex quo creverunt dulcissimæ ficus, suavissimi fructus honoris & gloriæ; ubique terrarum, sed præcipuè in potentissimo regno Hispaniarum. In alio emblemate stat leo, ore micans, vibrans gladium, jactans sese his voculis, *nec stratus, nec sternar.* S. Jacobus fuit talis leo; gladius acutus illi fuit verbum Dei; quo hostibus Christi & Synagogæ tam fuit terribilis, ut invicta ejus patientia sterni non potuerit. forte vidistis illud emblema strenui militis, in quo pugnax leo dextero pede tenet labarum crucis, cum his voculis, *Purpureum insigne cruentum.* Quam strenuus miles, qualis leo sub hoc labaro crucis fuerit S. Jacobus, ex vita ejus, sanctissima, & morte beatissima patet. Gladius S. Jacobi modo mihi erit symbolum invictæ & gene-

generosæ patientiæ. Fortis mucro strenui militis sitit sanguinem, invicta & generosa patientia pugilis Christiani sitit fundere sanguinem, non alienum sed proprium, id est, multa pati pro Christo! Vel, ut utar verbis Christi, patientia sitit bibere calicem passionis. Itaque excelsæ cogitationes, generosa desideria perferendi multa pro Christo & æterna gloria desideriorum horum præmia & fructus erunt materia præsentis concioncionis, in honorem gloriosissimi Apostoli & Martyris S. Jacobi.

Suavissimis verbis alloquitur mellifluus Bernardus illos, qui bibunt calicem passionis cum S. Jacobo. postquam in præfat. in ps. 90. consideravit & obstupuit molestias, labores, & tribulationes justorum in hac vita, ait. *Mortificamini tota die in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, præter ea quæ intrinsecus sunt, contritio cordium & multitudo tentationum. Mortificamini* (sive ut loquar cum Christo, Joan. 15. v. 19. *odit vos mundus, fletis, ploratis, &c. Mortificamini*, (ut loquar cum S. Paulo, *crucifixi estis cum Christo, aporiamini &c.*) *Sed propter eum, qui mortuus est pro vobis*--- bibitis amarum calicem, sed cum illo & pro illo, qui prior pro vobis bibit-- idemque- *quod si abundat tribulatio vestra, pro eo; abundabit consolatio vestra per eum; apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio, magna quædam consolatio poterit inveniri.* Bene dixit *apud ipsum* & *per ipsum*, & cum ipso, quia solus Deus hoc efficit in animo, ut labores & tribulationes sint consolationes, ut in tormentis inveniat thesaurum. §. 2. *Vita hominis Christiani est continua mortificatio: mixta tamen variis consolationibus.*

Expertus fuit David cum dixit ps. 22. v. 4. *Virga tua, & baculus tuus* (si S. Jacobus nobis hodie loqueretur, diceret, O bone Jesu, dulcis Magister, Calix tuus quem præparasti mihi quem bibi) *ipsa me consolata sunt.* Et quodnam solatium à virga? sæpe ferrea. à baculo, à spinis? quæstioni acute respondit sanctus Hieronymus l. 1. in cap. 5. Jerem. t. 4. *ita omnis labor, omnis correctio, omnis tribulatio--- amara quidem videtur, ad præsens, sed fructus parit dulcissimos.* S. Augustino ad psalmum 12. placuit metaphora rosæ; *sic est, labores, tribu-* §. 3. *Quod expertus fuit David.*

lationes &c. sunt spina, sed--quo pungeris, nascitur rosa, qua coroneris. magna in hoc differentia est inter mundum & Christum D. Mundus offert absynthium amarissimum, sed exterius dulcorat melle, lacte, voluptatibus; ut fallat. Quod subtiliter consideravit S. Ambr. in ps. 1. super illud Apoc. 17. v. 3. de meretrice gestante aureum calicem abominatione plenum, *Vt potus placeret, inquit metalli suffragia requisivit, ex se solo quia sufficiens non erat, suffragium ab auro postulavit, ut per visus delectationem inescaret gustum, saporem falleret.* Plane alia est conditio Christi Salvatoris. Clare oculis proponit calicem passionis cum felle, cum spinis &c. Claris verbis suos alloquitur, *potestis bibere calicem &c.* Foris omnia apparent aspera, amara. Sed intus, tolerata pro Christo, pro regno æterno gloriæ sunt mellea & dulcia.

§. 4. *Electi filii Dei magis amant labores, quàm delicias.*

Hinc est, quod excelsi filii Dei magis ament labores, quam delicias. hinc est, quod dura & aspera pati desiderent: Triste Job. 2. v. 8. oculis meis obversatur spectaculum, dum mihi imaginer Jobum sedentem in fimeto, plenum ulceribus, dignum objectum nostræ compassionis, absorptum doloribus, contemptum ab omnibus, irrisum à propria uxore. in tristissimo tamen spectaculo satis admirari non possum invictum ejus animum, generosam ejus patientiam, in doloribus gaudium & ardens desiderium patiendi plura, & sic enim ait c. 6. v. 10. *Et hac mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Sed prioribus malis addat nova & recentia. Rabi David advertit, affligere, ob voculam hebræam Sabad, idem esse ac urere aut incendere, ut hic verborum Jobi sit sensus, *Vnica tamen hac mihi erit consolatio, si me exurat & incendat.* Rabi Abraham ait, affligere idem esse quod interficere. hoc sensu Job dixit, *Si interfecerit me Deus subsiliam (exultabo præ lætitia)* Rabi Moyses sic legit cit. versum, *Roborabo me in infirmitate mea;* scilicet, ut plura & majora bibam ut largius bibam ex calice passionis. Alii legunt, *Et orabo in dolore meo,* id est, laudabo Deum meum, Jesum meum, qui me affligit, qui me urit, qui me incendit; benedicam nomini ejus. imo deprecabor, obtestabor, obsecrabo ut affligat magis, petam doloris incrementa & acerbiores cruciatus. O virum armatum

matum gladio heroicæ patientiæ! omnia amisit, undequaque est pressus angustiis, à planta pedis ad verticem capitis non est in eo sanitas, intus, exterius premitur doloribus & orat pro doloris incremento! patet in Jobo bene dixisse S.Gregorium l.6. c.17. *Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum fit, dulce æstimat; omne quod affligit requiem putat; transire & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam possit; funditus extingui in infimis desiderat, quo verius ad summa conscendat.* In quibus verbis fons & origo aperitur, unde fiat quod justis amara sint tam dulcia, gravia tam levia, integri anni dolorum, tam breves, unde afflictio sit consolatio quare spinæ sint rosæ, quare scintillæ guttæ balsami, quare laquei, aureæ catenæ; quare labor sit quies; fons & origo est fortis in Deum & Jesum, quem qui semel ardenter amat, cujus mens in illum forti intentione dirigitur, pati desiderat, & multa pati, & plura & majora. quod ita verum est, ut aliquis ex antiquis Patribus in prato spirit. l.2.c.3. de perseverantia, dixerit: *Si locus, ubi nunc pater noster Abraham moratur, capax esset pœnæ & doloris, doleret* (v.g. Lazarus) *non plus pœnæ sustinuisse, quam sustinuit, videns illud multum, quod Deus meretur* (vel quod Jesus crucifixus &c.) *& dona quæ præbet diligentibus & videntibus illum.* Si sancti in cœlis, si S.Apostoli, si S.Jacobus; si tot inclyti Martyres sitire possent, sitirent bibere calicem passionis, sitirent plus pati pro illa indicibili ac ineffabili summi Dei majestate pro dilectissimo Jesu, pro incomprehensibili illa gloria & felicitate qua fruuntur.

Hic aliquid occurrit observatione dignissimum, frequenter in diversissimis concionibus de diversis sanctis præcipuè Martyribus dico grandia, sublimia, excelsa in laudem tribulationis. quanta dignitas, qualis thesaurus lateat in afflictione. quanti Deus æstimet, quam delectetur, quàm honoretur & glorificetur si homo justus pro se aliquid patiatur; ex verbis citatis antiqui Patris notate, sic præclarum altumque esse pro Deo pati, in gloria, (si fieri posset, vel fieri vellet Deus) ut hoc privilegium, hanc prærogativam, cœlestis Pater soli Filio, soli

§.5. Deus magni æstimat nostras tribulationes.

Jesu Christo redemptori nostro concesserit, dispensans cum illo, & eximens illum à communi regula, scilicet ut etsi anima beatus esset, etsi clarè Deum videret, & illo frueretur, tamen in terris pati potuerit, mori potuerit, crucifigi potuerit, verbo, potuerit bibere calicem passionis, licet esset fons vitæ, & omnis perennis gaudii flumen. Quod privilegium apud SS. Trinitatem in tanta est æstimatione, ut nec Matris sacrosanctæ (ultra loqui non libet) voluerit cum Filio esse commune.

§. 6. *De Christi verbo in cruce sitio.* Ideoque etiam privilegium hoc à Filio sic fuit appreciatum, tantique factum, ut jam morti in cruce appropinquans, in gravissimis doloribus petierit plus pati, alta voce exclamans, Sitio. ubi p. S. Bern. tr. de pass. dom. c. 3. *Quid est hoc, bone Iesu? antequam gustes, petis calicem omnino auferri, & postquam bibisti, sitis? mirabilis potator es tu. nunquid vino jucunditatis & non potius vino compunctionis, & summa amaritudinis repletus fuit calix tuus, imo vero compunctionis amarissimæ plenus est, qui non sitim, sed potius potandi fastidium generare deberet.* p. respondet sanctus, id eo ante passionem recusasse calicem passionis, non ut passionem declinaret, sed ne aliquis putaret Christum D. non sensisse passionis amaritudinem, ob unionem divinitatis, ob gloriam animæ beatissimæ. Omnino, his non obstantibus sensit Jesus spinas, sensit clavos &c. p. *Sed post dicens sitio* (O bone Jesu) *dilectionis erga nos tua magnitudinem commendasti, quasi diceres: quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantum ad humanitatis sensum illam declinare potuerim; tamen tua homo, me caritate vincente, & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura & majora, si necesse fuerit, sitio subire tormenta* Si autem piissimus Jesus ex caritate erga hominem desideravit plus pati, quænam putatis desiderasse ex amore Patris pro ejus gloria, quem infinita amplius diligebat & amabat? cum verè diligenti nihil magis sit cordi, quàm pro amato pati.

§. 7. *Affectuosa causa, ob quam apertum fuerit* Hic discursus doctissimo S. Scripturæ interpreti causam dedit dicendi, subtilissimè & affectuosissime, sanctissimum Vulnus lateris & cordis Christi, post mortem corpori ejus illatum fuisse effectum hujus sitis & Orationis, *Sitio.* Cum enim Pater cœlestis & amantissimus genitor, dulcissimo Filio nollet ampliora

pliora concedere tormenta, neque extendere tempus Passionis, propter reverentiam tamen petentis, vehementissimæque illius sitis patiendi, hoc illius indulsit amori, hoc ardentissimæ concessit caritati, ut etiam mortuus, sine sensu, sine vita adhuc sustineret Vulnus lateris & cordis, ut sicut per foramina manuum & pedum, in vita, in cruce testatum fecerint suum amorem, & desiderium patiendi; ita post mortem adhuc in cruce, per foramen cordis eandem dilectionem declararet. Tanti ponderis est, tantæ excellentiæ, pro Deo posse pati. Hæ & tales considerationes in sanctis M.M. excitant & hactenus excitarunt illam sitim calicis passionis, illa desideria patiendi plura etiam nostris temporibus. *latus Christi, post mortem.*

Cum anno 1633. in Japonia, nobilis pugil, religiosus quidam è Soc. Jesu jam in quartum diem penderet suspensus in scrobe, inter immania tormenta, interrogatus fuit, *ecquid ægre sentiret?* quid expectatis Aud. fortassis quod senserit laqueos, quod contorsionem & divulsionem membrorum, quod continuam suffocationem, &c. non loquuntur talia in tormentis excelsi filii Dei; hoc respondit: Sentire se, quod Imperatorem & omnem longè lateq; Japoniam non posset (ut vehementer optabat, quibuscunque tormentis, etiam novis, quacunque morte) ad Christi sui cultum adducere. §. 8. *Dictum invicti Martyris in Iaponia.*

Heroica fuit patientia inclyti pugilis, cujus in agone post gravissimos dolores, hoc supremum fuit suspirium, hæc ultima verba. *Iesus, Maria, mei dulcissimi amores: vobis vivo, vobis moriar, moriar ad gloriam vestram. Vtinam mille mortes, mi Iesu, amore tui moriar. tantum doleo, quod tam parum amore tui fecerim, & passus sim.* Et tamen inter hæc tentatus à dæmone, respondit, *nolo facere, nolo facere; malo mori millies, malo damnari mi Iesu: tuus sum, non faciam.* §. 9. *Alterius pugilis.*

Talia, tam atrocia patientes loqui non possent, nisi Jesus esset cum illis, nisi hunc amarent, nisi hic illos confortaret, nisi vires & gratiam tribueret. Amor & præsentia Jesu omnia amara reddit mollia, & gravia levia. Cum magnus quidam operarius in vinea Domini fessus & vexatus videretur sibi labori succumbere, vidit coram se Christum gravi cruce onustum §. 10. *Iesus adest constitutis in tribulatione, pro Deo.*

 & au-

& audivit dicentem: Fili, si tua tibi crux videtur gravis, meam aspice: neque tibi persuadeas, quod sine me sis in illa. Etenim tam sum tuus, ut me totum pro te tradiderim. Hinc ingens consolatio, & ardens desiderium patiendi. Et atrocissimi morbi per 5. menses illius patientiam exercuerunt.

§. 11. *Vnde nascatur heroica Patientia.* De quodam Joanne religioso Soc. Jesu ait ejus elogium. Christi dolores meditabatur tenerè & ardenter. inde illi heroica quædam Patientia inter dolores. Cum quædam pia Virgo in precibus illum Deo commendaret, vidit illa Christum D. trahentem Joannem in cœlum quinque rubeis funiculis (quinque Vulnerum indicibus) & audivit dicentem: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Tandem in gravissimo morbo Joannis Christus D. eidem Virgini dixit, *In pace in idipsum dormiet & requiescet.* & ita factum est.

§. 12. *Tribulationes, sunt rosei funiculi.* Quæso vos Auditores carissimi; ne miremini si Deus subinde vobis mittat tribulationes, si vos affligat paupertate, si urat doloribus. Dolores, paupertas, morbi, omnes afflictiones, non sunt nisi rosei funiculi, intincti precioso sanguini SS. Vulnerum quibus Christus D. vos cupit trahere ad cœlum. Sed gravant vincula: urunt dolores; Crux vestra vobis est gravissima; sic est, sed aspicite crucem Christi. longè est illa gravior. & hoc vobis persuadete, sub hac cruce, bonus, dulcis Jesus est vobiscum. Non estis sine illo. Vobiscum est in tribulatione, eripiet vos, & glorificabit vos. Cum ipsi placitum fuerit, quiescetis, & dormietis. Utinam hæ & similes considerationes, quas hac concione proposui, in nobis excitent heroicam patientiam. Cum necessario in hoc exilio debeamus mortificari, crucifigi, affligi, uri; utinam cum mortificamur, id feramus propter eum qui pro nobis mortuus est, propter eum, qui cum S. Jacobo glorificare nos vult æternum in cœlis.

CON-



CONCIO LXXVII.

FESTO S. IGNATII FUNDATORIS SOCIETATIS JESU.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.

Ecclesiastici 44. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEprædicat intensissimum S. Ignatii amorem, erga Deum.

§. 1. *Vitæ sanctorum sunt pulcræ imagines.*

§. 2. *Præsertim Vita gloriosissimi S. Ignatii.*

§. 3. *Deus glorificavit S. Ignatium; & induit illum vestibus preciosis.*

§. 4. *Quantum S. Ignatius amaverit Deum.*

§. 5. *Divinus amor fuit S. Ignatio suavis tyrannus, & tortor.*

§. 6. *Qualis nubes fuerit S. Ignatius.*

§. 7. *Studuit in omnibus placere Deo.*

§. 8. *Testimonium ex bulla canonizationis.*

§. 9. *De continua & jugi oratione S. Ignatii.*

§. 10. *Elevatio mentis ejus in Deum.*

§. 11. *Mirabiles affectus amoris in S. Ignatio.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Visiones admirabiles.*

§. 14. *Deus glorificatur in S. Ignatio.*

SIcut cæli luminaria (inquit Orig. l. 1. in Job.) *ac sidera cunctis indesinenter quæ sub cælo sunt, fulgent: sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi contra agones omnibus singula* §. 1. *Vitæ sanctorum, sunt pulcræ imagines.*

riter luceat, omnibus bonorum fratrum tribuunt, omnibus sub solo pietatis exemplum, ostendunt, ex mente S. Basilii ep. 1. ad Gregor. Nazian. *Beatorum virorum vita literis tradita velut imagines quadam viva ad bonorum operum imitationem proposita sunt.* Ob eandem causam sanctos vocat *statuas spirantes & actuosas*, quia ad sui imitationem nos rapiunt. Philo talium virorum vitas, vocavit, *leges posteriorum.* S. Basilius in Gordium Martyrem: *Virorum qui bene in rep. versati sunt, historia, velut lux quadam his qui salvantur, ad vita viam prafulget.* Et rursum; *Exhortatio ad temperantiã est vita Ioseph. Invitatio ad virtutem est Samsonis historia.* S. Isidorus Hispal. 2. sentent. c. 11. *Exempla sanctorum quibus adificatur homo, varias faciunt consectari virtutes: humilitatis ex Christo, devotionis ex Petro, caritatis ex Ioanne, obedientia ex Abraham, patientia ex Isaac, tolerantia ex Iacob, castimonia ex Ioseph, mansuetudinis ex Moyse, constantia de Iosue, benignitatis de Samuel, misericordia de David &c.*

§. 2. *Prasertim vita gloriosissimi S. Ignatii.*

Omnia hæc verissima sunt in sanctissimo Patre meo Ignatio cujus hodie festivitatem celebramus. Sidus fuit, cujus radii insignium virtutum, cujus beatissimus agon omnibus formam tribuunt excellissimæ perfectionis, & pietatis exemplum S. Ignatius aliud non est, quam viva quædam imago, ad bonorum operum imitationem proposita, & q. imago vel statua actuosa, quæ tot millia sanctissimorum virorum ad sui imitationem, veluti cœlestis magnes attraxit. Historia S. Ignatii lux quædam est, ad vitæ viam aliis præfulgens. Vita S. Ignatii continua quædam est exhortatio & invitatio ad heroicas virtutes; humilitatem ab Ignatio discere possumus, tanquam à perfectissimo imitatore humilitatis Christi. Devotionem tanquam à devotissimo Petro, Obedientiam tanquam ab obedientissimo Abraham. Alter quidam Abraham est S. Ignatius (sic de rel.) Ardentissimam S. Ignatii caritatem, & erga Deum, & erga proximum ad imitationem hac panegyri proponam.

§. 3. *Deus glorificavit S. Ignatiũ*

Usitatissimum est in scriptura ut eximias magnorum virorum virtutes nobis proponat sub metaphoris pulcrarum vestium. quare in hac concione præcipuè intendam laudare heroicas

roicas virtutes S.Ignatii, inter illas ejus amorem erga Deum & proximum, utar illis verbis, quibus cit. Ecclesiasticus laudavit Aaronem. *Excelsum fecit Deus* S.Ignatium; *beatificavit illum in gloria.* lectio græca ait, *Evexit vel exaltavit.* Syrus: *Extulit, super exaltavit.* Vel, *dedit super illum de honore suo & gloria, elegitq; illum in celsitudine honoris sui.* Nam, *circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stola gloriæ. Stolam sanctam, auro & hyacintho, & purpura opus textile,--torto cocco opus artificis, gemmis preciosis figuratis in ligatura auri, corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, & gloria honoris.- Sic pulcra ante ipsum non fuerunt talia.* De omnibus his p. ait Tigurina & ego dico de S. Ignatio. Deus,--*eleganti cultu illum beatum reddidit, & amicivit habitu glorioso*, Alii: *beavit illum præclaro ornatu, & induit eum stola gloriosa.* Syrus: *Induit eum vestibus hyacinthinis.* Ut tot metaphorarum sensum intelligamus, pauca oportet adducere ex sanctis Patribus. Rabanus ait: *Vestimenta hac--hac zona, hac stola* (fiat. p. repetitio.) *non alia sunt quam opera virtutum; quæ vere ornant sacerdotes Domini.* Sanctus Gregorius 2. p. pastor. cap. 3. *In Sacerdotis habitu aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet, cui hyacinthus adjungitur ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat.* Purpura permiscetur, ut sacerdotale cor in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti ex regia potestate contradicat. Quid per byssum, nisi candens decore munditie castitas designatur? Vel, ut loquitur Angelicus Doctor: Vir sanctus, aliquis Ignatius, debet habere jugem Dei memoriam in contemplatione, & hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte; vel nomen Jesus in corde; qualis subinde apparuit S.Ignatius; in veste sanctitatis radiante, in pectore, nomine Jesu; quæ fortassis causa est, quod pingatur in una manu cum libro & lemmate, ad majorem Dei gloriam, in altera, cum nomine JESU, cujus gloriam per terrarum orbem adeo dilatavit. Vir sanctus, aliquis Ignatius debet habere conversationem cœlestem per

& induit illum vestibus preciosis.

operaperfectionis, quod significatur per tunicam hyacinthinam, & coronam in capite, quæ significat honorificentiam divinæ Majestatis, quam in arce status nostri, & super omnia statuere debemus. Ita ut in omnibus actibus nostris, sermonibus & conversatione honorificetur Deus per Jesum Christum D.N. Denique ut veniam ad caritatem S.Ignatii, bis intincto cocco ornatur, ut omnia virtutum bona illa virtute caritatis decorentur, quæ quia Deum & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit.

§. 4 *Quantum S. Ignatius amaverit Deum.*

Hic mihi optarem linguam amoris, dum tentare volo loqui de amore S.Ignatii erga Deum; utinam totus arderem, locuturus de ejus ardoribus. Meta caritatis perfectæ suprema & ultima est, quæ hominem in Deum ita transformat, & eo perducit, ut ducat magis vitam ex Deo & ejus amore, quàm à natura & se ipso. hoc aliquando Ignatius uni in paucis carissimo fassus fuit, se minime victurum, si ad vivendum illas solum haberet vires, quas sibi natura tribuebat; ex quo viri sapientissimi colligerunt, Ignatii vitam potius amori quam naturæ ascribendam esse. Fit subinde ut vegetæ arbori, alia parvula adnascatur, & circumrepat; cui postquam adhæsit, imo inhæsit, una videtur ex duabus arboribus facta, adeo vitali nexu illi est agglutinata; & parvula illa arbuscula viget, crescit, edit fructus quidem suos, sed de succo ductos alieno, aliaque radice. quod de se affirmare voluisse videtur S.Paulus dicens ad Galatas c.2. v.20. *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Talis arbuscula fuit S.Ignatius arbori amoris divini adeo adhærens, inhærens, agglutinatus; ut potius succo illius amoris, quam viribus naturæ vixerit. Radix vitæ illi fuit divinus amor. Vivere ipsius amare Deum. Vivere Ignatii fuit Deum glorificare. Vivere ipsius, etiam in hac vita frui summo bono. S. Ignatius tantam vim sibi impresserat, tantæ necessitatis acquisiverat habitũ ad Deum amandum, ut modo quodam inexplicabili, eo magis amore quam anima viveret. Anima Ignatii erat Deum amare. Ut Medici præstantissimi affirmarint, sine miraculo Ignatium vivere non potuisse. Miraculum fuit, ardens ejus in Deum amor.

Quam-

Quamvis si naturam hujus amoris intimius velimus inspicere, dicere cogemur, hunc eundem amorem, quo vixit & spiravit, fuisse suavem illum tortorem, & amicum tyrannum qui frequenter illum adegit ad ea extrema, ut præ amoris vehementia, & propter cœlestium affectuum impetus & violentam contentionem & propter nimias cœli delicias videretur præfocari; & observatum fuit morbum ejus supremum ortum habuisse ex insolito calore & incendio corporis, sed quod inflammarat animus solito in Deum vehementius exardescens. Cum anno 1550. die Christi Natalis alterum sacrum consequenter fecisset, in eum languorem fuit solutus, ut de vita fuerit periclitatus. Aliis diebus frequentissime post sacrum celebratum alienis manibus in suum cubiculum fuit reportandus, adeo penitus exhaustus ab amore ut nec tres passus valeret procedere. Ignium in corde Ignatii latentium testes erant juges amoris lacrymæ, ex oculis per genas supra pectus & accensum cor defluentes. §. 5. *Divinus amor fuit S. Ignatio suavis tyrannus & tortor.*

Sunt subinde nubes, quæ dum in aquas totæ diffluunt per copiosum imbrem, simul tamen fulgurant, quasi totæ essent igneæ. talis nubes erat Ignatius, solvebatur totus in lacrymas, & totus sic ardebat, ut ex facie, ex oculis, ex ore flamma emicaret: totumque corde incitatius palpitante concuteretur corpus, & rumpendum pectus, venæque laxandæ viderentur. Sic ipse loquitur in suis notatis. Viderunt viri graves non pauci eum fulgore quodam cœlesti undique cinctum, & coruscantem è terra ad aliquot cubitos in aëra sublimem elevari, atque ita suspensum in suavissimas hasce voces prorumpentem: *Mi Deus! amor cordis mei! utinam te homines nossent.* Cum quadam die staret ad altare, Nicolaus Lanoius vidit insidentem Ignatii capiti flammam & ardentem facem; cumque trepidus ad periculum dispellendum accurreret, advertit sanctum abalienatum à sensibus, & dulcibus lacrymis placidè diffluentem, damni ex ea flamma nihil pati; rem divinam esse credidit; si eidem Ignatii animum & pectus introspicere licuisset, sine dubio præter ignes nihil in illo vidisset. §. 6. *Qualis nubes fuerit S. Ignatius.*

§. 8. *Testimonium ex bulla Canonizationis.* Ex hoc amore illud imprimis studuit, ut quæ placerent Deo, faceret semper. Nullum igitur vel minimum delictum in animo suo residere patiebatur. Examine particulari, ut loquimur, minimas etiã erratorũ fibras è mente extirpabat. Singulis horis in animum à rebus creatis avocatũ inquirebat, num quid contra numinis supremi voluntatem admisisset. Et his mediis ad summam profectus est puritatem, quæ certissima est dispositio, ad excipiendam flammam D. amoris. Jam sicut in se nihil tolerabat, quod displicere Domino posset; ita diu noctuque animo aliud non volvebat, nisi qua ratione ipsi maximè placere, ejusque omnem voluntatem explere, & gloriam quàm maximè augere posset. Quapropter in Constit. plus quàm ducenties hæc verba occurrunt, *Majus Dei obsequium, major Dei gloria, Major divinæ Majestatis honos.*

§. 9. *De continua & jugi oratione S. Ignatii.* Bulla Urb. IIX. in ejus Canoniz. ait. *Omnes suas cogitationes, verba & opera in Deum tanquam in finem referebat, & ad Deum & Dei gloriam & honorem destinabat. Atq; hæc verba, ad M.D.G. uti symbolum in ore semper habebat.* Tantus fuit hic zelus & ardor, ut ad Christi obsequium, & pro salute unius animæ, etiam Dei visione diu carere, imò ausus fuit dicere, inferni pœnas ex Dei voluntate tolerare, non fore sibi gravia; sed hoc, audire damnatorum blasphemias contra Deum. Talia loqui non potuit, nisi lingua ardentis amoris in Deum, qualem igneus Ignat. habuit.

Flammas divini amoris in suo corde nutriebat & vehementer augebat, continua & jugi oratione, tum mentali, tum vocali, in qua facillime ad divinarum rerum notitias, revelationes, visiones & ecstases elevabatur. Præterea exemplo Christi certo tempore secedebat, & locum superiorẽ ascendens, ut sicut corpore, ita animo cœlo esset vicinior; Ibi vel stabat corpore immoto & fixis in cœlum oculis, vel flectebat genua, vel humili in scabello ob corporis imbecillitatẽ considebat. Tum verò amore in Deum ita accendebatur, ut voces hæ late audirentur, Domine quid volo extra te, Vel. quàm sordet &c. fluebant interea perennes ex ejus oculis lacrymarum rivuli, incendii indices interni. Post peractum missæ sacrificium duas integras horas ita

tran-

transfigebat, quibus ad illum nemini patebat aditus. Qui tum temporis illum observarunt, vultum ejus cernebant miro quodam splendore coruscare, eumque tanquam hominem cœlestem attoniti intuebantur. Moysi illum comparabant, quod facie ad faciem Domino loqui videretur;& quod ex consortio Dei splendida esset ejus facies. Nocturnum tempus trifarium fuit partitus. Unam partem gubernationi, alteram quieti, tertiam tribuebat orationi; & coronam B.V. semper ad lectulum secum asportabat.

Hæc vero familiaritas Ignatii cum Deo nequaquam precandi &sacrificandi spatiis definiebatur; Deo se ubique, & quoties vellet, & quidquid ageret, præsentem sistebat; conclave q. suũ fenestella jussit aperiri, qua in August. sacram. pateret prospectus, unde velut alter Daniel ex cubiculi secreto illuc intentos haberet oculos, ubi totus animo habitabat. Si Musicæ concentum audiret, si flosculũ aspiceret &c. mentẽ illico ad Deum elevabat, agnoscebat laudabatq; bonitatem, sapientiã &c. Conditoris. Cum nomen benedictum Jesu audiret, velut in flammas insilisset, animo totus & vultu ardebat. Præcipuè singulis horis animum ad se revocabat, intentiones, dicta, factaq; coram Deo perfectionis sanctitatisq; trutina examinabat, ponderabat, præteritas actiones considerabat, futuras ordinabat, providens D. in conspectu suo semper. Orbes cœlestes, & astra errantia, tametsi varii agitentur motibus, solem tamen suum perpetuo intuentur, atq; qua parte illi obvertuntur, radiis ejus illustrantur. Tale sidus fuit S. Ignat. licet flamma D. amoris accensum varie moveretur, per occupationes innumeras solem tamen suum, Deum suum, Jesum suum, semper aspiciebat, & ab eodem accensus semper magis ardebat. §.10. *Elevatio mentis ejus in Deum.*

Hunc ardorem puto optimè explicari posse verbis quibus ipse usus fuit in suis notatis sic ait; *Totum vero me ad Dei amorem commoverunt, interior exteriorq; affatus, cujus mihi concessi divinitus tanta interior erat harmonia, ut eam non possim exponere.* Cœlestis, suavis, dulcis musica & harmonia fuit amor S. Ignatii. Item, cum me commendarem B. Virgini, ait, sensi me attolli in conspectũ Patris, capillos erigi, commoveri universum corpus §.11. *Mirabiles affectus amoris in S. Ign.*

ingenti ardore, quam consecutæ lacrymæ, cum sensu pietatis vehementissimo. Ardor fuit amor S.Ignatii. Tantam expertus sum cognitionum, congressuum, gustuum divinorum exuberantiam, cum perpetuitate lacrymarum, & vocis deliquio, ut Deum & Dominum, quoties nominarem viderer mihi penetralia subire, cum obsequio & admirabili humilitatis reverentia, ut videatur inexplicabilis. Exuberantia, deliquium fuit amor S. Ignatii! Post orationem (sunt rursum verba S.Ign.) novi motus interiores, iique insoliti, singultus & lacrymæ, totus in amore Jesu: verbis votisque præoptando cum illo mori, quam cum ullo alio vivere. *Unio cum Iesu* fuit amor S.Ignatii! Dum paratur altare, & occurrit animo Jesus, sentiebam me agi ad sequendum illum; hoc consilio, ut imprimeretur mihi tam alte nomen Jesu, & tantopere confirmaretur; cum lacrymarum copia. Imitatio Jesu fuit amor S.Ignatii.

§. 12. *Prosecutio.* Restant plurima, quæ sequuntur omittere non possum. Colloquenti mihi cum divina Majestate obortus est fletus ingens, amorq; tantus ut viderer mihi supra omnem modum conjungi; nec tam excellenti hactenus, tam rara, & amoris tam lucidi, dulcisque gratia potitum. Deinde ad altare, affluxus lacrymarum major, singultuum & intensissimi amoris. omnia erga SS. Trinit. Ad illa verba, placeat tibi S. Tr. &c. occupatus sum immenso amore, & exundatione ardentium lacrymarum, & hæ omnes de cœlo gratiæ, tendebant in SS. Triadem, à qua deducebar, & in ejus amorem trahebar. Tanta erat amoris illius suavitas, ut non possem inde abscedere. Reliquo die, domi foris, in urbe redibant amoris impetus vehementes, repetita memoria sacrosanctæ Trinitat. Talis fuit amor S. Ignatii.

§. 13. *Visiones admirabiles.* Qualis, quantusque fuerit, cum vidit spiritum S. & sensit in claritate expressa; & colore flammæ igneæ, modo insolito; cum vidit cœlestem Patriam, cum intuitus fuit SS. Trinitatem, & Jesum, cum magna amoris plenitudine cum nova accessione amoris; cum vidit essentiam divinam vel instar solis, vel instar sphæræ, cum amoris cumulo, cum ingenti motu, cum profusissimis

ſimis lacrymis, vehementibus affectibus, cum varia multaque notitia ſanctiſſimæ Tr. cum caritate ardenti, cum guſtu divinorum, cùm illa reſolutione, prout dixit: Jeſum videns, audiens, tanto amore incendebar, ut fore unquam tam potens aliquid non putarem, quod me poſſet ab eo ſejungere. Aliæ phraſes S. Ignatii ſic ſonant. Motus grandiores, ſuſpiria ex imis prodeuntia præcordiis: ſumma lætitia ex interno ſermone cum Deo. Sermo quidam internus, Muſica quædam admirabilis. Devotio vehementiſſima: Raptus uſque ad conſpectum Patris. Illuſtrationes, cognitiones de SS. Tr. frequentes, ſuaves, lucidæ, illarum ſuperabundantia; quâ omnia præcordia penetrabantur. Omnia ex amore Jeſu. Impreſſio nominis Jeſu. Modus quidam exceſſivus, quo illi jungebatur. Copia amoris vehementiſſimi; Inundatio copioſarum lacrymarum. Tanta amoris ſuavitas, ut divelli non poſſet; acres amoris impetus. &c.

Ex his colligite, qualis & quantus fuerit S. Ignat. in amore Dei. In laudem aliarum heroicarum virtutum, quibus pulcerrimum hoc ſidus, hic ignis, hæc ſtella, hic ſol caritatis, S. Ignatius radiat, & quidem Dilectionis erga proximum prout propoſueram, modo excurrere non licet. Itaq; ut hanc panegyrim finiam, moneo hunc ſanctum variis de cauſis à me ita laudari, prout jubet Siracides, *laudemus &c.* Laus ſanctorum, laus S. Ignatii eſt laus Dei. hic, ut in S. Ign. fuit laudabilis, mirabilis & glorioſus, ſic in eodem laudatur. Gloria operis, & gloria artificis. Gloria picturæ, gloria pictoris; & gloria S. Ign. eſt gloria Dei. Eccleſ. 44. *Multam gloriam ſibi fecit Dominus.* Tigurina. Dominus per hos multam gloriam ſibi peperit. & præcipuè per S. Ignat. Deinde, Eximia virtus, SS. eximia ſanctitas S. Ignatii meretur laudari. Proprium virtutis præmium, eſt laudis elogium; præſertim in illis, qui omnem laudem humanam, quam merebantur, fugerunt, & ſponte abdicarunt, omnemq; mundi gloriam calcarunt, ut divinam promoverent. Celebrari jam vult Deus S. Ignatium, qui dum viveret, ſtuduit humilitati, amavit latere, & nil quæſivit in omnibus, niſi majorem

§ 14. *Deus glorificatur in S. Ignatio.*

Deî

Dei gloriam. 3. Virtus laudata crescit. S. Bern. *Armantur filiorum animi, dum Patrem recensentur triumphi*, ait S. Eucherius. & teste Nysseno in encomio S. Basilii; Potior in nobis sanctorum laus, illa est, quæ per opera etiam præstatur & repræsentatur à nobis. Hoc verò quid est, nisi ut per memoriam v.g. Vitæ & virtutum S. Ignatii, quem celebramus, vita nostra etiam melior efficiatur. Sic igitur fratres etiam nos,--humilitate v.g. humilem Ignatium imitantes, vel amore Dei, ardentissimum hoc amore Ignatium &c. factis nostris virtutem ejus potissimum laudemus, & itidem in cæteris omnibus, præsertim zelus majoris Dei gloriæ, participatione illius zeli, repræsentetur. Laus paupertatis S. Ignatii, per hoc, ut etiam nos mundum contemnamus. Contemptus hujus testis sit vita nostra.

§. 15. *Epilogus.* Votum meum præcipuum est hoc, S. Ignatius, tradita pueris fidei elementa, brevi ad cæteros adhortatione solebat claudere, his fere verbis. Deum amate toto corde, tota anima tota voluntate; quæ ille dum diceret, sic incendebatur, ut illius igne etiam Auditores urerentur; ut illis igneis verbis plurimi velut hærente jaculo confixi, in Dei etiam amorem exardescerent. O S. Ignati, accende his flammis indignissimi filii tui pectus, accende linguam ut & ego totus ardens dicam meis Auditoribus, Amate Deum ex toto corde &c.

CON-



CONCIO LXXIIX.

FESTO S. LAURENTII.

Nisi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit.

Joan. 12. cap. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEprædicat heroicam & invictam S. Laurentii in tantis tormentis constantiam.

§. 1. *Vicit S. Laurentius heroes Antiquitatis.*
§. 2. *S. Laurentius talia patiendo, factus est gloriosus.*
§. 3. *Quis dici possit animus invictus.*
§. 4. *Qualis fuit in S. Laurentio.*
§. 5. *Animus S. Laurentii, exemplo Tobiæ, fuit immobilis.*
§. 6. *S. Laurentius, fuit filius Dei.*
§. 7. *Invicta ejus constantia.*
§. 8. *S. Laurentii elogia ex SS. Patribus.*
§. 9. *Passio S. Laurentii fuit triumphus.*
§. 10. *S. Laurentius insultat tyranno.*
§. 11. *Cum ingenti gaudio.*
§. 12. *Tormentorum omnium Victor.*

TErtullianus in Apologetico c. 50. contra gentes, dum admiranda facta heroum inter Ethnicos commendat, ait inter alia. *Apud vos quoque O gentes, Mutius Scævola dexteram suam libens in ara reliquit. O sublimitas animi!* Empedocles totum se Catanensium ætneis incendiis donavit. O vigor mentis! Regulus, ne unus pro multis ho- *§. 1. Vicit S. Laurentius Heroes antiquitatis.*

ſtibus viveret, toto corpore cruces patitur. O fortem virum, & in captivitate victorem! Anaxarchus cum pilo contunderetur, *tunde, tunde*, ait, *Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*. Attica meretrix carnifice jam fatigato, poſtremo linguam ſuam comeſtam in tyranni ſævientis faciem expuit, ut expuerit & vocem, ne conjurata confiteri poſſet, ſi etiam victa voluiſſet. Zeno Eleates, conſultus à Dionyſio, quidnam philoſophia præſtaret, cū reſpondiſſet, *contemptum mortis:* flagellis tyranni objectus, ſententiam ſuam ad mortem uſque ſignavit. O conſtantiam! pulcerrima elogia, quibus glorioſum Laurentium cujus hodie celebramus feſtivitatem commendare poſſum. Hic eſt inclytus illi Martyr qui non ſolum dexteram, ſed totum corpus in ignea ara Deo obtulit in holocauſtum. O ſublimitas animi! hic eſt ille heros, qui ſe totum donavit incendiis. O vigor mentis! hic eſt ille pugil, qui toto corpore paſſus eſt flammas, ut viveret cœlo. Quid agitis lictores. Laurentii corpus, membra uritis & aſſatis, non Laurentium! O fortem virum! ſuper prunas, in craticula, inter flammas victorem. Aduſtam linguam ſolvit in verba, non ut gemat, ſed ut vobis inſultet, ut veſtram crudelitatem irritet magis. Amorem ſuum in Chriſtum, contemptor mortis, ſua morte conſignat. Agite Auditores, præparate aures & corda, proſequar laudes glorioſiſſimi hujus martyris.

§. 2. *S. Laurentius talia patiendo, factus eſt glorioſus.*

Quod S. Chryſoſt. ſer. 32. de patientia Job, eleganter de illo dixit. *Niſi* (malus dæmon) *corpus vulneribus perterebraſſet interiores radii non emicuiſſent; niſi in ſtercore conſtitiſſet, divitias ejus non noveramus*: illa mihi loqui lubet de glorioſiſſimo Martyre S. Laurentio. Niſi tyrannus juſſiſſet illum torqueri & craticulæ imponi; niſi carbones & flammæ ejus corpus undique perterebraſſent; niſi ignis aperuiſſet undiq; hiantia vulnera in aduſto corpore, radii invictæ patientiæ, radii generoſæ conſtantiæ, radii amoris, qui latebant in corde, non emicuiſſent. Niſi Laurentius fuiſſet aſſatus, non ſciremus divitias gratiæ quibus illum prævenit Dominus. Niſi fuiſſet aſſatus, non ſciremus, quam glorioſus fuerit pugil.

Libro

Libro 4. quod omnis probus sit liber, ait Philo. *Spectavi aliquando certantes, alterum obtundentem pugnis, totis viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum & incoronatum discedere: alterum tanquam saxeum ferreumque nihil plagis cedere, solaque patientia superare adversarium, & ad extremum adipisci victoriam.* Huic similem bonũ virum censeo, qui valide confirmatus, certo animi proposito efficit, ut adversarius prius animo dilassetur inferendo injurias, quàm ipse quidquam agat præter animi sui sententiam.

§. 3. *Quid dici possit animus invictus.*

Elegantius describi non potest certamen inter Laur. & tyrannum. Jubet hic fortem pugilem tundi pugnis, jubet distendi in catasta, jubet torqueri in equuleo, jubet lacerari ungulis, jubet includi tenebricoso carceri; totis viribus contendit ad victoriam. conspirant tortores, conspirat orcus, conspirat idololatria ut unus vincatur Laurentius. Catastæ, equulei, ungularum victor tandem extenditur in craticula, alligatur catenis, subjiciuntur ligna & carbones, accenditur ignis, excitatur incendium, assatur vivus Laurentius, ut vincat tyrannus. Non vicit, lassus & incoronatus fuit coactus discedere. S. Laurentius tanquam saxeus ferreusque vir non cessit tormentis; sola patientia vicit adversarium, & adeptus est victoriam. Laurentius validè confirmatus, à suo duce Jesu. valide confirmatus, à spe cœlestis gloriæ; valide confirmatus à præsentia SS. Angelorum; valide confirmatus à superna gratia, valide confirmatus ab ardore sui amoris, quo fragrabat in Christum, imò confirmatus validè, ab ipsis flammis, quibus pro Christo & gloria cœlesti urebatur corpus, certo animi proposito effecit, ut prius tyrannus & carnifices fuerint dilassati inferendo tormenta, quam ipse quidquam egerit, quod non fuerit conforme Christianæ & heroicæ patientiæ. Hac vicit, hac triumphavit, hac gloriosam obtinuit lauream cœlestis gloriæ.

§. 4. *Præsertim in S. Laurentio.*

S. Tobiam S. Scriptura valde commendat c. 2. v. 14. *quod non sit contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerat ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ*, & S. Job laudatur cap. 7. v. 22. quod in omnibus illis

§. 5. *Animus S. Laurentii exemplo Tobiæ, fuit immobilis.*

 (scili-

(scilicet tot tribulationibus) non peccarit labiis suis, neq; stultum quid contra Deum locutus sit, imò, quod benedixerit dicens: Dominus dedit &c. De quo p. S. Ambr. l. 2. de interpellatione Job c. 2. *In stercore sedens, in tantis vibicibus, & sævi doloris vulneribus, totum corpus diris perfusum ulceribus, mysteria loquebatur, fortiores itaque sermones ægri hominis, quam illorum, qui non ægrotabant, ideo quod non carnis gemitus, & corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur, quibus urgeret, non quibus cederet.* Eximia hæc laus inter gloriosos Martyres, sancto Laurentio præcipuè debetur. multi plexi sunt capite, multi secti &c quid tamen locuti sint, non ita referunt historiæ. de S. Laur. scimus, quod in gravissimis tormentis super prunas, non tantum non contristatus fuerit interius contra Deum, sed quod præterea manens immobilis, dixerit, *gratias tibi ago &c.* (vide vitam) super prunas jacens, in tantis vibicibus, in sævis vulneribus jam ustulatis à flamma, mysteria locutus est. Nulli auditi sunt gemitus carnis, quod assarentur brachia, quod caro vi flammarum deflueret de pectore, quod medulla ebulliret ex ossibus quod effluens sanguis accenderet carbones; Voces spiritus fuit locutus, quibus non cessit, sed ursit carnifices ut torquerent magis, tyranno ausus dicere, *assatum est &c.* O victoriam! O triumphum.

§ 6. S. Laurentius, filius Dei.

Cum Centurio sub cruce audivit Christum D. in tantis tormentis ad Patrem cœlestẽ pro suis crucifixoribus loqui tam suaviter *Pater ignosce* illis *&c.* exclamavit Matt. 27. v. 54. *Vere filius Dei erat iste.* Marc. 15. S. Bern. ser. 28. in Cant. *Ex voce agnovit filium Dei, & non ex facie.* Simile aliquid dicamus in laudem S. Laurentii; Positus super prunas, gratias agit Deo. *Vere est filius Dei*: verè est gloriosus Martyr. Assatus ait, versa &c. ut ostendat se desiderare pati longè plura; urget ad hoc tyrannũ verbis fortibus; *Verè filius Dei.* Sic loqui in tormentis, in afflictionibus laudare Deum, non est opus humanum sed divinum. Fuit in hoc S. Laur. ut S. Paul. loquitur ad hebr. 11. v. 17. *in parabolam*, h. e. *in figuram Christi.* i. e. ut volunt S. Chrysost. & Vatabl. *in exemplum.* Theophylactus & Oecumenius, *in typum mortis Christi*, vel ut alii,

alii,in exemplum *& prodigium omnium sæculorum.* Certe si hodie possem, florido serto Laurentium jacentem in craticula, ornarem & circumvolverem scedulā cum aureis his voculis. Prodigium gratiæ! prodigiū patientiæ: prodigiū invictæ constantiæ.

Ut dicere cogar cum S. Chrys. l.3. in Job; Non solum omnes homines, non solū tortores &c. sed puto, quod & audeo dicere (advertere potuistis me insinuasse S. Chrys. loqui de Job, ego illi⁹ verbis utar in laudē S. Laur.) puto & dico, etiam ipsos Angelos, atq; omnes dæmones perterruit tolerantia Laurentii atq; constantia; cum terra & lutū superavit omnē virtutem ac fortitudinem, atq; omnē versutiā malignissimi diaboli qui per tyrannū Dec. hæc in eo exercuit, quæ omnia corda in pavorē deducunt, & omnem animam stupere faciunt Hominem nudum jam plenū vulneribus, laceratis omnibus membris, omnibus illis membris extendi & alligari igneæ craticulæ; hominem toto corpore assari! omnes nervos, musculos, arterias, ossa penetrari à flamma! quis ex vobis non horret! quis non stupet! quis non pavet? omnem hanc tyrannidem in S. Laurent. exercuit Satan & sæva crudelitas; sed virtutem, sed fortitudinem Satanæ, vicit, triumphavit, superavit, constantia & fortitudo S. Laurentii! prodigium gratiæ! vivum Jesu crucifixi exemplum. §. 7. *Invicta ejus constantia.*

Latissimus panegyri meæ sese aperit campus, si S. Laur. invictum animum & generosam patientiam laudare velim illis verbis, quibus SS. Patres alios gloriosos Martyres deprædicarunt. Dicere potero cum S. Hier. *tenetur in carcere, vinculis stringitur* (& q. in ignea craticula) *pœnalibus tenebris coarctatur jam laceratus ungulis, eductus super imponitur prunis, sed non sentit injuriam, non dolore cruciatur, non novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare-- nisi Deo gratias agere, nisi aspirare ad Christum.* Dicere possem cum Tertulliano; *fortia agere docuerunt nos Romani. fortia pati nos docuerunt invicti Martyres, & inter* illos hoc docet S. Laurentius. Passus est atrocia! hæc fuit ipsius victoria, hæc palmata vestis, hic triumphalis currus. Alloqui possem S. Laurentium verbis, quibus S. Chrysostomus allocutus viros fortes illa super verba S. Pauli ad hebr. 10. vers. 37. §. 8. *S. Laurentii elogia ex SS. PP.*

 adhuc

adhuc modicum, nam qui venturus est, veniet & non tardabit; Unum tibi adhuc deest, O gloriose Laurenti! ut scilicet perseveres, & expectes futura--ad ipsam jam coronam proximus factus es. certamina cuncta sustinuisti, vicisti tribulationes,---flammas- Quid ergo restat? Sta Laurenti, ut coroneris. hoc age, ut paululum expectes adventum coronæ. Vel ita loqui possum cum S. Jacobo ex c.5. v.7. *Patiens esto*, Laurenti! *usque ad adventum Domini*; *ecce agricola expectat preciosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum imbrem*; patiens *esto & tu, confirma cor tuum, quoniam adventus domini appropinquavit.* Fecit omnia S. Laurentius. Perseveravit; in tormento atrocissimo. expectavit futura. grave certamen sustinuit, stetit, expectavit adventum Domini; patiens fuit, & coronatus est; Venere SS. Angeli, adfuit Christus Jesus deducens insignem victorem ad triumphum gloriæ immortalis.

§.9. *Passio S. Laurentii fuit triumphus.*

Sic Passio S. Laurentii fuit triumphus Dei pro Christi nomine cum enim Roma vidit illum tanta perseverantia jacere in craticula inter flammas, cum Roma audivit illum gloriari in suis cruciatibus; sine dubio odor notitiæ Dei fuit disseminatus inter cives Romanos; multos sine dubio subiit tacita cogitatio, quod nisi verum fuisset Evangelium, nunquam sic S. Laurentius suo sanguine defenderet. O eximios triumphos! in uno Laurentio fides vicit infidelitatem, veritas mendacium, Religio idololatriam, mansuetudo crudelitatem, caritas Christi tyranni furorem, Patientia carbones & flammas. Gratulor sancto de tam eximiis triumphis. S. Chrysostomus hom. 25. in Matth. ait de Apostolis, quod torrente totius urbis in se pariter irruente, tyrannorum scilicet atque pop. Judæorum atque gentium, pulsata fluctibus rupe fortius steterint. Talis rupes in suis tormentis fuit S. Laurentius, non inter fluctus aquæ, sed inter flammas. S. Laur. caritate Christi ornatus tyrannos ipsumq; adeo Decium, velut quosdam culices æstimavit; hac, mortē, cruciatus, carbones accensos &c. & mille supplicia ludum putavit esse puerorum. libentius excepit verbera & vulnera, quam alii bravia

bravia diripiunt. hac, labores non minus quàm requiem, dolores non minus, quàm præmia, quam triumphales pompas & trophæa dilexit.

Hâc caritate ſuccenſus S. Tiburtius M. ad Torquatum Judicem inſultans & q. triumphans dixit; nos hodie cogitemus illa audire ex flammis, ex ore S. Laurentii ad tyrannum. *Applica equuleos, ſuſpende Chriſtianos, damna, percute, incende, univerſa denique ſupplicia adhibe. Si ignes mineris, majora his in cupiditatibus incendia vincimus -- decerne quicquid libet, omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſciētia, ubi ardet amor Chriſti ubi viret ſpes futuræ gloriæ.* O Rupem inter flammas! O virentem laurum inter ignes! O glorioſum S. Laurentium! tormentorum & cruciatuum victorem. §. 10. *S. Laurentius inſultat tyranno.*

Marcus & Marcellianus fratres, cum pedes eorum clavis ſtipiti eſſent confixi pſalluerunt, dicentes: cogitate vos audire pſallentem S. Laurentium in craticula. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Nunquam tam bene epulati ſumus, quia modo cæpimus eſſe fixi in amore Chriſti. O me beatum? ferreæ & ignea catenæ, quibus alligatus ſum craticulæ, ſimul me ligant cum amore Chriſti. flamma quæ urit & accendit corpus; ſimul in anima excitat & inflammat amorem Chriſti. Iam, dum uror, dum aſſor, ſervus ſum Chriſti. Vtinam O tyranne, me hic eſſe permittas, quamdiu hujus corporis tegor indumenta. Interim verſa, manduca &c.* S. Agapetus Martyr, puer 15. annorum furori Aureliani ſe quaſi adamantem objecit. Virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, aliiſque graviſſimis tormentis cruciatus & dilaceratus, cum in caput ejus congererentur carbones ardentes, gratias agens Deo dixit: Cogitate vos eadem audire ex ore S. Laurentii *videte, ut lictores ſufflant carbones, ut ignem ſub craticula accendunt*; ſic locuti ſunt SS. Martyres; Parva res eſt, ſi caput coronandum in cœlo, comburatur in terra! O quam decorabit corona gloriæ, plagas & vulnera excepta pro Chriſto. §. 11. *Cum ingenti gaudio.*

Omnia tormenta riſit miles Chriſti, manus cruentas increpans, quod fixa non profundius intraret artus ungula. tormenta §. 12. *Tormentorum omnium victor.*

menta, carcer, ſtridenſque flammis lamina, atque ipſa pœnarum ultima, mors. S. Laurentio lucrum fuit. Finxerunt Poëtæ Herculem habuiſſe cor adamantinum, ideoque & laboribus & certaminibus tam heroicis fuiſſe invictum. Chriſtianus Hercules fuit S. Laurent. &c. cujus cor adeo fuit adamantinum, ut nulli vi confringi potuerit. Ferri & ignis contemptor & victor fuit S. Laurentius. Species adamantis eſſe videtur lapis Amianthus, ex quo, quia ductilis & flexilis eſt, textores fila deducunt, ex iiſque telas & vela contexunt, quæ ſi in ignem injiciantur, ardent q. ſed flammis invicta ſplendidiora exeunt. Veſte amianthina tectus videtur fuiſſe S. Laurentius pulcrum & aureum filũ fuit ejus fides, aureum filum fortis ejus ſpes &c. Hoc S. Laurentii ingens privilegium, quod injectus in ignes vinci non potuerit &c. jacuit enim in craticula, non tanquam caro ardens, ſed tanquam aurum & argentum in camino ignitum.



CONCIO LXXIX.

FESTO ASSUMTIONIS B. VIRG.

Maria, optimam partem elegit.

Luc. 10. cap. v. 43.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de precioſa & ſuaviſſima morte Beatæ Virginis Mariæ.

§. 1. *Cur Mater cum Filio, non fuerat aſſumpta ad gloriam.*

§. 2. *Heu! Maria occubuit.*

§. 3. *Amor illam peremit: non dolor.*

§. 4. *Vehementia amoris fecit animam*

IN hoc consistit hodierni festi solennitas. Potuisset Christus Salvator noster in gloriosa sua Ascensione, vel paulo post, sanctissimam suam Matrem deducere ad gloriam. Meministisne jucundissimi speculi, quo festo Ascensionis vidimus, Christum D. in monte Oliveti, postquam discipulis & Apostolis, post pia pedum oscula supremum valedixisset, propria virtute sese elevantem ascendere ad cœlos; ingenti cum Apostolorum lætitia donec lucida eum nubes abstulit oculis eorum, accinentibus Angelis, *Tu es* Rex gloriæ. An non alterum volupe fuisset spectaculum, si ad dexteram Filii, in alia aurata nube benedicta ejus Mater, & pulcerrima Virgo assumpta fuisset ad cœlos? an nō suavior fuisset melodia, si in alternantibus Angelorum choris alii cecinissent; *Tu Regina gloriæ*! Nunquid majus in cœlo fuisset gaudium, si, cùm sanctissima Humanitas Filii collocata fuit ad dexteram Patris in gloria, si ad sinistram in pulcerrimo throno collocata fuisset sanctissima Mater? Videtur hujus mentis fuisse S. Ans. l. de excell. V. c. 7. *O bone Iesu, istius dulcissimæ Matris Fili, quomodo potuisti pati, ut te in regnum tuæ gloriæ remeante illam in miseriis mundi relinqueres?* Sed aliud placuit D. providentiæ: ut scilicet Dei Mater post Filii ascensionem, vel (secundum diversas opiniones) annis 14, vel 23, vel 24, remaneret in hac lacrymarum valle, & instar turturis per Oliveti Calvariæque colles, per loca passionis, volitaret, memor Filii sui Passionis; plena tamen sacrosanctis desideriis videndi Filium, suspirando, gemendo, nunc ad SS. Angelos cum sponsa ex Cant. c. 5. v. 8. *Adjuro vos ut nuntietis dilecto meo, quia amore langueo*, nunc ad sponsum, dilecte mi, fili mi, Jesu mi *ostende mihi faciem tuam*, donec tandem hod. die adfuit exopta-

§. 1. *Cur Mater, cum Filio, non fuerit assumpta ad gloriam.*

optata hora, qua ex hoc exilio, per sanctam mortem *ad* æternam *gloriam fuit* evocata. Quam sancta, quàm preciosa, quam fortunata, quam suavis fuerit Virginis mors, ostendit hæc panegyris. & hæc est una pars hodiernæ festivitatis. Ingens gloria ad quam B. Virgo corpore & anima assumpta fuit, est materia aliarum concionum.

§. 2. *Heu Maria occubuit.* Fateor! tener quidam dolor lancinat meum pectus & q: talis dolor! ob vehementiam refugit lingua ut loquatur; luctantur verba; ut vix aliud fari libeat, quàm una vocula suspirare; *O Maria!* Sed per dulcissimi amoris nomen, violentus dolor & tristitia sumunt incrementum! suspiro; *O Maria!* cur nos deseruisti? & mallem flere, gemere, suspirare, quàm loqui. Permittite mihi lacrymæ, permittite hoc mihi mei singultus & suspiria, permitte dolor, ut gemina vocula doloris causam exponam; Maria occubuit! O vulnus! O dolor! Maria occubuit; ergo à nobis omnibus, cor nostrum, fatali mortis violentia avulsum est! & quid superest nisi dolor, luctus & tristitia. Maria occubuit! ergo mundi solatium, orbis voluptas, delicium & gloria, universi pupilla & oculus, novæ Ecclesiæ columna, desideriorum omnium & affectuum nostrorum cynosura, & pulcritudinis universæ sol occubuit. Maria occubuit! sic rosa fuit, quæ deflexit, cujus pulcritudinẽ & folia mors clausit, sed eheu! rosa hæc pulcerrima quales mœroris spinas in cordibus nostris reliquit? Maria occubuit! Sic sol fuit, cujus aurora & ortus, cujus meridies, cujus pulcritudo, quo gratior nobis fuit, eo ejus umbra, & occasus est tristior. ut dolor noster, si loqui posset, fortassis in illas Romanorum, de Septimio voces erumperet, *Aut nunquam ausit, aut nunquam mori debuisset.* Minor noster esset dolor, si Mariam in hoc mundo nunquam vidissemus. Hoc superest ad aliquod doloris lenimentum ut ejus, cujus dulcissima nobis fuit præsentia suavi reficiamur memoria. Solet frequenter illud quod ex oculis nostris subductum est, non sine dulcedine animo repræsentari. Virgineæ mortis sic ego soleo recordari.

Inpri-

Inprimis, quod amantissima Virgo, non vi alicujus morbi vel doloris, sed amore languens occubuerit. Amor erga Deum & dilectissimum suum filium, sanguinis & vitæ officinam, virgineum cor tandem pleno impetu ingressus & occupans, sitibundus; sanguinem omnem exsuxit, & cum sanguine vitam eripuit. Amor, dulcissimum dulcissimæ Virginis pectus suavi vulnere, dulci arundine, ardenti sagitta, sauciavit, ita accendit; ut mori debuerit. Dum sagittam amoris nomino, nolim in ea tela animos & oculos vestros convertatis, quæ cytheræis in ignibus fabricata, cyprius & cæcus puer, venenato furore in amantum corda torquet, sed in illas sagittas, quas sanctus & castus inflammavit amor, in corde amantis & languentis Virginis. §. 3. *Amor illam peremit. non dolor.*

Amor cum magnus est in corde, cum, quantum fieri potest intenditur in pectore, animam languere facit. contigit, quibusdam amantibus præ amoris vehementia præcordia rumpi. Hoc accidit Virgini, dum tandem, summum bonum & Filium suum amat, secundum ultimum & summum quod potest, quantum potest; ita languit ut mori debuerit; ita arsit, ita fuit accensa, ut tota veluti virgula fumi à tam beata flamma fuerit consumpta. O Maria! morere, aut potius vive in tam beato incendio! Vos O ardentes Seraphini! fulcite illam floribus, stipate malis, quia amore languet, & amore moritur! In tali lectulo, inter tales flores mori debet dulcis amor! dulcis Maria! O beatum deficere! O dulce languere! O suave mori! O divinum incendium! Moriendum fuit Virgini, sed amore! Inter tot leti genera, omnium optatissimum illi apparavit amor & dilectus Filii. Dum per januam mortis triumphans cœlum ingredi debuit, igneum adornavit illi currum, & flammeos junxit equos, ut non jam Elias, sed ardens & amans Virgo, ex hoc mortalis vitæ carcere evolaret in cœlum in igneo essedo amoris, supra igneas alas, Seraphinorum. Sic ultimum vivere Virginis suavissimum fuit holocaustum, dulcis victima, quam amabiles de cœlo flammæ devorarunt. §. 4. *Vehementia amoris facit animam languere.*

§. 5. *Exspiratio amantis Virginis.* Video! jam extremi halitus inter rosea labia trepidant, eorumque vestigia anima effugitura quærit, deficit vita, & fracta in florido lectulo in mortem se componit. video, cor palpitans ultimos capit impetus, contrahit postremas vires, ut amet Deũ, & amando expiret. Halitus animã efflantes, sunt halitus amoris, ultimũ sentire, spirare, moveri, est amare. Jam Virginis hyacinthinæ manus, eburneiq; pedes letali gelu rigent. Jam crystallini oculi in morte natant! & amat! jam aures obsurdescunt! & amat. Jam rosea labia, corallina labra pallent, jam genæ concidunt, & amat! Jam mellea lingua ægre anhelitum, ne dum verba expectorat, & amat. Jam omnia virginis membra mortis frigus occupat, & amat! Jam cor, quod ex membris, ultimum est, obrigescit, & amat! Dicite filiæ Sion, si hoc non est amore mori.

§. 6. *Mors B. V. fuit suavissima: & preciosa.* Ergo mortua est B. V. (ut reliqui omnes ab Adamo mortales) verum morte suavissima, qualem regius psaltes ps. 126. v. 3. vocat somnum: *cum dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas D.* quasi diceret, illa mors suavis somnus est dicenda, per quam amicus & dilectus Dei filius, & cohæres Christi, præclarã ingreditur hær. B. V. veluti dilecta filia Patris, veluti electa Mater filii hodie coronata est regina cœli & terræ, qualis hæreditas? constituta est Dom. cœlestium terrestrium & infernorum, qualis hæreditas? ingressa est gaudium Domini, facta est fons, imo mare lætitiæ, qualis hæreditas? in gloria & magnificentia exaltata est super omnes choros Angelorum ad dexteram filii! qualis hæreditas? hanc hodie ingressa est per mortem, O mortem felicem! O suavem! ô fortunatam! De morte sanctorum dixit S. Bern. super cit. psalmum: *Pessima quidem mors peccatorum, sed preciosa est mors sanctorum preciosa valde tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.* verissima hæc sunt de morte B. V. mortua est, sed mors illi fuit finis laborum: mortua fuit, sed illa mors eximiæ victoriæ contra dæmonem & peccatũ fuit consummatio, & janua vitæ, per quam perfectæ gloriæ securitatem est ingressa, ut dicere possim cum S. August. *Si omnium sanctorum mors & preciosa, Mariæ sane est preciosissima.* ideoque fuit suavissima, dulcis fuit somnus.

Matt. 9. v. 18. Salvator nostrum accedit unus princeps, & adorabat

orabat eum dicens; *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni im* 57.
pone manum tuam super eam, & vivet. Surgit Jesus, sequitur *Mors ejus*
principem, ingreditur fatale cubile, ubi emortuæ filiæ cada- *fuit suavis dormitio.*
ver decumbebat, & suavibus oculis illud aspiciens dixit, ad circumstantes turbas: *Recedite, non est enim mortua puella sed dormit. tenuitq; manum ejus, & surrexit puella.* Admirans hoc D. Chrys. in cat. ibi ait: *etenim eo accedente, jam mors somnus erat.* taliter morientem Dei Matrem, pulcerrimã Virgin. vobis imaginamini; in mortuali lectulo, elevatis in cœlũ oculis, complicatis manibus, suavissime Jesu nomen ingeminans emoritur? quid ploras Petre, quid gemis Andrea, quid fletis Apostoli? *Nõ mortua est puella, sed dormit.* Videtur esse mortis spoliũ sed error est, non est mortua, sed dormit. brevi adfuit filius, hic inter cœlestiũ spirituum turmas tenuere dexterã matris, filio statim accedente, mors Virg. fuit somnus. momento deliciis affluens, innixa super dilectũ, de deserto hujus mundi ascẽdit ad montẽ Libani, ubi coronabitur regina cœli & terræ. O mortem felicem! O suavem somnum.

Vix quisquam sine tenero cordis motu, & suavibus lacrymis 58.
legere poterit mortẽ Moysis, post difficillimum 40. annor. iter *Similis*
per desertũ, post gravissimos labores, in terræ benedictionis cõ- *morti Mo-*
sis. spectu, jubetur à D. ascendere in montẽ Abarim, i.e. transituũ, ut transeat ex hoc mundo ad patres suos. Vir sanctis. in altissima divinæ provid. abysso acquiescens, migrationẽ suã populo patefecit in proximum diem; ingemuerunt omnes ad viri casum, & suam orbitatẽ. Mane facto, remisso populo cui benedixerat (refert Josephus in toto populo non fuisse unũ, qui non amarissime fleverit) cũ Pontif. & Imper. ejusq; senatu, Moses ascendit montem, ibi in vertice Phasga, ostendit illi Dom. hæred. Israel Deut. 34. v. 4. *hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac & Iacob, dicens, semini tuo dabo eã. Vidisti eam oculis tuis, & nõ transibis ad illã:* verum (hoc subintelligendum est) ad aliam longe præstantiorem statim transiturus es, in qua illi iidem S. Patres, aliique omnes justi in pace requiescunt; ut Doctor gentium ad Titum 2. cap. vers. 13. loquitur *expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei.* His auditis Moyses sese humi, componens suavissimè expiravit, nam sacer textus ait, eod. c. 34. v. 5. *Mortuus est ibi Moses*

 servus

servus Domini, jubente Domino-- alia lectio habet--*in osculo Domini.* O suavem mortem! taliter imaginamini vobis, obiisse B. Virginem. Hora à D. voluntate destinata, Filius per Angelum Matri nuntiavit, adesse tempus ut transeat ex hoc mundo. Mirabili Dei disponentis & omnia ordinantis providentia, ex variis mundi plagis convenerunt Apostoli, quibus horam transitus sui aperuit. facile est cogitare: quænam omnium fuerit comploratio, quæ lacrymæ, præcipuè cum viderunt, BB. Matrem in fatali lectulo agentem animam; probabile est, ruisse in genua, obsecrasseque ultimam benedictionem; & benedixit illis Virgo; tandemque apertis oculis, in aspectu cœli, in aspectu Filii, mortua est. jubente Domino, quia sic voluit Deus, mortua est, sed in osculo & amplexibus Filii, sic exspiravit. S. Damasc. ser. 2. de dorm. V. *Visio apparuit Angelica, & audita est psalmodia cœlestium potestatum--& sic--in manus Dei sanctam tradidit animam.*

§. 9. *Maria in suo obitu fuit fasciculus myrrhæ, & botrus cypri.*


Et quis dubitabit mortem B. Virginis fuisse somnum, fuisse quietem, fuisse suavissimam. Amor qui amoris telo Virginem sauciavit, potuit efficere, ut sponsa, ut dilecta, ut Mater, quia mori debuit, ut reliqui mortales omnes, moreretur suavissimè. Est scilicet stupendarum metamorphoseon architectus amor. Novit convertere, fel in mel, spinas in rosas, turbines in Zephyros, tempestatem in serenitatem, fulminum tonitruorumque fragorem in suavem Musicam, funera in festa, instrumenta mortis, in coronaria amoris arma, ipsam mortem in felicissimam sortem. Volo his omnibus dicere. Sponsus fecit, ut sponsa, Filius ut Mater occubuerit suavissime! Inter alios titulos, quos sponsa tribuit sponso, vocat fasciculum myrrhæ; & botrum cypri. Quid amaritudini myrrhæ, cum dulcedine uvæ? Ecce mysterium peractum in morte Virginis. Dum mori debuit, sponsus illi fuit myrrha & botrus. Myrrha, quia voluit illam mori, quod amarum est. botrus, quia paravit illi mortem dulcissimam: ex amaritudine fellis, distillavit dulcedinem mellis. ut ipsa deinde revelarit S. Brigittæ revelat. l. sexto. *Paravi me ad exitum* (p. sic me paravi ad mortem) *circumiens omnia loca*

loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat (p.v.g. ivi prius ad montem Oliveti, ibi fui memor sudoris sanguinei & angustiarum mortis &c. inde ad montem Calvariæ &c. est locus pro p. affectu) *cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione divina caritatis; tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat; & in ipsa consideratione* (inter affectus amoris, inter ardentissima desideria) *anima mea à corpore fuit soluta.* Meditantur aliqui pie, & est probabile ultima morientis Virginis verba fuisse, *Mi Iesu! Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Postrema suspiria fuerunt, *amo, amo, amo*, & simul hanc vocem, simul animam sanctissimam efflavit. Occubuit Maria! Sol jacet in umbra, rosa in languore mortis.

Agite Apostoli, vos fatali lectulo debitas lacrymas affundite, provoluti in genua virgineos pedes veneramini osculis, ungite preciosis unguentis, nitido limo involvite, incendite odores, aspergite flores, sacrum pignus virginei corporis inferte sepulcro, sepulcrali marmori inscribite; Maria! flamma & amor illius vita fuit; flamma, ignis & amor fuit mors. Ego interim instar Mercurii evolabo ad cœlos, & monebo ut ad instantem se parent triumphum. sic alloquar cœlites. Mortua in terris est Maria! mox aderit ut coronetur Regina cœli. Agite Seraphini, præparate coronam: & pulcram, qualis hactenus in cœlis non visa. Vos Cherubini parate sceptrum, Vos Throni, thronum. Vos Principatus, Dominationes, Virtutes, parate paludamentum & purpuram. Vos Archangeli afferte flores, gemmas, stellas, quibus corona, thronus, sceptrum, purpura exornentur. Afferte lunam ut sit scabellum; solem ut sit vestis, cogite nubes ut sint currus &c. Vestrum O Angeli! erit parare organa, fistulas, cytharas, tympana, cymbala, ut Regina cœli lætissimo acroamate excipiatur. Hunc textum cupit audire meus amor: §. 10. *Epilogus.*

Vivat Maria!

CON-



CONCIO LXXX.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.
Luc. 6. cap. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SPes victoriæ, & præmii animat pugiles.

§. 1. *Non conceditur triumphus sine pugna.*

INter heroum symbola invenio pictum gladium, cujus apici insistit regia, vel imperatoria corona; gladium & coronam, per modum crucis dividunt & ornant bini rami palmarum, cum hoc lemmate, *Sic & non aliter*. Docet muta hæc pictura, non esse *triumphum sine pugna* (Tertull.) *neque sine labore palmam*, neque *sine cæde victoriam*; in unico symbolum hoc immutabo, loco gladii statuo cultrum, & symbolum hoc S. Bartholomæi iconi appingo: nam, Invictissimus hic heros, Martyr & Apostolus cœlestis bravii coronam, gloriæque palmam obtinuit;

tinuit, gaudet in cœlis cum reliquis sanctis; verum prius in stadio hujus vitæ per viam crucis decurrere debuit; sic & non aliter, nisi per crucem, coronam obtinuit. In hac vita laboravit & sudavit in prædicando Evangelio; sic & non aliter bravium est assecutus. S.Bartholomæus, vitam, sanguinem pro Christo dedit, cultro vivus fuit excoriatus. Sic & non aliter cœlestis gloriæ & hæreditatis factus est hæres. Sic & non aliter eandem coronam, & palmam nos obtinere poterimus & debemus. At via crucis est difficilis; sed in hoc stadio currendum & sudandum est! sed gladio & cultro mortificationis detrahenda est vetus pellis veteris Adami; hoc dolet, hoc cruciat, hoc affligit; sic est, interim certissima est maxima, sic & non aliter cœlum obtinere possumus. Hoc facite generosi Christiani pugiles & athletæ, ne succumbatis, ut pugnetis animose, in altum levate oculos, & coronam aspicite; hujus intuitus & memoria nos animat, ut pugnemus generose. Ostendi hoc sæpius, idem tamen, sed novo modo hac concione præstabo.

Duo audiverat S.Barth. ex ore sui magistri; primum fuit, *estote prudentes sicut serpentes* Matt.10.v.16. in multis hoc animal prudens est, sed præcipuè in hoc quod per rimas acutæ petræ ingrediens veterem pellem sibi detrahat, sicq; ingeniosa inventione renovet. Alterum fuit, cura intrare per angustam portam; ***nam arcta est via quæ ducit ad vitam*** Matt.7.v.14. advertit mysterium S. Bartholomæus, ut angustissimam portam cœlestis Jerusalem ingredi posset, non tantum divitiarum, honorum, & voluptatum onera abjecit, sed ipsam pellem dedit, prudens ut serpens! Multi gloriosi martyres ante hanc portam reliquerunt capita, vel manus, vel pedes, aliaque membra, S.Bartholomæus totius corporis pellem, deposuit, ut certius per angustam portam ad vitam ingrederetur. *§.2. S. Barth. prudens ut serpens.*

1.Cor.9.v.25. dixit S.Paulus; ***Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant.*** pari ratione, qui ad metam pro bravio decurrit, omnia à se abjicit onera. idem facit pugil & athleta luctaturus cum adversario. fortis cursor, fortis pugil & luctator fuit S.Bartholo- *§.3. Pugil, luctator.*

mæus, qui similia, non tantum onera, sed ipsam pellem abjecit, ut levius & citius decurrerit ad metam, propositumq; bravium, sic vicit.

§. 4. *Amator Sponsi.* Cant. 3. v. 4. Sponsa impatiens moræ, qua morabatur sponsus, surrexit nocte, discurrit per plateas, inter vigiles inquirens dilectum animæ suæ; in signum nimii amoris, ne tardetur, vestem reliquit vigilibus, & abiit. Majorem dilectionem erga suum Salvatorem ostendit Bartholomæus, qui inter manus tyranni & lictorum reliquit pro Christo non vestem, sed pellem corporis, imo sanguinem & vitam dedit. Quæso Auditores, estote prudentes sicut serpentes; angusta est porta ad cœlum; contendite intrare, ut intretis cum S. Bartholomæo pelles veteris Adami deponite. Pellis est amor divitiarum, pellis est &c. has deponite. Cursores estis, pugiles estis, luctandum vobis est cum mundo, carne & Satana, deponite pelles quæ vos impedire possunt, imò estis sponsæ, quærite Jesum sed pro ejus amore vitiorum & pravorum affectuum vestes relinquite.

§. 5. *In rebus arduis nos erigit spes præmii.* Verum hæc omnia sunt molesta carni & sanguini, & sensualitati; sic est, fateor; ut nihilominus pugnetis animose, cum S. Bartholom. oculos conjicite in coronam & mercedem; illius encomia summis angustiis vos solabitur, imò gaudere vos faciet. Bene Cassiod. 8. var. 22. *gloriosior efficitur, cui frequenter præmia referuntur.* idem *tribuenda est justis laboribus compensatio præmiorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem. Sudores bellicos civica corona testatur, expectant etiam equi præmia sua.* Præmii spes omnia ardua reddit facilia.

§. 6. *Pulcher locus ex S. Paulo.* 2. Cor. 11. v. 25. S. Paulus enarrat varios labores & pericula; *ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti in frigore & nuditate*; plura enarrat aliis locis, in immensum videtur augere suos labores 2. Cor. 4. v. 7. ait, *Id quod in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ.* quæ toties variis locis valde exaggeravit, duobus elevat verbis, dum momentanea & levia vocat. bene observarunt interpretes, sanctum Paulum exaggerare la-

ræ labores & pericula, cùm nullam facit mentionem cœlestis gloriæ vel bravii; cum verò addit, tribulatio-- *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, eadem levia & momentanea dicit. hoc modo cit. locum exponit S. Hier. *licet corpus passionum injuriis corrumpatur, anima tamen spe futurorum quotidie confirmatur ad omnia sustinenda: præsens enim tribulatio, quantolibet tempore perseverans ad comparationem immensæ gloriæ brevis & facilis est.* nervose Seneca l. 2. de ira cap. 21. *Crescit licentia* (& animositas) *spiritus, assurgit, si in spem bonam adducitur.* imaginamini vobis S. Bartholomæū in equuleo extensum, cogitate dolores quos sensit, dum membratim fuit excoriatus; nihilominus in tantis tormentis, crevit & assurrexit ejus spiritus, quia totus erat in spe bona cœlestis bravii.

Scitis omnes titulum, qui supra caput Salvatoris penden- *§. 7.*
tis in cruce affixus fuit, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. glo- *Pulcer lo-*
riosus hic titulus adeo torsit oculos & corda Pharisæorum, ut à *cus de titu-*
Pilato petierint illum tolli, vel mutari; sed Deo sic disponente *lo Christi*
Præses respondit, quod scripsi, scripsi. *Titulus hic triumphalis* *in cruce.*
(inquit Hugo) in cruce, *veluti arcu vel fornice triumphali mansit inscriptus.* plures ingeniosas causas excogitarunt interpretes, ob quas cœlestis Pater hunc titulum supra caput Filii pendere voluit: utar modo paucissimis verbis Cajetani; *Super crucem sustentabatur titulus, ac per hoc crux terminabatur.* id est, crux esse desiit; hic est sensus; ignominiosa fuit mors filii Dei in cruce, verùm sic & non aliter, regiam dignitatem supra cœlos & terram obtinere potuit. ex se crux fuit gravis & pœnosa; in conspectu verò tam gloriosi tituli fuit levis. sic & non aliter hunc titulum mereri potuit. Eia mi Christiane; scio, quia es filius cœlestis Patris, quandoque cruci te affigit; Crux est paupertas, cruces sunt morbi &c. sed vis illas terminare, ut non sint cruces, vel ut sint leves &c. in altum eleva oculos, regnum cœlorum contemplare, in illo paratam tibi coronam; hujus memoria ardua omnia reddit facilia, amaritudinem vertit in dulcedinem.

Arduum omnino fuit mandatum, quo Deus voluit, Abra- *§. 8.*
hamum immolare unicum filium Isaacum: Abraham tamen *Spe præmii conforta-*
m 2 fuit *tus Abra-*

bam in immolatione Isaaci. fuit obedientissimus statim eduxit filium ad montem, *cumq; alligasset* (Gen. 22. v. 10.) *Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum,* imo extendit manum, & arripuit gladium ferali ictui destinatum. & hæc omnia peregit invictissimus Patriarcha, ut SS. Patres observant animo generoso. ingemuit sine dubio cor Patris, commota fuerunt viscera genitoris; nihilominus cum gaudio Deo obtulit carissimum pignus, sic ait Zeno Veronensis ser. 1. de Abraham: *lætatur Pater, filio quoque gaudente, & cum gaudio unici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert: ecce sub oculis jacet filius vinculis astrictus! Vbi sunt lacrymæ? ubi dolor, qui in humanis sensibus versari consuevit? in tantis filii casibus lætatur & gaudet?* sed quæ fuit tandem causa tanti gaudii, quæ radix tantæ lætitiæ? quis fons animi tam excelsi? respondet cit. Zeno paucissimis verbis: *se Dominum promeruisse triumphat.* Sciebat David hanc suam voluntatem placere Deo, quæ ingens nostrorum operum est merces, ideo in re difficili fuit gavisus. Sciebat se hoc facto promereri ingentem gloriam, de hac in acerbissimo casu triumphat ejus animus. Neque deceptus est, statim enim audivit vocem de cœlo v. 16. *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & velut arenam quæ est in litore maris-benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ &c.*

§. 9. *Digressio ad S. Bartholomæum* Redeo ad S. Bartholomæum; jacet extensus in equuleo inter manus carnificum in crudelissimis tormentis; vivus toto corpore excoriatur; & tamen gaudet, lætatur, ipse manus, ipse pedes porrigit? ubi quæso lacrymæ? ubi dolor? vincit omnia invictissimus ejus animus, quia gaudet & triumphat se sic promereri Dominum; triumphat se insistere vestigiis sui Magistri, & sanguinem pro sanguine dare, pro immarcessibili æternę gloriæ bravio. Dum anima intuetur coronam, dum scit se placere Deo, corpus non curat dolores. Itaq; mi Christiane, cum & tu extẽderis in equuleo, cum scinderis cultro mortificationis &c. in altum erige oculos, aspice coronam, cogita te sic placere Jesu tuo, & omnia patienter, imò cum gaudio feres. Memoria

coronæ

coronæ omnia ardua reddit facilia, etiamsi aliquis Isaacus etiam sit immolandus. Observavit S. Ambr. Christum Dominum plerumque cum suos fuit hortatus vel ad ferendam crucem, vel ad pugnandum, fecisse mentionem mercedis vel beatitudinis- ideo-*ut unusquisq; præsentium rerum solicitudines ac labores corde transiliens, ad emerendam beatitudinem futurorum avida festinatione contenderet.* Nam-*Imperator quoque cum progreditur ad bellum, donativum militi, & promotiones dignitatum numeris militaribus pollicetur, ut spes commodi furetur laborem, & metum abscondat periculi.*

Elegantissime Seneca lib. de providentia. *Avida est periculi virtus militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem sanguinem ostentant; ex acie magis spectatur, qui saucius redit--* sed cur virtus periculi tam est avida? cur generosus miles tam imperterritus pergit ad prælium? respondet Seneca, *quo tendat, non quid passurus sit, cogitat.* miles non cogitat vulnera, sed honores, athleta non labores animo versat, sed coronas. ideo, inquit Nazian. or. de laudibus Basilii; *Virtutis alipta* (hi erant athletarum Magistri, qui eos certaminibus inungebant, luctisque parabant)- sunt-*spirantes columnæ, vivi Martyres uruntur, secantur, excoriantur, nec tamen curant, quia cogitant, non quid patiantur, sed quo tendant.* rursum Seneca ep. 39. *Habet hoc in se generosus animus quod concitatur ad honesta: neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida.* magnarum rerum spe---*quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest non magis quàm quiescere, ita noster animus in motu eo est nobilior & actuosior, quo vehementior fuerit.* Verum mi Seneca, unde generosus animus hoc habet, ut ita concitetur ad opera heroica, ut non delectetur humilibus? unde habet ut surgat in altum veluti flamma &c. respondet paucis: *Magnarum rerum species ad se vocat & extollit.* id est, corona, bravium, merces, præmia illos concitant Spiritus &c. talis heros fuit sanctus Bartholomæus, patitur gravia, majora pati desiderat, surgit ut flamma &c. p. quia &c. applica pulcrè.

§. 10. Elegans locus ex Seneca.

idem Seneca l. de provid. *Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites belli triumpho &c.*

§ 11. *Spes præmii est anchora.* Finem huic concioni impono elegantissimis verbis S. Cypriani in illa verba S. Pauli ad hebr. 6. v. 19. *quam* (scilicet spem cœli) *sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Syrus sic vertit; *quæ nobis est velut anchora, quæ retinet animam nostram ne commoveatur*; addit P. Cornelius; unde Syri & Arabes spem vocant, vataca, id est, firmitatem, soliditatem, robur; Vatac enim significat, firmare, roborare, vincire. hoc itaque simile latet in verbis Apostoli: sicut anchora firma in mari fundat navim, ut inter vertices, ventos, fluctus, illam teneat firmam & inconcussam, victrici statione; in spes cœli inter tentationes, atque conflictus hujus sæculi animum firmat ac roborat, ut solidus & immobilis permaneat, victrixque adversa triumphet. his positis annecto verba S. Cypriani: *Una placida & fida tranquillitas: una solida, & firma, & perpetua securitas; si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos, tollat è terris &c.* præsertim cum sic, & non aliter cœlestis gloriæ coronam obtinere possimus.

§. 12. *Tria pulcra symbola.* Incepi concionem cum corona, aliquot coronas ejus coronidi imponam, vel coronis coronabo ex doctissimis heroum symbolis. in primo, in serico pulvinari jacet regia vel Imperatoria corona, plena gemmis, & unionibus; intus in corona latent aliquot spinosi rami. tale fere fuit sertum quod sponso apud Athenienses formosus puer præferebat, ex floribus, sed mixtis spinis. Docet hoc symbolum, mundi hujus honores & voluptates non carere spinis; ego per hanc coronam, cœlestem gloriam intelligo, sed antequam obtineamus, spinæ nos pungunt; sic non aliter illam obtinere possumus. sed dum spinæ mordent, coronam aspice, & feres leviter. In altero emblemate, jacet corona, in qua inter multas gemmas lucet præcipuè insigne Ordinis militaris S. Jacobi; est concha, in qua insculpta est crux, per modum gladii; epigraphe est, *precium virtutis.* Pulcra corona, pulcerrima gemma est cœlestis gloria, sed est precium virtutis; gladio & cruce, sic non aliter, obtineri potest.

Sed

Sed non crucem tantum, ſed coronam & gemmam aſpicite, & crux erit levis.

In tertio corona pendet inter duas pyramides, in quam eques concitato equo & aurata collimat lancea; adjecta epigraphe, Legitimè certantibus &c. Applica pulcrè. Honorius Imperator pictus in icone, victorioſo pede calcans devictos tyrannos, manu præferens labarum, in illo ſignum ✠, & nomen Chriſti, huic adjicio iconem Gallæ Placidiæ Auguſtæ, quæ cudit numiſma notatum brachio, cui affixum eſt nomen Chriſti: ex adverſo pulcerrima corona de cœlo delabitur. I, Perge, ſterne hoſtes, calca N.N. ferto in hoſtem ſignum Crucis, Chriſtum ſequere, exere brachium &c. ſic non aliter coronæ cœlicæ delabuntur. Devicta Luſitania, extincto Sebaſtiano, Philippus II. pingi juſſit virum armis inſtructum, galea, lorica, reliquaque panoplia &c. erecta haſta ferebat coronam, cum his vocibus, *Qui volet*. quaſi diceret: multi ambiunt coronam Luſitaniæ, ſed qui eripere cogitat, ſciat ſibi prius cum Philippo Rege pugnandum Armis, non aliter eſt venalis &c. applica pulcre.



CONCIO LXXXI.

FESTO NATIVITATIS B.V. MARIÆ.

De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.

Matt.1. cap. v.16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de excellentiis glorioſiſſimi Nominis Mariæ, præſertim, quod ſignificet ſtellam maris.

§.1. *Quan-*

§. 1. *Quanta sit excellentia nominis Mariæ.*

HOdierna die nata est pulcerrima Virginum, nomen ejus est Maria. De quo nomine eleganter ait Idiota; *Ne timeas Maria, dedit enim tibi Virgini Mariæ, tota superſancta Trinitas nomen, quod post nomen Filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiã, gloriã & virtutem.* --Non enim est in ullo alio nomine post nomen superbenedicti filii tui tam potens adjutorium, nec est ullum aliud nomen, datum sub cœlo hominibus post dulce nomen Jesu, ex quo tanta, salus hominibus refundatur. -tantæ virtutis & excellentiæ est sanctissimum tuum nomen, Beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, infernus turbatur. Æque pie Canisius. Si ullum aliud venustum præclarum & gratiosum nomen ulli contigit mortalium, quod scribi, legi, decantari, pingi, sculpique mereatur, id Mariæ nomen videri potest, dignum sane quod in omnium oculos, aures & mentes incurrat. paucis verbis complectitur multa S. Chrysologus ſ. 142. *Dignitas Virginis annunciatur ex nomine.* Significat autem hoc nomen, Dominam, Exaltatam, Mare gratiarum, Myrrham, spem mundi; hæc alias explico, modo placet S. Hieron. l. de nom. hebr. Maria illuminatrix mea, vel illuminans, vel illuminata, vel stella maris; significat etiam scaturiginem & fontem lucis, cujus radiis hodierna die totus mundus est illustratus. Hæc lux hæc stella, erit objectum hujus concionis.

No-

Nomen Mariæ præter alia significat stellam maris cujus munus est, nautas per maria ad portus deducere, talis stella est Maria, *sicut enim* (Abbas Absolon ser. 31. de annunt.) *Stella illa navigantibus in mari rectæ viæ indicium est, sic est Maria in hoc mundo tortuose viventibus, aliis rectam viam bonæ operationis, aliis rectam viam humilitatis, aliis viam castitatis ostendit.* S. Ambrosius l. de Virg. *Maria interpretatur stella maris: nautis enim mare transeuntibus aspicere opus est maris stellam, & supremo cæli cardine refulgentem, & ex respectu illius dirigere cursum, ut possint portum destinatum apprehendere.* Deinde sic pergit: *Oportet universos Christicolas inter fluctus hujus sæculi Mariam, quæ in supremo rerum cardine Deo proxima est, respicere--quod qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed perveniet ad quietis portum.* §. 2. *Stella maris est indicium viarum, per maria. Pari ratione Maria.*

Duplicem figuram habemus in sacris literis; Josue, c. 3. v. 3. ait ad Israelitas, ducturus illos per Jordanem: *Quando videretis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini-ut videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini. &-ecce arca fœderis Domini antecessit eos per Iordanem,* (assurgentibus hinc inde fluctibus veluti muris) *--festinavitque populus & transiit.* Virguncula hodie nata est vera arca fœderis; Hodie nascitur, ut (Andreas Hierosl. or. in Salve Reg.) sit *Arca Dei verissima, ut auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ex imputribilibus lignis facta, Testamenti tabulas, frondentem virgam, & suavissimum [illegible] manna contineat. hodie nascitur, Maria ut* (S.Bern. ser. 2. de ass.) *sit arca novæ gloriæ, in qua Dei spiritus quiescet. Nascitur hodie Maria, ut* (S.Bonav. in psal. min.) *sit arca preciosissima, quæ excipiet totius sanctificationis thesaurum.* Buteo in Floril. *Arca Dei tutissima.* Blosius in prec. *Arca viva & animata, & propitiatorium in terris. Sed præcipuè ut per Iordanis undas,* id est, *tentationum fluctus, & procellosi mundi hujus undas nos deducat.* Hanc arcam aspicite Auditores & videbitis per quam viam ad portum ingredi debeatis. §. 3. *Duplex figura. Prima. Arca monstrans viam per Iord.* *B.V. arca fœderis.*

Altera figura & ignea columna, Exodi 14. v. 24. quæ duo præ- §. 4 *Secunda fi-*

gura. Ignea columna, monstrans viam per mare rubrum. Maria talis columna.

præcipuè præstitit hebræis beneficia. primo, *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum* Exodi 13. v. 21. Israelitis verò, 2. demonstravit viam per desertum. admirabilis hæc columna typus fuit Mariæ, S. Bonavent. in spec. *Maria columna nubis est, illuminata à Deo, & illuminans mundum, misericordiæ & charitatis suæ beneficiis &c. Quid nos miseri & obtenebrati ageremus in nocte hujus sæculi, si tam lucidam, tam luminosam columnam non haberemus.* Consonat Richardus Laurentinus l. 1. de laud. V. cap. 3. *Per Mariam tanquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, submersis Aegyptiis, id est, dæmonibus & vitiis.*

§. 5. *Maria navis est, Maria stella est.*

Rursum eleganter S. Bonav. *quibus auxiliis possunt naves per tot pericula pertransire usque ad litus patriæ? per duo, scilicet per lignum & per stellam, id est, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria, maris stella. Tale enim officium Mariæ est, quæ navigantes per mare mundi, in navi innocentiæ vel pænitentiæ dirigit ad litus cælestis patriæ.* multa de hac stella duce eleganter dicta invenies apud S. Bernardum hom. 2. super missus. inter alia ait: *O quisquis intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates te fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos ab hujus sideris fulgore, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam-respice ad Mariam, cogita Mariam, in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde. iterum. tolle corpus solare, ubi erit dies? tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, & densissima tenebræ relinquentur.*

§. 6. *Pulcra historia.*

Benevolum influxum hujus stellæ experta est illa fœmina, gravis sceleris rea, quod præ pudore multis annis in confessionibus sacrilegis celarat. In agone cum gravissime à diabolo coram Judice accusaretur, cum Judex jam vellet pronuntiare sententiam damnationis, cum dæmones igneis catenis vellent animam trahere in infernum, O tempestatem! O angustias! O pericula! in hac necessitate respexit hanc stellam, ex corde cogitavit Mariam, ferventissimis precibus

cibus ejus auxilium implorans; & fuit exaudita; mox enim ægra sibi reddita dixit: Matrem misericordiæ invocavi nec mora, eadem consolatrix, & protectio omnium ad se confugientium, tanquam stella matutina adveniens mihi adfuit, terruitque dæmones. hæc stella ut spero, brevi ad cœlos me deducet. Post seriam confessionem, & communionem, circumstantibus dixit, Valete & discite Beatam Virginem esse stellam maris, refugium peccatorum & Matrem misericordiæ. his dictis placidissimè expiravit. Eia Auditores amate Mariam, ut in supremis angustiis aliquando sit nobis stella, nobis serena & propitia, nostris hostibus terribilis. S. Barnardus ait: *Si criminum immanitate turbati, conscientia fœditate confusi, judicii horrore perterriti, barathro incipiatis absorberi tristitia, & desperationis abysso, cogitate Mariam.*

Cum graves peccatores ab hac stella ex gravissimis periculis eripiuntur, dici de illis potest quod dictum est de Judæis, Esther. 8. v. 16. *Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium honor & tripudium, apud omnes populos, urbes atque provincias mira exultatio, epulæ atque convivia, & festus dies.* Aman, Mardochæi & Judæorum hostis, obtinuerat ab Assvero literas, signatas sigillo regio, quibus mandabatur ut occiderentur atque delerentur omnes Judæi, à puero usque ad senem &c. Edictum jam pendebat in Susan, flentibus & ejulantibus Judæis. postquam verò Regina Esther animum regis immutavit, postquam edictum regium revocatum; cum Aman penderet in patibulo, cum Regina Esther se sisteret populo in vestibus regiis, coronam portans in capite &c. ait textus: *Omnis civitas exultavit, atque lætata est, nova lux oriri visa est, hinc gaudium & lætitia*, cujus causa, nova stella, nova lux, formosissima Esther. §7. *Figura Virginis fuit Esther.*

Cavete peccatores; infernalis Aman, sententiā mortis æternæ urget apud Assverum, judicē Christum: edictum divinæ justitiæ, est, ut nisi pœnitentiam egeritis, æternū ardeatis! sed pœnitentiam agite & exultate. Nata est hodie Regina Esther, formosissima Virgo, quæ regiis pedibus conculcavit, caput Amani. §.8. *Prosecutio.*

placet hæc adeo oculis cœlestis Assueri; ut terribile edictum mortis facile possit mutari, adeo est pulcra & decora, adeo nobis propitia & benevola, ut bene dicere possimus, lux nova oriri visa est, tam amœnis radiis, ut cœlum & terra exultent. ut ubique sit gaudium & lætitia.

§. 9. *Qualis stella sit Maria* Novam stellam hodie exortam, Virginem hodie natam, S. Petrus Dam. vocat *stellam, quæ lucidum procreabit solem.* Andreas Cretensis or. de B. V. *Stellam fulgentissimam pulcerrimorum radiorum, quæ universo mundo solem Iustitiæ proferet.* Giselbus. *Stellam stellarum.* Hesychius. *Stellam vitæ.* S. Petrus Dam. ser. 40. de Maria. *Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cæli cardine, summo splendore coruscans, orbem subditum, splendidioribus radiis incolorat. ista est ista stella, quæ unicuique promittitur* Apoc. 2. v. 28. *Vincenti dabo stellam matutinam, quia omnes sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant.*

§. 10. *Maria dulce nomen.* Robertus Rex Franciæ Anno 1022. hoc festo instituit Ordinem Equitum, quorum habitus in pectore præferebat stellam, præter aureum torquem, è quo gemmea stellea dependebat. Si tales mihi essent stellæ, offerrem meis Auditoribus, sed offero meliorem, stellam lucidissimam, stellam serenissimam, Virginem hodie natam, nomine Mariam, sive stellam maris. Cum suavissimum hoc nomen Maria, stellam tam lucidam, tam nobis utilem, significet, concionem hanc merito finio cum S. Bonav. *O celeberrimi nominis Maria! quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam devote nominari non potest sine nominantis utilitate.* confirmat S. Bern. mellifluis verbis: *O magna, O pia, O multum amabilis Maria! tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita pia memoriæ portas ingrederis.* hoc ego hodie præcipuè opto, ut dulcissimum hoc nomen, amorem tam formosæ Virginis in cordibus vestris accendat, id est, opto ut ametis Mariam.

§. 11. *Optat Auctor, ut Auditorum* Ex ore, oculis, & auribus B. Joscii post mortem germinarunt quinque candidissima lilia, quorum foliis, aureis literis inscriptum fuit nomen Mariæ. Audivistis sine dubio alias de venustis-

nustissima arbore, quæ ex tumulo devoti servi B.V. excrevit, cujus omnia folia hoc nomine ornata fuerunt. Utinam talis arbor, vel talia lilia sint corda nostra, utinam in illis impressum gestemus dulcissimum hoc nomen: ut aliquando in agone sit nobis stella maris, & ad portum æternæ salutis navem nostram salvis & integris mercibus feliciter dirigat, ne à blandis Sirenũ cantibus incantetur sicque ad scopulum infeliciter allidat & æternaliter pereat. Quod benigne hæc lucidissima stella suo nitidissimo fulgore avertat. Amen.

corda, sint lilia, cum aureo nomine, Maria.



CONCIO LXXXII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Non veni vocare justos, sed peccatores.

Matt. 9. cap. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CIrca Divinam Misericordiam, explicantur aliquæ ejus circumstantiæ, v.g. Quis, cui &c. sit misericors.

§. 1. *Admiratio S. Augustini de Dei misericordia.*

§. 2. *Cognitio circumstantiarum explicat essentiam alicujus rei. v.g. quis sit homo, cui Deus est misericors.*

§. 3. *Quis sit peccator.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Misericordia insequitur fugientem peccatorem.*

§. 6. *Querela Christi Domini.*

§. 7. *Pulcer locus de petra fundente aquas.*

§. 8. *Cur Deus, vel Iesus peccatori sit tam misericors.*

§. 9. *Miseratio Dei nobis est indebita.*

§. 10. *Epilogus.*

§. 1. *Admiratio S. Augustini de Dei misericordia.*

POstquam S. Augustinus suavissima hæc Christi verba profundius considerasset, in has voces prorupit: (rogo si qui peccatores præsentes sunt, si qui Matthæi in telonio, ut benevolis & attentis auribus illas excipiant; ni fallor, præcipuè si cum Matthæo hodierna die converti vellent, peculiare ex illis haurient solatium, sentientque se moveri ad redamandum eum, qui tam misericors est erga peccatores) sic ait S. Aug. *Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua, venit quærere, & salvum facere, quod perierat, quæsivit & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis. Pius Dominus & verè multum pius pastor. O caritas! O pietas! quis audivit talia? quis super tanta misericordiæ viscera, non obstupescat?* hæc viscera misericordiæ expertus est S. Matthæus; sedebat in telonio, in domo iniquitatis, usurarius, fraudum Magister; in hoc periculoso statu, prior ad ipsum venit pius Jesus. Venit, non propter merita publicani, sed pro infinita pietate, & bonitate sua. Periisset Matthæus, hæsisset inter spinas avaritiæ, præda infernalis lupi. sed venit bonus Pastor, quæsivit & invenit errabundam oviculam, humeris illam imposuit, id est, reduxit Matthæum ad viam salutis. Pius Jesus, & verè multum pius Salvator; quis talia prodigia gratiæ, & misericordiæ, quod Deus creaturam, Jesus peccatorem accedat, cum illo manducet &c. non miretur? sed dixi bene, sunt prodigia misericordiæ! O mi Jesu, quia peccator sum, quia misericordia tua, & magna quidem indigeo, libenter de illa in concionibus meis ago. lata est materia. modo incipiam examinare ejus circumstantias, quis, cui, cur, quomodo, quando &c. sit misericors. Exordiar à cui, & cur. Spero &c. Si hoc faciatis, exclamabitis sine dubio, Jesus noster, misericordia nostra.

§. 2. *Cognitio circumstantiarum explicat essentiam alicujus rei.*

Ad penetrandam rei alicujus essentiam & naturam, multum prodest cognoscere ejus circumstantias. v.g. qui meditari vult Mysteria passionis, ponderare debet, quis, pro quo, quænam, quare, quomodo, quo fine &c. patiatur his perspectis illuminatur intellectus, accenditur animus, movetur voluntas ad varios & nobiles virtutum actus atque affectus. Pari ratione, ut quis

quis modo, quo fieri potest comprehendat immensitatem misericordiæ Salvatoris, præcipuè erga peccatores, necesse est ut consideret, quis tam sit misericors, cui, quomodo &c. Circumstantiam cui, (quam modo selegi) expendit regius psaltes ps.8. v.5. *Quid est homo quod memor es ejus?* ps.143.v.3. *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* alii legunt: *quia apponis erga eum cor tuum.* Circumstantiam eandem ponderavit Job c.14. v.3. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos:* Objectum est dignum admiratione: nam quid est hic homo, cujus memor est Dominus, quem reputat, erga quem cor apponit, super quem oculos aperit? sapientissimus Aristoteles apud Stobæum respondebit, *est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludus, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina, cætera pituita & bilis.* hujus creaturæ memor est Dominus, hanc reputat &c. Quid est hic homo? sapientissimus Solon, apud Clem. Alexandrinum respondebit; *homo nihil est aliud, quàm calamitas &c.* & tamen Optimus Deus erga illum apponit cor suum. *Quid est homo,* (quærit S.Greg.Nyss.or. 7. de beatitudine.) *Si cum divina natura comparetur? cujusnam sanctorum proferam vocem, per quam genus humanum extenuetur? secundum Abrahamum, terra & cinis, secundum Isaiam fœnum, secundum Davidem, ne fœnum quidem, sed fœno similis, secundum Ecclesiasten, Vanitas; secundum Paulum, miseria:* nihilominus, *homo qui cinis est, qui vanitas &c. in locum filii assumitur. O divitis Domini magnificam largitionem! O largam & uberem palmam! O magnam manum*

v.g. Passionis. Similiter Misericordia. Cui misericors Iesus illam exhibeat, Homini. Quid sit homo.

Sed inquies, hic homo Dei manibus formatus est; ita, sed diaboli manu destructus! hic homo, imago Dei est, sed per peccatum corrupta & deturpata! Anima hujus hominis est gemma preciosa. sed jacet sepulta in luto. hic homo est veluti Rex & Dominus in mundo; sed perfidus suo creatori. Est paterfamilias; sed prodigus & infidelis. Serviunt illi omnes creaturæ; sed ipse servus est suarum passionum, mancipium dæmonis! Homo nobilior est sole, luna, stellis, homo pollet memoria, intellectu, voluntate, verbo, est nobilissima creatura. Verbo elevabo omnia; sed est, peccator.

§. 2. Quid sit peccator.

Quid

§ 4. *Prosecutio.* Quid est esse peccatorem, sive, reum peccati mortalis? Peccator, est servus diaboli, est rebellis & proditor divinæ Majestatis, qui quovis momento meretur detrudi in infernum. Peccator, est inimicus & hostis Dei, est homicida Dei, contra quem omnes creaturæ clamant vindictam. Peccator est reus sanguinis, mortis & crucis Christi. &c. Nihilominus (in hoc consistit infinita Dei & Jesu Christi bonitas & misericordia) erga hanc creaturam divina bonitas apponit cor suum, hanc reputat &c. de hoc peccatore jurat per Ezech. cap. 33. v. 11. *Vivo ego dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* S. Hier. hic: *Iurare se dicit, ut si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro salute nostra juranti.* bene hic exclamat S. Bernardus. *Mira Dei quærentis dignatio, magna dignitas quæsiti.* v.g. creator amat creaturam! hæc est infinitas misericordiæ, ditissimus pauperem, (ut ante.) Omnipotens debilem! (ut ante;) infinitus, finitum! hæc est immensitas misericordiæ! est pulcer locus.

Nihilominus huic Deus & Iesus est misericors.

§ 5. *Misericordia insequitur fugientem peccatorem.* Latet aliud in hac circumstantia cui, quod immensitatem misericordiæ Salvatoris erga impium magnopere declarat, & extollit. nam peccator, cui Deus misericordiam suam offert, plerumque, sæpe saltem, illam respuit, & vocanti Deo ad gratiam, ad pœnitentiam in faciem resistit. neque tum tamen misericordia cessat instare, pulsare, & subsequi fugientem peccatorem. Pulcrum exemplum reluctantis animæ nobis proponit c. 4. S. Joannes: fatigatus Jesus ex itinere, juxta Samariam, consedit ad fontem; perrexere Apostoli in urbem ad afferenda necessaria; dispositione divinæ providentiæ eodem tempore ex urbe egreditur mulier Samaritana haustura aquam. Placuit illa, licet peccatrix, licet impura &c. suavissimis oculis Christi, ergo, rete expandit, ut illam capiat, ut trahat ad cognitionem Messiæ; verum quantum illa resistit. Petit v. 10. ab illa Jesus humanissimis verbis haustum aquæ, *mulier da mihi bibere*; negat illa, se id officii posse præstare Judæo. Inhumana muliercula, speciosissimo inter filios hominum negat haustum aquæ; ille nihilominus ipsi offert fontem salientem in vitam æter-

æternam: propterea, Samaritana illum arguit arrogantiæ, quod se majorem faciat, quàm fuerit Jacob. Instat Dominus, promittit illi aquam vivam, quæ sedat sitim; renuit, rejicit, contradicit domino, mentionem faciens sui mariti. Cessatne fortassis bonus Jesus, quin reluctanti fœminæ ulterius insidias, sed salutares struat? non cessat, paucis verbis ipsam convincit mendacii; fateri cogitur se non esse conjugatam, sed fornicariam, dicente Domino, clarè, v.18. *hic non est maritus tuus.* cogitur advertere latere in viro illo aliquid divinum, neque tamen dat manus, conatur evadere, injicit quæstionem de loco veri sacrificii, innuit se sperare adventum Messiæ; respondit Jesus suavissime, v.27. *Ego sum qui & loquor tecum.* quæ verba, tandem aperuerunt oculos mulierculæ, expugnarunt duritiem cordis, ut cucurrerit ad urbem, nuntiaritque incolis adesse Messiam. Liceat hic mihi exclamare cum S. Greg. l.28. mor. *Quantum nos diligit! qui nos, ne cum respuitur, relinquit.* Verè Auditores, sæpe & nos sumus filii hujus mulieris Samaritanæ; hæremus in statu peccati, sumus hostes Dei &c. nihilominus Christus D. nos insequitur, instat, urget, obtrudit quasi suam misericordiam, & tamen resistimus, reluctamur, respuimus gratiam.

De hoc conqueritur per Isa. c.65. v.2. *tota die expandi manus meas* (præcipuè affixus cruci) sed *ad populum incredulum, & contradicentem.* Benedictus Justinianus in c.2. ad Rom. pulcre explicat, quid sit expandere manus. 1. extendere manus, est opitulantis more præsto esse, & misero atque afflicto opem ferre. 2. manus extendit, qui liberales eleemosynas distribuit inter pauperes. Prov.30. v.20. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* 3. (S. Hier. in Is.) *significant expansæ manus, & parentis clementiam, suos filios in sinum recipere gestientis.* (est pulcer locus) hæc omnia exhibet Jesus peccatori. 1. præsto est miserabili peccatori offert opem. 2. est liberalissimus, manus habet tornatiles, offert sanguinem &c. 3. pater est, gestit peccatores recipere in sinum cordis. Sed eheu! quot sunt increduli? quot contradicunt, quot resistunt? dicere licet, quantum diligit, qui ne cum respuitur, miseros peccatores relinquit.

§. 6. *Querela Christi &c.*

§. 7. *Pulcer locus de petra fundente aquas.* Notum est, S. Paulum 1. Cor. 10. v. 4. appellare Christum Dominum, petram; *petra autem erat Christus*; habuit S. Apostolus præ oculis prodigiosam petram, quæ Numer. 20. baculo à Moyse percussa, crystallinas effudit lymphas pro solatio sitientis populi; imò licet post ingens beneficium ingrati Israelitæ paulò post contra Deum murmurarint, tamen ingenti miraculo, hæc petra, hic saxeus fons populum fuit secutus per desertum. & (inquit cit. Apost. eod. v.) *bibebant omnes de consequente eos petra, petra autem erat Christus*. S. Hier. Ubicunque, figebant tentoria, volvebatur petra in medio castrorum, nullo horum impellente, emittens largissimos rivulos, in satietatem populi & jumentorum. O jucundum spectaculum! sed aliud æque volupe spectate Auditores, eia peccatores erigite oculos, aspicite Jesum crucifixum, ipse est hæc prodigiosa & prodiga petra. vos percutitis! virgæ ferreæ sunt peccata vestra. vos clavis & spinis confoditis! Clavi & spinæ sunt linguæ vestræ, blasphemæ, maledicæ, scurriles. Vos lancea foditis! lancea est maligna voluntas. vos Jesum, in cruce vulneratis; nihilominus vobis largiter fundit, non tantum aquas gratiarum, non tantum lacrymas, sed sanguinem, toto corpore, ex omnibus vulneribus, præcipuè ex quinque fontibus, in manibus, pedibus, & ipso corde. Ex his vobis bibere licet. quot nihilominus murmurant? quot ingrati! plus ergo facit hæc petra, sive misericordia Jesu crucifixi, sequitur, insequitur peccatorem &c. quis non iterum cum S. Bernardo exclamet ser. 83. in Cant. *Domine quis similis tui? quis non stupeat caritatem Dei spreti, & revocantis*. vel cum S. Greg. hom. 23. in Evang. super illud Jer. 3. *tu autem fornicata & cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, & ego suscipiam te. te* adulteram, te perfidam &c.--*Pensate fratres pondus tantæ pietatis, ecce vocat, quos ingratos denuntiat.* Jesus autem misericors est peccatori, ob delicias quas ex conversione ejus percipit. Christus auceps est. itane? cur ergo non contentus est avibus paradisiacis, id est Angelis? quid quærit corvos &c. ℞. D. Hugo Card. in Prov. *Potius sunt ei deliciæ in filiis hominum, quàm in Angelis quia in his quæ aucupio aut venatione*

tione capiuntur, fiunt deliciæ, non autem de domesticis. Angeli autem ad domesticas res pertinent, homines verò venatione prædicationis, & aucupio crucis cepit. (est pulcer locus) hic suspiro cum Origine hom. 18. in Num. *Vtinam & me captivum habeat semper Christus Iesus, & me ducat in prædam suam, & ego tenear ejus vinculis alligatus, & ego dici merear, Vinctus Iesu Christi, sicut Paulus de semetipso gloriatur.* Colligere ex hoc primo puncto facile potestis, cui, bonus Jesus sit tam misericors.


Sed cur illi est tam misericors? oriturne inde Deo aliquod commodum vel utilitas? dependetne inde, ut Deus sit Deus, ut immensus, ut bonus &c. additurne ideo divinæ essentiæ aliqua perfectio? obstringiturne ad hoc aliquo titulo vel lege justitiæ? Nihil horum; etsi cum Adamo omnes omnino mortales detruderentur ad inferos, (est pulcer locus) tamen esset Deus, immensus &c. Unicum ergo motivum, quod Deum & Jesum Christum ad nunc amorem erga peccatorem movet, est ipsa bonitas & misericordia. Suavissimè S. Paulus. Ephes. 2. v. 4. *Eramus natura filii iræ, Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos; & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Iesu.* Eia peccatores, ad Jesum confugite, illum amate, dolete quod unquam offenderitis, ex toto corde, & bonitas super vos; divitiæ gratiæ super vos! misericordia super vos! salus super vos! sed omnia, in Christo, & per Christum, quia ipse bonus est, & misericordia ejus usque in æternum. Si doletis de peccatis, ejus *gratia*, non vestris meritis doletis! si gemitis! *ejus gratia* gemitis &c. (est locus pro pulcra inductione.) §. 8. *Cur Deus vel Iesus peccatori sit tam misericors?*

Agnovit S. Bern. s. 1. de adv. *Profecto misericordiæ Dei est, quod non sumus consumpti. qui nos? nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores &c. Consulite conscientias vestras fratres, & videbitis, quia ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia* & misericordia; hæc motivum est, quod nobis Christus parcat &c. itaque *Confitemini Domino, quia super omnia misericordia* §. 9. *Miseratio Dei nobis est indebita.*

 ejus

ejus. Dicite cum S.Bern. ser. de 4dr. debito. *O quam indebita miseratio! quàm gratuita, & sic probata dilectio!* (*latent pulcra emphases*) *quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo! quàm invicta mansuetudo!* Dicat quivis cum Gilibert. Abb.ser.20.in Cant. *O me impudentem & ingratum, si non ego talem diligam-tanta circa me astrictum compassione-necessitate non obnoxium, sed pietate obnixum.* hic immergor pelago suavissimæ materiæ, emergere, pergere ultra non possum.

Finio itaque cum eodem Abbate: *Diligam te dulcis Domine, ut tuo satisfaciam desiderio. ideo enim tam es misericors, ex misericordia, peccatori, quia vis ut amet te.*



CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in coelis est.

Matt.18. cap. v.20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NEctit coronam quatuor decadum, ex diversissimis sanctorum Angelorum erga nos beneficiis, & officiis, veluti rosis, aut gemmis.

§.1. *Sollicitudo Dei circa hominē.*	§.4. *Altera Decas.*
§.2. *Ingressus in concionem.*	§.5. *Tertia Decas.*
§.3. *Prima Decas.*	§.6. *Quarta Decas.*

§.1. Sollicitudo Dei circa hominem.

QUæstionem Jobi c.7.v.17. *Quid est homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum.* bene explicuit S.Bern. ser.12.in ps.90. *Apponis erga eum cor tuum; geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes* (nimirum in hoc)

En mit-

En mittis unigenitum tuum; immittis Spir. S. Promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cælestibus vacet ab opera sollicitudinis nostra, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium; custodiæ deputas nostræ; nostros jubes fieri pædagogos. Magnitudinem hujus beneficii agnovit S. Bonav. ser. in f. S. Mich. *Magna pietatis & benignitatis indicium est, deputare tales Ministros humanæ fragilitati sine quibus nullo modo esset tuta.* Quod cap. 3. v. 7. Cant. liberaliter asserit de lectulo Salomonis, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel*; nos dicere possumus de humano genere; En innumerabiles è cœlo genii ambiunt; & qui sunt fortes illi? sive quæ est illa regia custodia? R̷. S. Athanasius in l. quæst. 122. *Fortes hi angeli Dei sunt.* In eo autem quod lectum circumstant intelligi datur eximia eorum cura, & vigilantia qua nobis dormientibus illi excubant. Dum Princeps vel generalis exercitus se dat quieti, ante fores palatii vel tentorii miles pervigil excubias agit. Nos sumus illi reges, nobis bonus Deus has constituit excubias &c. Quanta hæc angelorum custodum erga nos sit cura, ex diversis eorum officiis & beneficiis intelligemus, quæ hujus concionis erunt objectum.

Ex diversissimis officiis angelorum erga genus humanum, & innumerabilibus beneficiis, quæ nobis exhibent, & exhibuerunt hactenus, cogito auream, vel roseam & floridam nectere coronam, veluti ex totidem gemmis, aut pulcerrimis flosculis; ut illam angelis nostris custodibus, eorumque Principi & Duci, S. Archangelo Michaeli, cum demisissimo affectu offeram & præsentem. selegi pro corona hujus concionis rosas & gemmas quadraginta, quas in quatuor composui decades, ut jucunda & amœna varietas, sed brevis, vos recreet & oblectet. *§. 2. Ingressus in concionem.*

Angeli custodes, frequenter fuerunt Musici. Cum tortores immaniter sævirēt in corpus S. Martinæ Virginis, astiterunt illi quatuor cœlestes genii, qui cum eadem suavissimè Dei laudes concinuerunt. Cum in Anglia, consecrata fuit Ecclesia in honorem Apostol. Principis S. Petri, chori Musici Præfecti fuerunt S. Angeli. Iidem, animam S. Priscæ V. & M. cum suavissima melodia deduxerunt ad cœlū. Dum S. Conon M. inter dirissima *§. 3. Prima Decas.* I.

tormenta præ gaudio jubilaret, & in dulcem erumperet cantum, voci illius, vocem cœlestem, omnibus audientibus miscuit angelus custos. S. Onuphrio, mortuo in eremo, tristem, sed suavem lessum accinuere angelici Spiritus.
2. Angeli custodes, sunt Nuntii; præsertim ut ægris, & infirmis annuntient instantem diem obitus. S. Maximo ægro, apparens angelus dixit, *Maxime! Maxime!* & ipse: *Quis es tu?* cui Angelus. *Ego sum angelus Domini; noli timere: crastina die videbis S. Michaelem, cum choro Angelorum ad te venientem, ut te suscipiat in paradisum.* Sanctum Ceaddam Episcopum in Anglia, septem continuis diebus ante mortem, angeli, suavissimis verbis ad cœlestia gaudia illum invitarunt.

3. Angeli custodes sunt nostri Magistri, & instructores; præsertim in arduis mysteriis fidei nostræ. Cum Gerhardus Cluniacensis sub sacrificio missæ videret selectissimæ pulcritudinis parvulum; & ad latus altaris, astantem formosissimam Virginem de parvulo valde sollicitam; vidit quoq; speciosissimum angelum, qui illi dixit; *Hic parvulus, quem præ oculis habes, cœlum & terram regit.*

4. Sunt ductores viarum. Stellam quæ Magos deduxit ad præsepium, angelus direxit. Idem illos monuit, ut per aliam viam reverterentur in regionem suam; ita eluserunt insidias Herodis. Ex nobis præsentibus non deerunt, qui testabuntur, se angelorum Tutelarium ope, & opera, in viis arduis, è gravissimis periculis fuisse liberatos.

5. Sunt Ministri, Sacerdotibus litantibus ad aram. S. Andreas Carmelita, Episcopus Fesulanus, cum primitias celebravit, cœtus illi astitit angelicus. S. Xisto Summo Pontifici, dicenti ad populum, *Dominus Vobiscum*, ipsi responderunt. *Et cum spiritu tuo.* Romæ in æde S. Mariæ Majoris, sub sacro, quod Christus D. celebravit, S. Henrico Imperatori, sancti angeli attulerunt librum ad osculum pacis.

6. Sunt visitatores carcerum ad solatium captivorum: præsertim SS. Martyrum; vel è vinculis liberando, ut S. Petrum, vel
7. consolando. Sunt Argonautæ. Cum S. Raymundus ex ordine

dine S. Dominici, à nautis rejectus fuit à navi, novus nauta, nova vela, mari suspendit, pallium suum, & aspirante cœlesti aura, intra sex horas centum sexaginta milliaria per mare mediterraneum feliciter emensus fuit. Navim, velum, pallium, S. Raymundum duxit & deduxit angelus ejus custos. In navi, in qua fugit S. Basilides, Christus Dominus sedit ad clavum, angeli functi fuerunt officio remigum. Fugerant duo Christiani ex captivitate barbarorum, cum pervenere ad litus maris, à duobus juvenibus incitati fuerunt ad parvam cymbam, in qua postquam deducti fuerunt ad locum tutum, angeli cum cymba ex oculis eorum evanuerunt.

Officium angelorum Tutelarium est, ut clientes suos mane excitent ad consuetas preces. Joannes Carrera eam cum suo angelo inierat familiaritatem, ut quotidie hic favor illi exhiberetur. Cum res dubia illi occurreret, ad tutelarem angelum, veluti Consiliarium confugiebat, & felici successu; eodem eventu id multi alii tentarunt. Eo se frequenter demisit angelorum caritas, ut Vespillonum officium in se susceperint. In obitu S. Laurentii Justiniani Patriarchæ Veneti; cum corpus terræ mandaretur, angeli cecinerunt requiem, alii, thus & thuribulum detulerunt. Defunctis quibusdam anachoretis in eremo, ipsi præpararunt sepulcrum. Sancto Hildephonso recluserunt tumbam S. Leocadiæ. Funus S. Georgiæ Virginis prosecuti sunt, in specie nitidissimarum columbarum; ut similia multa prætercam; puto vos advertere me jam absolvisse primam decadem; ecce decem rosas, ecce decem gemmas; ecce decem angelorum officia & beneficia. Sunt Musici, sunt Nuntii mortis, Magistri & Instructores; Ductores viarum, Ministri missæ, sunt Visitatores & Consolatores captivorum, Nautæ, Excitatores, Consiliarji & Vespillones.

8.
9.
10.

Aggredior itaque alteram decadem. Tutelares angeli, §. 4. Altera Decas.
1. sunt nostri adjutores in spirituali prælio, contra animarum nostrarum hostes. S. Theodosius Abbas de se narrat, & ait; in ecstasi astitit mihi juvenis formosus, qui manu me apprehendens dixit, Veni in arenam, dimicandum est tibi. Introductus

fui in

fui in ingens theatrum; ex illo vidi, ex una parte ingentem multitudinem hominum, qui albis vestibus erant induti; ab altera parte, vidi milites innumerabiles in vestibus nigris; ex quorum numero prodiit terribilis gigas, cujus vertex, ipsas nubes videbatur penetrare, & dixit ad me Angelus Socius; *Theodosi, hoc cum Antagonista tibi pugnandum est*; cum timerem, & trepidarem, cum dicerem, *Quis cum ejusmodi adversario confligere præsumat? imo*, respondit, *pugnare te volo, & jubeo; præsto sis; succurram tibi, & confecto prælio, diademate te coronabo. Vt primum certamen auspicatus fui, Vici: evanuit monstrum, & universa atratorum multitudo.*

2. Angeli custodes sunt instructores viarum. Vix sine lacrymis legitur historia, de Maximiliano I. Imperatore, in quæ montium juga & præcipitia in Tyroli, illum deduxerit venationis ardor. Cum desperata essent omnia, cum à longe aspiceret Venerabilem Eucharistiam, & ita ad mortem se disponeret infelix juvenis, audiit non procul à se strepitum; & circumspiciens vidit, erectæ per rupis costam, juvenem quendam ignotum, habitu rusticum, dimovere ingentia saxa, & viam parare. Idem Juvenis mox Principem per horrenda præcipitia reduxit ad suos.

3. Ne miremini sanctos Angelos sæpius functos esse officio sartorum. S. Claram ex ordine S. Dominici quotidie sexaginta Angeli detulerunt in cœlum, ibique coram Christo & B. Virgine, veste summi precii, gemmisque distincta induerunt. S. Bonitus, cum nocte à B. Virgine jussus fuisset celebrare, Angelos non tantum habuit ministros, sed candida veste ab iisdem fuit indutus. Sicut & S. Sebastianus, chlamyde aurea, & purpureo baltheo succinctus.

4. Vicarios egere in choro, cum frequenter cum viris sanctis psalmos alternatim concinuerunt. 5. Sacerdotes, cum in necessitate constitutis cœlestem attulerunt cibum. 6. Imò, coquos & pincernas. Christo D. straverunt mensam in deserto. S. Mutio singulis diebus Dominicis Angelus Custos præparavit mensam, cum per reliquos dies maneret impransus.

Sanctis Terentio, Aphricano & sociis angelus mensam appo-suit dicens, ut cibo illo, quem Christus miserat, exhausta membra reficerent. Cum B. Michaël Magottus diutius hæreret in templo, domum redux reperit cibos, præparatos ab Angelis. 7. Sunt quoque Medici; cum plurimis optatam restituerint sanitatem; S. Rochus, læsus sagitta, ab illis fuit sanatus. 8. Sunt defensores Virginum, præcipuè illarum, quæ heroicè thesaurum Virginitatis suæ propugnarunt. S. Agnetem Spoliatam vestibus, divina luce armarunt, & veste cœlesti ornarunt. S. Luciam fecerunt immobilem. S. Thomam Aquinatem cœlesti cingulo præcinxerunt. 9. Paranymphi & desponsatores Virginum; cùm vox de cœlo invitasset S. Aldegundem, ut Agno Christo desponsaretur, angeli arrhæ loco illi obtulerunt nitidissimam vestem. S. Hermanno dixit angelus in præsentia Virginis Mariæ; *oportet hanc illustrissimam puellam tibi desponderi*; & apprehensam manum, cum dextera Virginis copulando ait, *Hanc ego Virginem tibi trado sponsam*. Sunt 10. vigiles custodes Deo dicatarum ædium; Monasterium, in quo vixit S. Gertrudis; angeli scuta scutis conjungentes, dies, noctesque texerunt. Advertitis? jam alias vobis exposui rosas vel gemmas pro altera decade; Sunt adjutores in prælio, sunt instructores viarum, sunt sartores, sunt vicarii, sunt sacerdotes, sunt coqui & pincernæ, medici, defensores Virginum, illarum paranymphi & desponsatores, & vigiles excubitores pro custodia sacratarum ædium.

Exordior itaque decadem tertiam. 1. Fuerunt agricolæ; cum enim S. Isidorus iret ad audienda sacra in templum, ipsi interim in agris duxerunt aratrum. 2. Fuerunt hortulani, per quos S. Dorothea è paradiso Theophilo misit pulcerrimos flores, & suavissimos fructus. 3. Sunt monitores ad peragendam confessionem, expertus id fuit septuagenarius rusticus, semel per omnem vitam confessus. Monitus frequenter, restitit, donec in via obvium habuit juvenem, qui ex eo quæsivit, Num vellet confiteri, an non? cum responderet, cras, modo se occupatum, dixit adolescens, nisi facis actutum, quod jubeo, ecce in lacunam hanc præcipitem te ago. Perculsus senex inclamato *§. 1. Tertia Decas.*

nomine Jesu confessionem promisit. Dum sine illa domum redit, eodem loco, in eandem cloacam à peregrino juvene proturbatus fuit; sed mox timore perculsum porrecta manu extraxit, & ad sacrum pœnitentiæ tribunal deduxit. 4. Fuerunt frequenter Infirmarii, ægrotis cum magna caritate inservientes. 5. servi & bajuli facum. S. Franciscæ Romanæ in tenebris oranti, assistere solitus fuit angelus custos, tam illustri facie, ut ad ejus splendorem minutissimos characteres legere posset. Venerabile sacramentum sæpius comitati sunt cum facibus. Cum B. Maria Ogniacensis nocte iret ad templum B. V. Angeli prætulerunt lumen. 6. sunt promotores devotionis erga Christi D. Passionem ideo S. Ludvvinæ lectulum ante communionem circumdederunt gestantes arma Passionis. B. Agneti de monte Politiano attulerunt terram de monte Calvariæ, irrigatam sanguine Christi. 7. sunt solliciti advocati pro animabus in purgatorio. Eidem B. Agneti ostenderunt illi ardentes in flammis, ut ardentior esset ejus devotio. 8. Instructores concionatorum. 9. sunt milites, ut patet ex innumeris historiis, in quibus Christiani ope SS. Angelorum contra barbaros nobilissimas obtinuerunt victorias. (videri possunt libri Machab.) 10. Notum est, eosdem esse nostros disertissimos advocatos in cœlis. Absolvi decadem tertiam, sunt agricolæ &c.

§. 6. Decas quarta.

Restat quarta. 1. sunt præsides fontium. Cum Ismael filius Agaris præ siti expiraret, angelus sub arbore excitavit fontem. Cum baptizari deberet Pelagia, jam magnis torta tormentis, ante pedes Clinonis Episcopi, angelus ejus Tutelaris ex rupe eduxit fontem. 2. Præfecti carcerum, ex quibus pios captivos frequentissime liberarunt. 3. scribæ: cum electorum nomina aureis literis Libro Vitæ sunt inscribenda. 4. Pictores; dum novissimorum vivas species & imagines in clientum cordibus depingunt. 5. Induunt personas mendicorum, ut è divitum manibus extorqueant eleemosynas. Talem mendicum ad suam mensam admiserat S. Jvo, qui mox conversus fuit in lucidissimum angelum. 6. Libentissimè funguntur officio sacristanorum. S. Homobono nocte accedenti ad Ecclesiam ipsi

ape-

aperuerunt fores. Idem ſanctus frequenter in templo vidit illos aſſiſtentes altari, cum aureis thuribulis. Cum Mediolani ſacerdos celebraret ante imaginem B. Virginis, velo tectum, angeli illud removerunt. S. Conſtantinus M. tres æneas juſſit erigi cruces, quibus ſeparatim has voces inſcripſit: JESUS. CHRISTUS. VINCIT. Multa hic patrata miracula, inter alia, ter quot annis intempeſta nocte, de cœlis deſcendit angelus, ingenti ſplendore, qui cruces circumiens, cum ſuaviſſimo ſuffitu, Triſagion, ſanctus, ſanctus, ſanctus: ſuaviſſimè decantavit. O cœleſtes ſacriſtanos.

7. Sunt ephœbi B. Virginis; ad majus ſolatium mortalium; quoties ferme illa in hiſtoriis legitur apparuiſſe, vel magnos favores exhibuiſſe ſuis clientibus, id fecit in comitatu angelorum. Teſtis eſt S. Franciſcus Seraphicus cum in ſacello angelorum Aſſiſiis à B. Virgine cœleſtes accepit roſas, teſtes indulgentiarum, à Chriſto D. conceſſarum. Prætereo innumeras hiſtorias. 8. ſunt Victores dæmonum, à quibus clientes tentantur. Inſinuo tantum innumera illorum beneficia. 9. Gaudent, cum veluti ſocii, ſuos clientes comitantur ad S. Synaxin. S. Ludgardis viſa fuit illam accedere, ſtipata integris choris angelorum. 10. Addo denique, fuiſſe frequenter Conſolatores Martyrum, in diverſiſſimis tormentis, diverſiſſimis modis; quod illorum officium & beneficium innumeræ de SS. Martyribus Hiſtoriæ ſatis eloqui non poſſunt. Ex quibus omnibus facile colligemus, 1. quam SS. Angelorum indigeamus cuſtodia. 2. Quem illis debeamus amorem, & devotionem. Sunt noſtri comites, ſunt cuſtodes &c.



CONCIO LXXXIV.

FESTO SS. APOSTOLOR. SIMONIS & JUDÆ.

Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.

Joan. 15. cap. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUàm seriò Christus Dominus nobis præceperit dilectionem proximi; quænam præcipua hujus virtutis opera; quamque nobis sit necessaria & utilis.

§. 1. *Caritas Dei, & dilectio proximi, sunt duæ alæ.*

§. 2. *Suprema verba parentum, filiorum mentibus altum solent inhærere.*

§. 3. *Ideo Christus suis Apostolis in ultima cæna tam serio commendavit hanc caritatem.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Caritas est regalis purpura.*

§. 6. *Quare Christus Dominus caritatem vocaverit suum mandatum.*

§. 7. *Si à Christo Domino volumus diligi, debemus diligere proximum.*

§. 8. *SS. Simon & Iudas fuerunt eximii in hac dilectione.*

§. 9. *Invigilat Christus Dominus, an hoc præceptum observemus.*

§. 10. *Quænam sint opera dilectionis.*

§. 11. *Alia ex S. Augustino.*

§. 12. *Caritas hæc requirit cor unum, & animam unam.*

§. 13. *Similitudo.*

§. 14. *Epilogus.*

§. 1. *Caritas Dei & proximi sunt binæ alæ.*

IUcundum nostris oculis spectaculum esse solet, elevare illos in äëra, & aspicere volatum avium. Videre, verbi gratia, accipitrem, altissimo volatu gyrantem se in aëre, ut insidietur co-

tur columbæ; vel aliquam aquilam librantem ſe in altiſſimos montes; vel hirundines & alaudas tenuibus plumis, rumpentes tamen & ſcindentes cæruleum æquor aëris. Videtur Salomon hoc avium volatu fuiſſe delectatus, cum dixit Prov.30.v.18. *Tria ſunt difficilia mihi.* Inter illa fuit via aquilæ. Inſtrumenta verò quæ naturæ auctor illis dedit, quorum opera, terram, arbores, montes deſerunt, & altius in aëra ſe librant & ſublevant, alia non ſunt, quàm binæ alæ ex plumis, quibus grandis etiam aquila ad ſolem uſque inaltum ſeſe elevat. Jucundius Deo & Angelis ejus eſt ſpectaculum, ſi videant cor hominis, quod tot vinculis à terra detinetur, ſi inquam videant, quod illis ruptis, mundum, vana, terrena deſerat, & liberum volet, in altum ad cœleſtia; non aliis inſtrumentis, quàm duplici ala, duplicis caritatis, erga Deum & proximum. Hujus mentis ante me fuit S. Auguſtinus, nam in pſ.121 ait; *Caritas tanquam extentis pennis, & duabus alis, id eſt, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat,* & D. Greg.l.7.ep.3. *Pennæ ſingulæ, ſive alæ, ſunt caritas Dei & proximi, per ipſas ſancta Eccleſia evolat, per ipſas terrena omnia tranſcendit.* Loquuntur hi ſancti Patres de tam eximia virtute, veluti de aliqua aquila, vel Pelicano, vel Phœnice. Ob eximiam & infinitam hanc caritatem grandis aquila, liberalis Pelicanus (dat enim ſanguinem) & ardens Phœnix fuit Chriſtus Salvator noſter. Tales deinde aquilæ, tales Pelicani, tales phœnices fuerunt glorioſi ejus Apoſtoli, inter illos Simon & Judas, quorum hodie feſtum celebramus; bene habet, cogitemus nos eſſe pullos harum aquilarum: provocant nos ad volandum. Sumus pulli illius pelicani, qui ſuo ſanguine nos paſcit. Conemur & nos corda noſtra cum illis elevare in altum; ſed ſimus memores duplici ala nobis opus eſſe, caritate Dei & proximi, de illa ago alias, de poſteriori hac concione dicam duo; primò: quàm ſerio Chriſtus Dominus dilectionem proximi nobis præceperit; Secundò quænam ſint opera hujus dilectionis, miſcebo ſubinde aliqua de neceſſitate & utilitate hujus dilectionis.

§ 2. *Suprema verba parentum filiorum mentibus altum solent inhærere.*

Paterne, suaviter, sed serio Christus Salvator noster mandatum hoc dilectionis proximi nobis commendavit. Solent pii parentes, cum jacent in agone, vocare ad se filios suos, illis benedicere, bonis præceptis instruere, & ultimis ferè verbis id commendare, quod maximè desiderant. c. 48. & 49. Genesis; legere potestis quo affectu id fecerit moriens Jacob erga Joseph, reliquos filios, & nepotes. Senior Tobias, in hora mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem Juvenes filios ejus, nepotes suos, dixitque eis c. 14. v. 10. *Audite filii patrem vestrum, servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi.* Non lubet mihi modo proferre profanas historias. Et boni filii, solent ultimorum verborum parentum diu meminisse, solent dicere, in hora mortis meus Pater hoc mihi mandavit; Cum amantissima mea mater ultimos traheret spiritus, ex morientis ore hæc verba excepi; his ultimò me fuit allocuta & tales filii simul sibi persuadent, peculiari titulo se obligari, ut ultimæ parentum voluntati satisfaciant.

§ 3. *Ideo Christus Dominus suis Apostolis tam serio commendavit caritatem.*

Ex Evangeliis scimus Christum Salvatorem nostrum suis discipulis & auditoribus frequentissimè commendasse mandatum, dilectionis proximi. Euthymius. Frequenter Christus talia dixit. (*nimirum diliges proximum tuum; hæc mando vobis ut diligatis invicem*; præceptum primum est ut ametis Deum, secundum simile huic, ut *diligatis proximum*) ut cordibus discipulorum caritatem indelebiliter insculperet. Sed nunquã affectuosius, suavius id fecit, quàm postquam discessurus ex hoc mundo instituisset sanctissimum sacramentum Eucharistiæ, quasi in hora mortis suæ, in ultimo cum Apostolis colloquio, in suprema valedictione Joan. 15. v. 12. dixit: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, hæc mando vobis ut diligatis invicem. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.* Deinde sublevatis in cœlum oculis, in ferventissima oratione, inter ardentes preces dixit: Joan. 17. v. 11. *Pater sancte serva in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos - ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Videtur hæc orando ad Patrem simul obtestari discipulos & Apostolos per altissimum

ſimum myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, per illum amorem & unionem, quæ eſt inter tres Perſonas, Patrem, Filium, & ſpiritum Sanctum, ut ſe invicem diligant,& unum inter ſe ſint. Denique obteſtationem hanc ad Apoſtolos, & ſimul orationem ad Patrem ſuum finit ſuaviſſimis illis verbis, v.26. ejuſd.cap. *Vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Hæc Chriſtus Dominus dixit diſceſſurus ex hoc mundo,in hora mortis: Cum nos ſimus filii amantiſſimi hujus Patris, æquum eſt primò,ut ultimæ hujus valedictionis ſimus memores. Secundò;ut laboremus ſatisfacere ultimæ Chriſti morientis voluntati, diligendo proximum, ex intimo corde. Ut in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ſimus unum in Chriſtiana dilectione.

Quam ſerio velit, Chriſtus Dominus, ut nos invicem diligamus, colligunt ſancti Patres ex illis ejus verbis Joan.13. v.35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* ſuper quæ verba S.Chryſ. ait hom.71. *Dilectionis ejus ſigno notat quoniam vel hæc maximè ſanctorum hominum eſt indicium.* De hoc indicio dixit ſponſa in Cant.c.2.v.4. *Ordinavit in me caritatem.* in hebraico habetur, *Vexillum ejus ſuper me caritas.* quaſi diceret ſponſa, ſequor vexillum mei ſponſi. Ut ſenſum intelligamus advertere oportet, quod ex vexillis agnoſcantur milites, cui militent Imperatori. Vexillum cum aquila præfertur militibus Imperatoris; lilia in vexillis, Gallis; leones Hiſpanis, Luna Turcis; ſic de aliis populis. Sponſæ ſuæ ait ſponſus, ſive Chriſtus Dominus Eccleſiæ, *pulcra es amica mea* (Cant.6.v.3.) *ſuavis & decora ſicut Ieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Vexillum eſt caritas; in hoc cognoſcunt omnes nos eſſe milites Chriſtianos,ſi dilectionem habuerimus ad invicem. *§. 4 Proſecutio.*

Pulcro id ſimili declarat S. Chryſoſt. hom.32. in epiſt.1. ad Corinth. *Quemadmodum (inquit) veſtes licet aureæ ſint, calceamenta aurea; aliud tamen indumentum requirimus, ut regem agnoſcamus, ubi primum aut purpuram aut diadema intuemur, jam Regiæ Majeſtatis ſignum nullum aliud expectamus.* Ita ſane *§. 5. Caritas eſt regalis purpura.*

ſane, cui caritatis diadema incumbit, jam nihil obſtat; quo minus Chriſti diſcipulus verè exiſtimari poſſit.

§.6. *Quare Chriſtus Dominus caritatem vocaverit ſuum mandatum.*

Ob eandem cauſam puto Chriſtum Dominum dixiſſe, *hoc eſt mandatum meum,* non quod plura non habuerit, ſed ut innuat hoc eſſe præcipuum, ſibiquè maximè gratum. Quemadmodum pater aliquis qui plures habet filios, aliquando de uno dicit, hic eſt filius meus; non quod neget etiam alios eſſe ſuos, ſed ut oſtendat ſe hunc peculiariter æſtimare & diligere. Ita Chriſtus Dominus licet multa præcepta dederit, de præcepto tamen caritatis ait, *hoc eſt præceptum meum*; *hoc mando vobis, ut diligatis invicem*, non quod neget alia præcepta eſſe ſua, ſed vult indicare, ſibi vehementer placere, eſſe ſibi cordi, ut nos diligamus. Sine dubio, ſi perpenderemus, quàm placeat Chriſto Domino quàm rem gratam illi faciamus, cum proximum diligimus, cum benè illi volumus, cum in neceſſitate illi ſuccurrimus, cum pauperi damus eleemoſynam, cum conſolamur mœſtos, cum alia opera miſericordiæ exhibemus; ſine dubio conaremur hoc mandatum Chriſti æſtimare & exequi.

§.7. *Si à Chriſto Domino volumus diligi, debemus diligere proximum.*

Certè ſi nos à Chriſto Domino diligi volumus, oportet ut nos diligamus proximum; Ex hac quoque circumſtantia apparebit, quàm ſeriò Chriſtus velit, ut mandato hujus dilectionis ſatisfaciamus. Hi duo amores, Chriſti Domini erga nos; & noſter erga proximum, pari quaſi paſſu currunt; unus eſt menſura & regula alterius. Notavit id B. Petrus Damiani in diſcipulo de quo dicitur Joannis 21.v.20. *Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.* verbo; S. Joannes Evangeliſta fuit dilectiſſimus Chriſti Domini; in ejus feſto hoc multis ſolet declarari. modo ſuppono; ſed hoc advertite; qualis viciſſim & S. Joannes fuerit in dilectione erga proximum. legite ejus epiſtolas. omnia capita, omnes periodi, omnes lineæ, omnia verba, omnes ſyllabæ, omnes literæ ſpirant fraternam dilectionem. pulcrè ait cit. Dam. ſer.1. de S. Joanne. *Vnde divinitus illi conceſſum eſt, ut tanta cor ejus etiam circa fratres caritatis gratia repleretur, ut ſacroſanctum pectoris ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii.* certè dum ſuam epiſtolam ſcripſit, quot verba, tot ca-

tot caritatis flammæ ex illo camino eruperunt, ut nimirum (pergit B. Damian.) *plus amaret* (ſcilicet proximum) qui plus amabatur (à Chriſto Domino) & *qui primus erat in Redemptoris amore, præcipuus in fraterna fieret caritate.* Auditores Cariſſimi, animæ piæ! Nunquid & vos primi eſſe vultis in amore Redemptoris? conamini eſſe primi in dilectione proximi: quantum hæc in vobis creſcet, tantum erga vos augebitur amor redemptoris. Nunquid & vos recumbere vultis ſupra dulciſſimum pectus & cor Chriſti? videte ut veſtrum pateat proximo. Quantum hoc per dilectionem reſeratis & aperitis proximo, tantum vobis patet pectus & cor Jeſu. Nunquid præterea amici eſſe vultis Chriſti Salvatoris? non dubito. Ejus amicitiæ nihil comparari poteſt, ſed diligite proximum. Ipſe Chriſtus dixit, vos amici mei eſtis, ſi dilexeritis invicem.

§. 8. *Sancti Simon & Judas fuerunt eximii in dilectione.*

Quæ de S. Joanne Evangeliſta dicta ſunt, eadem in honorem ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ hodie dici poſſunt. Magni fuerunt in amore Chriſti Salvatoris, & quia amarunt illum, ab eodem amati ſunt, adeò ut digni habiti fuerint pro eodem vitam & ſanguinem fundere. Sed ſimul magni & eximii fuerunt in dilectione proximi. nam poſtquam Simon magnis laboribus ſalutem proximi & animas quæſiviſſet in Meſopotamia, Judas in Ægypto, denique in Perſide convenientes, poſtquam innumerabiles filios Chriſto Jeſu peperiſſent, glorioſo martyrio ſuum & erga Deum amorem, & dilectionem erga proximum ſunt conteſtati.

§. 9. *Invigilat Chriſtus Dominus ut hoc præceptum obſervemus.*

Potentis & ſapientis legiſlatoris eſt, non ſolum ferre legem, ſed invigilare, & attendere ut obſervetur. Non tantum, ut dixi, dedit præceptum dilectionis proximi, ſed vigiles habet oculos, an executioni detur. Ait S. Joannes cap. 1. v. 16. & 2. v. 1. Apoc. vidiſſe ſe filium hominis; *qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, qui habet oculos tanquam flammam ignis.* Ecce luci diſſimos oculos! hoc conjecit in Epiſcopum Epheſi; & ait illi, *ſcio opera tua, & laborem, & patientiam, ſed habeo adverſum te, quod caritatem tuam primam reliquiſti.* Eoſdem vigiles & ſplendidiſſimos oculos in

alium conjicit Episcopum Ecclesiæ Thyatiræ, huic ait, *Novi opera tua, & fidem & caritatem.* Eosdem Christus Salvator noster in nos conjicit oculos, timeo ne videat, & quod habeat adversum aliquos, quod proximum non diligant. Timeo, ne aliquos videat, qui non tantum non diligunt, sed oderunt proximum, timeo ne aliquos ex meis auditoribus videat, qui proximo detrahunt (est locus pro pulcra inductione accommodanda auditoribus.) Christus Dominus tenet in dextera stellas septem, ambulat inter candelabra aurea, inter lampades, habet oculos tanquam flammam ignis, omnia videt, præcipuè si caritatem relinquamus. Sed scio etiam inter vos esse qui diligitis proximum; sic pergite, videt vos Jesus! Sunt inter vos qui benefacitis pauperibus, pergite, videt vos Jesus; & diligit vos. (est rursus locus pro pulcra inductione.)

§ 10. *Quænam sint opera dilectionis.* Nominando hos actus caritatis delabor ad alterum punctum concionis, in quo dicere volui quænam sint opera dilectionis erga proximum. Describit illa eleganter S. Paulus ad Coloss. 3. v. 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Christus donavit vobis, ita & vos.* Descendit deinde ad varios gradus hominum, ad mulieres, ad viros, ad filios, ad parentes, ad servos, omnibus præcipit, *super omnia caritatem habete*; scitis quàm pulcrè describat caritatem, 1. Cor. 13. v. 4. *Caritas patiens est, caritas benigna est.* In citato ante capite ponit opera, caritati contraria, ut illa melius elucescant, *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* Ad hunc sermonem pertinent imprecationes, calumniæ, quibus Christiana caritas læditur.

§. 11. *Alia ex S. Augustino.* Sanctus Augustinus l. de vita Christiana hominem diligentem proximum his coloribus depingit. *Ille est Christianus, sive discipulus & amicus Christi.* Primò qui omnibus misericordiam facit. Secundò qui omninò non movetur injuria. Tertiò qui opprimi pauperem se præsente non permittit. Quartò

qui

qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit. Quintò qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur. Sextò cujus domus omnibus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat. Septimò à quo nemo sentit injuriam. Hæc & similia continet mandatum Christi Domini de dilectione & caritate proximi.


§. 12. *Caritas hæc requiris cor unum & animam unam.*

Unum ex præcipuis est, ut inter nos sit cor unum & anima una, per Christianam unionem & concordiam, & caritatem, quam idem S. Paulus vocat ad Coloss. 1. v. 14. *vinculum perfectionis*. id est, ut Vatablus legit; *vinculum perfectum*, quod perfecte hominum corda, & in quovis homine omnes virtutes unit & nectit. *Vinculum perfectionis*. quasi diceret. Omnes Christianæ virtutes & præcepta in caritate quasi in centro uniuntur, extra illud, si caritas & unio non adsit, dissolvuntur. Sicut anima unit omnia corporis membra, totumque corpus integrat, ut si anima auferatur, membra dissolvantur & corpus pereat. Et sicut domus connectitur & consistit per suas colligationes & vincula, iisque sublatis solvitur & corruit; ita caritas inquit Theophylactus, unit omnes virtutes, completque totum corpus & domum perfectionis Christianæ; caritate & unione sublata corruat necesse est.

§. 13. *Similitudo.*

D. Greg. hom. 27. in Evang. hoc explicat simili, ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate generantur & propullulant. Et sicut rami exsiccantur & moriuntur, si separentur à radice, ita virtutes sine caritate languent. Et patet à contrario. Sicut enim, ubi non est unio & caritas proximi, plurima regnant vitia, nam ubi non est caritas, ibi est superbia, est arrogantia, est odium, qui caritatem non habet, agit perperam, inflatur, irritatur (est locus pro pulcra inductione) ita econtra, ubi est caritas, sunt multæ aliæ virtutes, adest humilitas, adest benignitas. Virtutes à caritate separari non possunt, neque hæc ab illis. Puto vos advertere, quod dum nominare volui opera caritatis, simul ejus necessitatem & utilitatem paucis insinuarim, de quibus alibi agendum est fusius.

§.14. Epilogus. Precor vobis auditores quod Abigail. 1.Reg. c.25.29.apprecata fuit, *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum tuum. porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.* Tales lapides sunt experti, qui rotantur in inferno. Electi constituunt fasciculum viventium; ad hunc electorum fasciculum in cœlis pertinet Beatissima Virgo, pertinent Apostoli. Ad hunc fasciculum in terris pertinent omnes qui colligati sunt vinculo caritatis; ut fasciculus viventium idem sit quod fasciculus diligentium; concede mi Jesu ut animæ omnes meorum auditorum in hoc fasciculo sint custoditæ.



CONCIO LXXXV.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.

Matt. 5. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFfert varia, de vero gaudio cordis, quod nascitur ex spe futuræ gloriæ.

§.1. *Exordium,*
§. 2. *Spes futura beatitudinis est radix veri gaudii.*
§. 3. *Quodnam sit gaudium Sanctorum.*
§.4. *Sancti gaudent in hoc mundo, etiam in tribulationibus.*
§. 5. *Prosecutio.*
§. 6. *Quid tollat verum gaudium.*
§. 7. *Vnde verum gaudium.*
§. 8. *Gaudendum quia merces nostra est in cœlis.*
§. 9. *Prosecutio.*

§.10. *D-e*

§. 10. *Descriptio cœlestis beatitudinis.*
§. 11. *Desiderium cœli, solatur nos in tribulationibus.*
§. 12. *Vtilitas tribulationis.*

NI fallor, videor mihi aspicere meos auditores hodierna solennitate, lætos & hilares, ut dicere possim cum Salomone Prov.15.v.13. *Cor gaudens exhilarat faciem*; corda vestra sunt plena cœlesti quodam gaudio, hinc illa in vultibus vestris hilaritas. c.17.v.22. dixit Salomon. *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Animos autem vestros puto esse gaudentes, quia sperant se aliquando fore participes illius gloriæ, qua sancti omnes, quorum festivitatem hodie celebramus, fruuntur in cœlis. Si hoc speratis, gaudete & exultate; &c. Si verò aliquis est inter meos Auditores; (ostendite mihi vestros oculos & vultus, aspicite me irretortis oculis, facile advertam, quod volo dicere) qui scit in illo statu quo vivit, ob actuale odium, ob actualem luxuriam, ob quodvis peccatum mortale, in quo si moreretur, quod salvari non possit; hic, *si mœrore animi dejiciat spiritum suum.* Prov.15. v.13. non mirum, *si spiritus aliquis tristis exsiccat ossa* c.17.v.22. O miserum! terquater infelicem! qui sperare non potest, se cum omnibus sanctis fore beatum! sed scio S.Chrysostomum dixisse hom.18. ad pop. *Gaudere cupimus omnes, & propter hoc omnia facimus & dicimus, & negotiamur. Mercator ideo navigat, ut pecunias congreget, congregat autem, ut iis gaudeat. & exercitus dux ideo tractat arma, & agricola colit terram & quisque artem suam tractat, ut honore & lucro gaudeat.* S.Bern. *Non est qui gaudere non velit.* Et S.August. in confess. *Vnum est, quo pervenire omnes nituntur, ut gaudeant.* itaque & vos Audit. gaudete & exultate, in cœlis aliquando merces nostra erit copiosa. De hoc gaudio, de sanctorum vita, sive illis mediis, quo meriti sunt in regnum cœlorum, de illorum felicitate pluribus aget hæc concio: quia materia jucunda est, spero hilarem fore auditorum meorum in audiendo benevolentiam & attentionem. *§. 1. Exordium.*

Si bene dixit S.Aug. tunc maximè gaudendum esse, *quando bea-* *§. 2. Spes futu-*

ra beatitudinis est radix veri gaudii.

do beatæ vitæ nomen auditur; puto hodierna solennitate gaudium nostrum ingens esse posse, qua audimus legi & cani, Gaudent & exultant sancti in cœlis; in vita jucundissima & beatissima. Sed idem S. Aug. bene advertit; Non esse hoc gaudium, quod datur impiis, sed eis, qui Deum colunt, quorum gaudium ipse Deus est. *Et ipsa est beata vita* (etiam in terris) gaudere ad Deum, de Deo, in Deo, & propter Deum. Gentilis Seneca hoc agnovit ad Lucilium ep. 59. *Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile magnumque assequantur, ignorant.* Ille ex conviviis & luxuria, ille ex ambitione & circumfusa clientum turba, (alius aliunde gaudet) omnes istos oblectamenta illa decipiunt, sicut ebrietas quæ unius horæ hilarem insaniam, longe temporis tædio pensat. In his omnibus non est verum gaudium.

§. 3. *Quodnam sit gaudium sanctorum.*

Aliter & ob alias causas lætati sunt sancti cum viverent in hoc mundo; fuerunt pauperes, sed beati; tristes & afflicti sed beati; lugentes, sed beati; in adversitatibus & tribulationibus, sed beati & gaudio pleni. prout Dominus jussit Matth. 5. vers. 11. *Cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quod & fecerunt teste B. Luca Act. 5. v. 41. *Ibant à conspectu concilii gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hoc est gaudium sanctorum. hæc est via certa ad cœlum, quam sancti tenuerunt, Apostoli, Mart. Confessores &c. pati, vexari, tribulari propter Christum, & tamen gaudere & exultare. hanc viam tenere debemus, si volumus fieri beati.

§ 4. *Sancti gaudent in hoc mundo etiam in tribulationibus.*

S. Paulus de se ait Coloss. 2. 2. Cor. 12. v. 10. *Nunc gaudeo in passionibus meis. & propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Neque solum in his gavisus, sed gloriatus fuit ad Galat. 6. v. 14. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce D. N. Iesu Christi*, 2. Cor. 12. v. 9. *libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* ad hebr. 10. v. 34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Hac doctrina

S. Jaco-

S. Jacobus exorsus fuit suam epistolam primam v.2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* & S. Petrus ep.1.c.4.v.13. *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus, gaudeatis exultantes.* ut merces vestra sit copiosa in cœlis -- *si exprobramini in nomine Christi beati eritis.*

In his imitemur sanctos, si illorum gloriæ cupimus fieri participes. Advertamus quinam fuerint gradus, per quos ad vitam beatam pervenerunt. In contumeliis gavisi sunt, quod essent digni aliquid pati pro nomine Jesu. Quid nos agimus Auditores, cum audimus dictam contra nos esse aliquam detractionem vel contumeliam; gaudemusne, patimurne libenter, an potiùs irascimur, excandescimus & fulmina imprecamur. Sancti, dum viverent in hoc mundo placuerunt sibi in suis necessitatibus & angustiis; &c. pro Christo. ideo hodie extant in cœlis, & copiosa est illorum merces. Imitamurne in hoc sanctos? placetne nobis paupertas? placentne morbi? dolores? pro Christo? gaudete & exultate, & vestra merces erit copiosa in cœlis. Sancti in hoc mundo gloriati sunt in cruce. Crux illis fuit scala ad paradisum. Clavis ad regnum cœlorum. Imitamurne in hoc sanctos; amamus ne, gloriamurne in crucem Dei; gaudete & exultate &c. Si contingat damnum aliquod inferri vestris bonis, vineis, agris &c. Suscipitisne cum gaudio, an cogitatis vos habere meliorem & manentem substantiam in cœlis? Hoc fecerunt sancti dum viverent, communicarunt Christi passionibus; cum eodem biberunt ex eodem calice, in flagella fuerunt parati, magis amarunt spinas quàm rosas, &c. & modo in revelatione gloriæ ejus gaudent & exultant: quomodo imitamur sanctos; communicamusne passionibus Christi? hoc necessarium est, si & nos aliquando in revelatione gloriæ gaudere & exultare velimus. *§. 5. Prosecutio.*

Ni fallor, placet vobis hoc gaudium. Cognoscitis, nihil esse melius, nihil beatius quàm ita lætari. teste Ecclesiastico c.30.v.16. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Itaque attendite quænam sit prima radix, ex qua hoc gaudium in homine *§. 6. Quid tollat verum gaudium.*

mine pullulat. Una res est, quæ illud nobis tollit. S. Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 25. *Nihil aliud est triste, nisi Deum offendere. Quod cum aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quicquam aliud sapientem animum contristare poterit; sed quemadmodum si exiguam scintillam in lacum dejeceris profundum, statim extinxeris, itidem & omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur.* S. Bernardus in l. de consid. *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius & securius bona conscientia*; quam habemus, si Deum saltem graviter non offendamus. Seneca ad Lucilium ep. 24. *Nolo tibi unquam deesse lætitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra te ipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus.*

§. 7. Unde verum gaudium.

Quid sit istud verum gaudium, interrogas? aut undo subeat? Dicam, ex bona conscientia. quæ in hoc consistit, ut putet se homo liberum ab omni offensa Dei & ut timeat eum offendere imposterum. Eccl. 3. v. 11. *Timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium.* S. Chrysost. hom. cit. *Deum enim, sicut oportet, timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem.* Ex hoc fonte, ex innocentia, ex justitia, ex carentia peccati mortalis, ex illius odio, alii fluunt rivuli; spes resurrectionis, fruitio multa angelicorum bonorum, regnum cœleste, repromissa bona, mentis rationisque vim omnem exuperantia. An non hæ causæ sunt sufficientes atque idoneæ; *gaudii nunquam desituri, ac perpetuæ lætitiæ?* Si à peccato mortali estis incoinquinati, ut in terris fuerunt omnes sancti, alioquin enim cœlum non fuissent ingressi, si timetis *Deum offendere &c. gaudete & exultate.* Eccl. 2. v. 9. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.*

§. 8. Gaudendum, quia merces nostra in cœlis est.

Fovebitur & augmentum capiet, hoc gaudium in cordibus nostris, si in æternam felicitatem, qua sancti fruuntur in cœlis, oculos conjiciamus. Patet ex verbis Christi, *gaudete quoniam merces &c. & quod nomina vestra scripta sint in cœlis.* Causam hanc, sive modum, quo tale gaudium acquirere debemus, pulcro

pulcro ſimili & pulcris verbis nobis præſcribit S. Baſilius hom. 4. Sicut qui minus acri ſunt oculorum acie, eos avocant à contuitu rerum nimis ſplendidarum, & refocillandos defigunt in flores, aliaque viridantia. Sic anima non debet ſe dare contemplandis rebus præſentibus, quæ plenæ ſunt mœroris, ſed iis quæ verè bona ſunt, (& in mercedem, quam Chriſtus promiſit, in gloriam SS.) Ita enim aſſequeris ut ſemper gaudeas, nempe ſi vitæ tuæ inſtitutum, ratioque omnis in Deum collineet, ac ſpectet, & ſpes retributionis, quæ in hac vita triſtia ſunt, leviora efficiat. Affecit te aliquis ignominia? quin tu ad eam ſuſpice gloriam quæ repoſita in cœlis eſt, tibi parandam merito patientiæ. (Sic ſuam gloriam obtinuerunt Patriarchæ & Apoſtoli.) Jacturam rerũ tuarum adiiſti? Oculos imprime fixius cœleſtibus divitiis, & theſauro incomparabili parato in cœlis (hoc fecerunt ſancti in hac vita. Job, repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. David. *propter retributionem*, ut ait, cucurrit lætus per viam mandatorem Dei. Patrione ſolo excluſus es? agnoſcis hunc mundum eſſe vallem lacrymarum. agnoſcis vitam tuam eſſe difficilem peregrinationem; *At patriam habes, cœleſtem Ieruſalem.* Ad eum modum, ſi exemplo SS. iis quæ moleſtiam tibi nunc pariunt, oppoſueris, quæ ſperantur bona, animam tuam ab omni anxietate ſervabis. Aurea plane eſt hæc regula, pro vita noſtra inſtituenda; ut & hic in hoc mundo, etiam in miſeriis &c. ſimus beati, & deinde æternum feliciſſimi in cœlis.

Ingentem, ſi volumus, conſolationem haurire poſſumus, ex intuitu cœleſtis gloriæ, & pulcritudinis omnium ſanctorum. Unde Chriſtus D. S. Brigittæ dixit l. 2. revel. c. 2. Dum viſiones tibi oſtenduntur, ſi videres pulcritudinem ſanctarum animarum, vel angelorum ſicuti eſt, cor tuum præ gaudio rumperetur. Si item videres dæmonem ſicuti eſt, non poſſes viva tam horribilem ſuſtinere viſionem. Item. *Tanta eſt pulcritudo, etiam infimi civis, regni cœleſtis, ut totius mundi ſenſibilis pulcritudo in unum collecta illi comparari nullatenus poſſit. claritas enim longiſſime excedit meridianam ſolis claritatem.* §. 9. *Proſecutio.*

O beata regio paradiſi, exclamat S. Bern. ſer. 3. in Cant. *O beata regio* §. 10. *Deſcriptio cœleſtis beatitudin.*

ta regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lacrymarum ! *Regnum opulentissimum sine penuria.* In hoc regno omnes sancti sunt ditissimi. regnum lucidum sine tenebris. in lucidissimo hoc regno omnes sancti, milliones sanctorum lucebunt ut soles. Qualis lux? qualis pulcritudo? regnum gloriosum, sine omni infamia. regnum quietissimum sine omni labore. regnum præmiorum sine sudoribus. regnum pacis, sine omni discordia, regnum vitæ sine morte. Si quis suos oculos conjiciat in hoc regnum, etiam in paupertate, in fletu & luctu, in persecutionibus quomodo non sentiet solatium? O beata regio paradisi! O sancti millies beati, viventes in tali patria, in terra amœnissima, *quoniam ipsi possidebunt terram*! beati sunt, quia habitant juxta fontem omnis solatii, *quoniam ipsi consolabuntur*. Assident mensę cui ministrant Angeli, fruuntur convivio cœlesti, *& saturabuntur*. pro fletu rident & lætantur, Deus *abstersit omnem lacrymam ab oculis eorum.* Misericordiæ sinus, est ipsis locus quietis; *quoniam misericordiam consequentur.* beatitudo est illis lucidissimum speculum, in quo Deum vident; sunt in honore summo, *filii Dei vocabuntur*; verbo, *ipsorum est regnum cælorum.* O beata regio paradisi! & quando portas tuas intrabimus, quando fruemur & nos tuis gaudiis, quando audiemus illos angelicos concentus, illa nova cantica, illas jubilationes filiorum Dei. quando spatiabimur in tuis pratis, quando gustabimus dulcissimos tuos fructus; quando gaudebimus tua visione? quando cum omnibus sanctis erimus in cœlis?

§ II. Desiderium cœli solatur nos in tribul.

Laudo hæc vestra desideria. Desiderium cœli, confortat nos in tribul. solatur in adversitatibus, erigit nos ne labori vel tentationi succumbamus, facit nos currere viam mandatorum Dei. Desiderium cœlestis gloriæ, facit ut nobis sordeat tellus, ut amaræ sint mundi voluptates, ut contemnamus divitias. Desiderium cœli nos excitat, ut statuamus tenere easdem semitas, quas sancti tenuerunt Ezech. 40. vidit Propheta sibi objici pulcerrimum templum; illud ingressuri debebant prius ascendere per octo gradus. Ad templum æternæ gloriæ, 8. gradus sunt *paupertas, humilitas, mansuetudo, luctus Pœnitentiæ, esuries*

& sitis

& sitis Divinæ gratiæ, misericordiæ, *cordis munditiæs, pax, patientia.*

S.Gertrudi aliquando dixit Christus D. *Tribulatio est quidam preciosus annulus, quo mihi animas despondeo.* Idem de singulis beatitudinibus dici potest. Suppono autem Gloriam cœlestem S.Joanni in Apoc. fuisse repræsentatam ut ornatissimam sponsam. Huic in gaudio desponsati sunt Patriarchæ & Prophetæ. Desponsati Apostoli &c. cum eadem cupimus & nos aliquando desponsari; omnes anhelamus ad istas nuptias, itaque soliciti simus de anulo desponsationis. talis anulus est paupertas. talis anulus est mansuetudo &c. §. 12. *Utilitas tribulationis.*



CONCIO LXXXVI.

FESTO ANIMARUM.

Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.

Machab. l.2.c.12.v.46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

§. 1. *Apostrophe ad Auditores, an velint piis animabus succurrere.*

§. 2. *Ad succurrendum movere nos debet magnitudo tormentorum, quæ patiuntur.*

§. 3. *Sancta praxis juvandi animas; offerendo pro illis sanguinem Christi v.g. in sacro.*

§. 4. *Item in Rosario Beatæ Virginis.*

§. 5. *Quantum inde solatium pro animabus in purgatorio.*

§. 6. *In purgatorio aliquod est refrigerium; non in inferno.*

§. 7. *Alia devota praxis sacerdotum sub sacrificio Missæ.*

§. 8. *Epilogus.*

§. 1. Apostrophe ad Aud. an velint animabus succurrere.

SI Aud. in vestra foret potestate bestiam aliquam jacentem in profunda & tenebricosa cavea, inde educere, nunquid ea foret vestra misericordia, ut extraheretis? Si videritis in igne jacentem canem, nunquid velletis liberare. *Si asinus tuus* (Christus Salv. noster utitur hoc simili Luc.14.v.5.) *incidat in foveam,* nunquid affertis funes & scalas ut educatis? Inhumanus homo est, qui etiam bestiis non compatitur. Quid si in tali fovea ignea videritis jacentem formosum juvenem, vel venustissimam Virginem? quid si opem vestram miserabilibus vocibus inclamarent? An manum auxiliatricem negaretis? O qualis cavea, qualis carcer, quale ergastulum, est purgatorium, in illo jacent non bestiæ, sed nostri fratres, forte sorores, forte parentes, nec jacent solum, sed in illo loco patiuntur horribilia tormenta; & ubi est nostra compassio? ubi misericordia? cum possimus, cur non succurrimus. O qualis fornax est purgatorium locus flammarum? inter illas ardent animæ Deo dilectæ! cur, cum possimus, non conamur extinguere illas flammas? O qualis fovea est purgatorium! in illo jacent animæ tristissimæ, afflictissimæ; quare non laboramus, ut illas consolemur? Brevi sermone conabor vobis persuadere, ut concipiatis cogitationes sanctas, & c. pia desideria succurrendi, & orandi pro his animabus.

§. 2. Ad succurrendum movere nos debet magnitudo tormentorum, quæ patiuntur.

S. Ludvvina piissima Virgo sæpius in spiritu deducta fuit ab Angelo tutelari in locum purgatorii, ubi coram vidit & spectavit, quomodo arderent animæ illæ sanctæ, quæ paterentur tormenta, quam sitim, quam desolationem, qualia tædia; hinc deinde tantus in illa fervor & studium, per continuas & ferventes orationes, per jugem mortificationē, per horrendos sibi illatos dolores, satisfaciendi divinæ Justitiæ, & liberandi animas ex purg. Aliquando in tale erupit desiderium; *O si possem Deus meus carnem & sanguinem meum dare, pro animabus illis quas tu castigas.* O si ego hodie pro animarum solatio in purgatorium deducere possem meos Auditores! O si videritis quomodo ardeant. attendite bene, inspicite igneas illas fornaces, an non forte sint animę parentum vestrorum, vel fratrum aut sororum;

aut il-

aut illorum quibus variis titulis estis obligati. Tristis hic aspectus animarum gemitus & lacrymæ sine dubio moverent vos ad compassionem. Ferventibus precibus, eleemosynis, aliis operibus piis, præcipuè sacrificio illis succurrere potestis. Cogitatisne subinde: Hoc rosarium offeram B. V. pro fidelibus animabus. Hæc est sancta cogitatio, præsertim hodierna die, qua tota Ecclesia ad hoc auxilium conspirat. Cogitatisne subinde, pro animabus dabo hanc eleemosynam &c. Vel, O mi Jesu utinam tibi possem satisfacere hoc actu mortificationis; hæ sunt sanctæ cogitationes, & salubres, utiles animabus, his operibus liberantur è flammis.

Ut proprium sanguinem, cum S. Ludvvina, pro illis in lytrum detis, hoc non exigo. Sed hoc bene, ut alienum sanguinem, scilicet sanguinem filii Dei pro illis æterno Patri & D. Justitiæ offeratis. Suggeram hic vobis sanctam & salubrem devotionem pro refrigerio animarum. 2. Reg. 21. v. 10. Respha uxor Saulis, cum septem ejus filii à Gabaonitis essent acti in crucem, *tollens illa cilicium substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua supra illos.* In cilicio, lacrymis, & ardentibus precibus placavit iratum Deum, & obtinuit pluviam. Non permittit brevissimum mihi præscriptum tempus, inhærere literæ, vel aliis sensibus mysticis. Petra stillans aqua repræsentat nobis Christum crucifixum fluentem sanguine. Ab hoc pendet, ut refrigerentur ardentes animæ. sed hæc est misera illarum conditio, quod suis precibus obtinere non possint, ut illis stillet hæc aqua, ut super eas in purgatorium decidant divinæ illæ guttæ, præsertim cum sacrificio missæ offertur divinus calix, cum preciosissimo illo sanguine. Nos vero sedere possumus juxta illam petram, nos ferventer possumus orare, nos Christum D. ad misericordiam possumus inclinare ut vel ex manibus, vel pedibus, vel benedicto Jesu corde stillent aliquot guttæ sanguinis super illas animas.

§. 3. Sancta praxis juvandi animas offerendo pro illis sanguinem Christi v. g. in sacro.

Itaque animæ piæ, cogitatisne subinde, cum recitatis Rosarium, hanc decadem recitabo in memoriam sanguinei sudoris, hac intentione, cum hoc desiderio, cum hac obtestatione, ut ali-

§. 4. V. g. in Rosario B. V.

ut aliquot guttæ stillent in purgatorium. hæc est sancta & salubris cogitatio, potissimum hod. die (sic perge affectuose per reliqua mysteria Rosarii dolorosi.) Sodales Agoniæ moneo, ut hoc modo pro animabus recitent Rosarium quinque sacros. Vulnerum. Ex his fontibus, ex cavernis hujus petræ, haurire possumus aquam, qua animæ ardentes refrigerantur in purgatorio.

§ 5. *Quantum inde solatium pro animabus in purgatorio.*

Ingens hinc illis solatium & auxilium. Anima defuncti sacerdotis apparuit cuidam religioso (teste Luca Episcopo Thudensi) & dixit. *Dominicis diebus propter gloriam dominicæ resurrectionis, & præcipuis solennitatibus, & quoties pro nobis immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrum nulla pœna afficimur, & ad loca ubi corpora nostra quiescunt, venire permittimur, quæ si incenso, vel aqua benedicta, invenimus aspersa, tanto perfundimur refrigerio, ut nobis quasi paradisi quædam requies videatur.* Itaque laudo illos, qui hodie sepulcra mortuorum ornant floribus; placent mihi quod accendatis cereos, quod aspergatis aqua benedicta, quod incendatis odoris. prosunt hæ cæremoniæ; junctæ orationibus & aliis operibus bonis, animabus corporum quæ in his sepulcris jacent. Sed si desideretis, ut animæ hæ inveniant quietem paradisi, aspergite quoque guttas sanguinis Christi. per sanctas cogitationes, per pia desideria, per 7. effusiones sanguinis Christi, ut saltem paucæ guttulæ stillent in purgatorium. In meo Rosariolo pro piis animabus una decas sic habet. Pie Jesu, per sanguinem in circumcisione effusum, dona eis requiem. Pie Jesu, per sanguin. sudorem, dona eis requiem. Pie Jesu per sanguinem flagellationis, per tot millia guttarum, dona eis requiem &c. Hæ sunt sanctæ cogitationes.

§. 6. *In purgatorio est aliquod refrigerium: non in inferno.*

S. Lucas ex ore Christi ait c. 16. v. 24. cum dives esset in tormentis, flamma infernali cinctus, *elevans oculos suos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus,* & cœpit rogare aliquod saltem solatium, *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* Sed negatum illi fuit, quia in inferno, nullum ne minimum q. concedi-

conceditur solatium, nec guttula aquæ, licet horrendum torqueantur. Feliciores longè sunt animæ in purg. in iisdem q. ardent flammis, horrenda patiuntur tormenta nec possunt se juvare. ideo à nobis, qui juvare possumus, petunt auxilium, præcipuè ut intingamus nos corda nostra in fontes SS. Vulnerum Christi, in aquam benedicti lateris; fit hoc per peculiarem devotionem erga sang. Christi. Clamant verò è flammis, ut aliquas guttulas illis communicemus, quod fit in auditione missæ, in communione, in precibus quæ fiunt cum memoria Passionis & sanguinis Christi.

Novi pios sacerdotes, qui initio missæ, dum sub confiteor inclinant se, dum terram aspiciunt cogitant se videre apertum purgatorium, & in illo ardentes animas; Dum verò oculos elevant, ut aspiciant crucifixum, cogitant se videre distillantes guttas & decidentes super animas in flammis; hinc illa desideria, pie Jesu per tuum sang. dona eis requiem &c. Hæc est sancta & salubris cogitatio. Volui addere, quomodo sanctis cogitationibus B. V. potissimum, tanquam consolatrici illàs animas debeamus commendare, sed effluxit media hora. §7. *Alia devota praxis sacerdotum sub sacrificio missæ.*

Scitote Audit. me serio petere à vobis, ut soliciti sitis, quomodo succurratis animabus in purgatorio; ne fortassis nobis dicant, quod defunctus dixit, qui debitam eleemosynam, & testamento legatam differebat dare. *Adeone perfide, meo sanguine pasceris Christiq; membra eleemosyna privas? quæ me ignibus exemisset? pro Dei tribunali de injuria questus sum.* Et vos mei Audit. tamne estis duri, ut ne rosarium velitis orare pro animabus defunctis &c. animæ piæ queruntur coram Christi tribunali &c. hoc modo poterit fieri p. pathos. §. 8. *Epilogus.*

CON-



CONCIO LXXXVII.

FESTO PRÆSENTATIONIS B.V.

Beatus venter, qui te portavit.

Luc. 11. cap. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit triplex elogium B. Virginis ex Lauretanis Litaniis, Quod sit Consolatrix, Auxiliatrix, sive Advocata, & refugium peccatorum; præsertim in hora mortis.

§. 1. *B. Virgo comparatur aureo surculo, & arbori.*

§. 2. *Præsertim illi quam Danielis 4. vidit Rex Nabuchodonosor. Sub qua bestiis tutum fuit refugium.*

§. 3. *Regina Esther, quo sensu fuerit fons, & petra.*

§. 4. *Est figura B. Virginis, cujus ubera sunt turris, & murus; quia Consolatrix est, & Auxiliatrix.*

§. 5. *B. Virgo est Consolatrix oculata & misericors.*

§. 6. *Præsertim erga peccatores, quos peculiari titulo diligit.*

§. 7. *Cur diabolus impediat, ne peccatores implorent auxilium B. Virginis.*

§. 8. *Intercessio illius est efficax. Delectatur illa Filius.*

§. 9. *Maria, Filium suum nobis reddit suavem, & amabilem.*

§. 10. *Filius non potest non exaudire preces Matris suæ. Figuræ fuerunt Abigail, & Ruth.*

§. 11. *B. Virgo, in hora mortis fidelissima adjutrix.*

§. 12. *Sine ejus auxilio æternum pereunt peccatores.*

§. 13. *Mors est terribile mysterium. Væ morientibus! si non adsit illis Maria.*

§. 14. *Occasione Tragicæ Historiæ.*

storia.

§.15. *In Epilogo, Auctor deside-rat colere & amare Mariam.*

SI S. Paulus verè dixit, prout illum dixisse arbitror, ad Rom.11.v.16. *Si radix sancta, & rami.* Et aliunde certissimum sit, Mariam trimulam, imò dum in utero Matris sine omni originaria labe concepta fuit, fuisse ramum sanctissimum, non id adeo debemus mirari, nam radix S. Joachimus, radix S. Anna! fuerunt sanctissimi parentes, à quibus felicissimus hic surculus progerminavit. Ramus aureus & ditissimus, aureæ arboris, fructus & partus. Surculus hic plantatus fuit à Spiritu S. octava Decembris, in die sanctissimæ & purissimæ conceptionis; crevit in utero Matris per menses novem, donec octava Septembris, lætante cœlo, jubilante terra, prodiit in auras; cùm instar Orientis Auroræ lætissima sua Nativitate omnes exhilaravit. Per triennium surculus ille in ædibus paternis virere & florere cœpit, donec hodierna die ita volentibus parentibus, transplantatus est in templo Domini; quam diem, nos vocamus festum Præsentationis B. Virg. In qualem deinde arborem excreverit, non cupio hac concione latius explicare. Analogia tamen à surculo, & arbore desumpta, ansam mihi præbuit, ut cogitaverim, in hac mea dictione explicare vobis eximia illa magnæ Virginis elogia, quod sit consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, auxilium Christianorum; quod proinde sit advocata nostra, quod nos muniat, protegat, atque defendat, præsertim in agone nostro; Ex primo statim elogio Virginis consolatricis advertere potestis, desiderium meum esse, ut vobis persuadeam peculiarem cultum erga illam imaginem, quæ hic Bambergæ in templo Societatis Jesu, sub titulo Virginis & Matris Consolatricis, magna devotione colitur. Ut voto meo fiat satis; ut ego & vos obtineamus hanc gratiam, ardentissime amandi Dei Matrem, dicamus una omnes in corde, cum S. Archangelo Gabriele, *Ave Maria!* Ave Consolatrix nostra! Ave refugium nostrum! Ave advocata.

§. 1. B. Virgo comparatur aureo surculo, & arbori.

§. 2.

Præsertim illi, quam Dan. 4. in somnio vidit Nabuchodonosor Rex. Sub qua bestiis tutum fuit refugium.

Non sine causa antea dixi, analogiam ab arbore desumptam suggessisse mihi paulo ante nominata elogia magnæ Virginis. Dan.4.v.8. Regi Nabuchodonosori in somnio objecta fuit arbor, *magna & fortis, & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ; folia ejus pulcerrima, & fructus ejus nimius.* Quæ sequuntur, notate; *Esca universorum in ea, subter ea habitabant animalia & bestiæ.* Et qualis hæc circumstantia, qualis laus tam formosæ arboris, quod protegat animalia, quod bestiis præbeat umbram, latibulum & refugium? ut illas ramis suis protegat? Respondet quæstioni D. Amedeus hom.8. de laudibus Mariæ. *Virga elegantissima, orta de tribu Iesse, ramorum suorum mirabili extensione, sese ubique terrarum expandit, ubi dispersos filios Adæ, ab æstu, à turbine, & à pluvia, umbra desiderabili protegit, & fructu saluberrimo alit. O decus! O gloria! O magnificentia hujus arboris, cujus fructu indeficienti, cujus pastu immortali, cæligenis atque terrigenis, fit jugis epulatio, continua exultatio.* Quid timetis, O filii Adæ! sub hac saluberrima arbore: sub pallio Virginis consolatricis? in sinu, inter brachia Matris auxiliatricis? inter mœnia & muros civitatis refugii? ad latus potentissimæ advocatæ? sub clypeo Cœlestis Bellonæ, quæ terribilis est, ut acies castrorum ordinata. Sub umbra hujus arboris, habetis pastum, quo liberamini à malo famis: habetis protectionem, qua omnium hostium vires potestis ridere; habetis lætitiam, quæ omnes mœroris causas à vobis facit exulare. Non opus est, ut hanc arborem vobis ostendam; scitis bene, ubi peculiari cultu & fiducia colatur Imago Virginis Consolatricis. Premit vos paupertas? ibi quærite auxilium. Gravat vos onus scelerum vestrorum, accusat vos infernalis hostis? eo currite, invenietis refugium, & patrocinium &c.

§. 3.

Regina Esther, quo sensu fuerit fons & petra.

Suavissima Mater est Maria; ubera enim habet, quibus nos consoletur; sed simul potentissima Regina est, ut nobis auxilium & refugium præbeat: ut nos tueatur & defendat. Cum Esther cap.11.v.8. Assverus Rex, suasu Amani, jussisset occidi omnes Judæos; in *die tenebrarum, & discriminis, tribulationis &*

angu-

angustiæ, & cum ingens esset formido, inter gentem conturbatam, & præparatam ad mortem, ait textus; *Clamaverunt ad Deum, & illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum-lux & Sol ortus est. Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, Esther est, quam Rex voluit esse Reginam.* Sed cur Esther illa heroina, illa potens Regina, illa propugnatrix populi Israelis vocatur fons? responsum mihi suggeret S. Scriptura, quæ de mammis & uberibus matrum loquitur, veluti de fontibus, Jerem. c. 18. v. 14. *Nunquid deficiet de petra agri, nix Libani?* his verbis exprimuntur perennes fontes, stillantes per petras orti & deducti à nivibus Libani. Unde 70. sic legunt, *Nunquid deficient de petra ubera?* Et Theodoretus, *Nunquid deficient de petra mammæ stillantes.* Philo de opificio mundi. *Terra quoque, antiquissima Matrum, ac fœcundissima, natura mammas dedit, amnium fluenta, fontiumque.* Itaque spiritus S. illud auxilium & solatium, quo populus Israelis ab Esthere Regina, ex periculo mortis, liberatus fuit, optimè expressit, per fontem & petram. Fons misericordiæ symbolum est, petra fortitudinis, suavis, benigna, & potens, fortisque fuit Esther.

Sed figura. In Maria adimpletum est, ut inter illius ubera, solatium, auxilium, refugium, & protectionem inveniamus, ut ab ipsa ab æterna morte liberemur, ut à nobis avertat illud fulmen supremæ sententiæ, ab irato Assvero de æterna damnatione. Ideo cum sponsa ait Cant. c. 8. v. 10. *Ego murus, & ubera mea turris.* Circa quæ Wilh. Abbas apud Delrium. *Ubera mea, non tantum sunt ubera, sed etiam turris; non tantum nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam, & non habere, quo muniam. Materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit.* Inter ubera hujus matris, qui moratur, hinc lætus vivit, quasi in horto, hinc ridet hostes, quasi in munitissima arce locatus. Prov. 9. v. 3. dum sapientia hospitibus offert mensam suam, & dulce propinat vinum, simul mittit ancillas, quæ eosdem vocent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Quid crater cum arce, cum muris? adverto sermonem esse de B. V. & de illius uberibus; ex quibus fluit lac miserationis & dulcedinis,

§. 4. Et figura, B Virginis, cujus ubera turris sunt, & murus, quia consolatrix est, & auxiliatrix.


ta regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lacrymarum! *Regnum opulentissimum sine penuria.* In hoc regno omnes sancti sunt ditissimi. regnum lucidum sine tenebris. in lucidissimo hoc regno omnes sancti, milliones sanctorum lucebunt ut soles. Qualis lux? qualis pulcritudo? regnum gloriosum, sine omni infamia. regnum quietissimum sine omni labore. regnum præmiorum sine sudoribus. regnum pacis, sine omni discordia, regnum vitæ sine morte. Si quis suos oculos conjiciat in hoc regnum, etiam in paupertate, in fletu & luctu, in persecutionibus quomodo non sentiet solatium? O beata regio paradisi! O sancti millies beati, viventes in tali patria, in terra amœnissima, *quoniam ipsi possidebunt terram*! beati sunt, quia habitant juxta fontem omnis solatii, *quoniam ipsi consolabuntur*. Assident mensę cui ministrant Angeli, fruuntur convivio cœlesti, *& saturabuntur*. pro fletu rident & lætantur, Deus *abstersit omnem lacrymam ab oculis eorum.* Misericordiæ sinus, est ipsis locus quietis; *quoniam misericordiam consequentur*. beatitudo est illis lucidissimum speculum, in quo Deum vident; sunt in honore summo, *filii Dei vocabuntur*; verbo, *ipsorum est regnum cœlorum.* O beata regio paradisi! & quando portas tuas intrabimus, quando fruemur & nos tuis gaudiis, quando audiemus illos angelicos concentus, illa nova cantica, illas jubilationes filiorum Dei. quando spatiabimur in tuis pratis, quando gustabimus dulcissimos tuos fructus; quando gaudebimus tua visione? quando cum omnibus sanctis erimus in cœlis?

§ II. *Desiderium cœli solatur nos in tribul.*

Laudo hæc vestra desideria. Desiderium cœli, confortat nos in tribul. solatur in adversitatibus, erigit nos ne labori vel tentationi succumbamus, facit nos currere viam mandatorum Dei. Desiderium cœlestis gloriæ, facit ut nobis sordeat tellus, ut amaræ sint mundi voluptates, ut contemnamus divitias. Desiderium cœli nos excitat, ut statuamus tenere easdem semitas, quas sancti tenuerunt Ezech. 40. vidit Propheta sibi objici pulcerrimum templum; illud ingressuri debebant prius ascendere per octo gradus. Ad templum æternæ gloriæ, 8. gradus sunt *paupertas, humilitas, mansuetudo, luctus Pœnitentiæ, esuries & sitis*

& sitis Divinæ gratiæ, misericordiæ, *cordis munditiës, pax, patientia.*

S.Gertrudi aliquando dixit Christus D. *Tribulatio est quidam preciosus annulus, quo mihi animas despondeo.* Idem de singulis beatitudinibus dici potest. Suppono autem Gloriam cœlestem S.Joanni in Apoc. fuisse repræsentatam ut ornatissimam sponsam. Huic in gaudio desponsati sunt Patriarchæ & Prophetæ. Desponsati Apostoli &c. cum eadem cupimus & nos aliquando desponsari; omnes anhelamus ad istas nuptias, itaque soliciti simus de anulo desponsationis. talis anulus est paupertas. talis anulus est mansuetudo &c. §. 12. *Utilitas tribulationis.*



CONCIO LXXXVI.

FESTO ANIMARUM.

Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.

Machab. l.2.c.12.v.46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

§. 1. *Apostrophe ad Auditores, an velint piis animabus succurrere.*

§. 2. *Ad succurrendum movere nos debet magnitudo tormentorum, quæ patiuntur.*

§. 3. *Sancta praxis juvandi animas; offerendo pro illis sanguinem Christi v.g. in sacro.*

§. 4. *Item in Rosario Beatæ Virginis.*

§. 5. *Quantum inde solatium pro animabus in purgatorio.*

§. 6. *In purgatorio aliquod est refrigerium; non in inferno.*

§. 7. *Alia devota praxis sacerdotum sub sacrificio Missæ.*

§. 8. *Epilogus.*

 Si aud.

§. 1. *Apostrophe ad Aud. an velint animabus succurrere.*

SI Aud. in vestra foret potestate bestiam aliquam jacentem in profunda & tenebricosa cavea, inde educere, nunquid ea foret vestra misericordia, ut extraheretis? Si videritis in igne jacentem canem, nunquid velletis liberare. *Si asinus tuus* (Christus Salv. noster utitur hoc simili Luc.14.v.5.) *incidat in foveam,* nunquid affertis funes & scalas ut educatis? Inhumanus homo est, qui etiam bestiis non compatitur. Quid si in tali fovea ignea videritis jacentem formosum juvenem, vel venustissimam Virginem? quid si opem vestram miserabilibus vocibus inclamarent? An manum auxiliatricem negaretis? O qualis cavea, qualis carcer, quale ergastulum, est purgatorium, in illo jacent non bestiæ, sed nostri fratres, forte sorores, forte parentes, nec jacent solum, sed in illo loco patiuntur horribilia tormenta; & ubi est nostra compassio? ubi misericordia? cum possimus, cur non succurrimus. O qualis fornax est purgatorium locus flammarum!? inter illas ardent animæ Deo dilectæ! cur, cum possimus, non conamur extinguere illas flammas? O qualis fovea est purgatorium! in illo jacent animæ tristissimæ, afflictissimæ; quare non laboramus, ut illas consolemur? Brevi sermone conabor vobis persuadere, ut concipiatis cogitationes sanctas, & pia desideria succurrendi, & orandi pro his animabus.

§. 2. *Ad succurrendum movere nos debet magnitudo tormentorum, quæ patiuntur.*

S. Ludvvina piissima Virgo sæpius in spiritu deducta fuit ab Angelo tutelari in locum purgatorii, ubi coram vidit & spectavit, quomodo arderent animæ illæ sanctæ, quæ paterentur tormenta, quam sitim, quam desolationem, qualia tædia; hinc deinde tantus in illa fervor & studium, per continuas & ferventes orationes, per jugem mortificationē, per horrendos sibi illatos dolores, satisfaciendi divinæ Justitiæ, & liberandi animas ex purg. Aliquando in tale erupit desiderium; *O si possem Deus meus carnem & sanguinem meum dare, pro animabus illis quas tu castigas.* O si ego hodie pro animarum solatio in purgatorium deducere possem meos Auditores! O si videritis quomodo ardeant. attendite bene, inspicite igneas illas fornaces, an non forte sint animę parentum vestrorum, vel fratrum aut sororum; aut il-

aut illorum quibus variis titulis eſtis obligati. Triſtis hic aſpectus animarum gemitus & lacrymæ ſine dubio moverent vos ad compaſſionem. Ferventibus precibus, eleemoſynis, aliis operibus piis, præcipuè ſacrificio illis ſuccurrere poteſtis. Cogitatiſne ſubinde; Hoc roſarium offeram B. V. pro fidelibus animabus. Hæc eſt ſancta cogitatio, præſertim hodierna die, qua tota Eccleſia ad hoc auxilium conſpirat. Cogitatiſne ſubinde, pro animabus dabo hanc eleemoſynam &c. Vel, O mi Jeſu utinam tibi poſſem ſatisfacere hoc actu mortificationis; hæ ſunt ſanctæ cogitationes, & ſalubres, utiles animabus, his operibus liberantur è flammis.

§. 3. *Sancta praxis juvandi animas offerendo pro illis ſanguinem Chriſti v. g. in ſacro.*

Ut proprium ſanguinem, cum S. Ludvvina, pro illis in lytrum detis, hoc non exigo. Sed hoc bene, ut alienum ſanguinem, ſcilicet ſanguinem filii Dei pro illis æterno Patri & D. Juſtitiæ offeratis. Suggeram hic vobis ſanctam & ſalubrem devotionem pro refrigerio animarum. 2. Reg. 21. v. 10. Reſpha uxor Saulis, cum ſeptem ejus filii à Gabaonitis eſſent acti in crucem, *tollens illa cilicium ſubſtravit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſupra illos.* In cilicio, lacrymis, & ardentibus precibus placavit iratum Deum, & obtinuit pluviam. Non permittit breviſſimum mihi præſcriptum tempus, inhærere literæ, vel aliis ſenſibus myſticis. Petra ſtillans aqua repræſentat nobis Chriſtum crucifixum fluentem ſanguine. Ab hoc pendet, ut refrigerentur ardentes animæ. ſed hæc eſt miſera illarum conditio, quod ſuis precibus obtinere non poſſint, ut illis ſtillet hæc aqua, ut ſuper eas in purgatorium decidant divinæ illæ guttæ, præſertim cum ſacrificio miſſæ offertur divinus calix, cum precioſiſſimo illo ſanguine. Nos vero ſedere poſſumus juxta illam petram, nos ferventer poſſumus orare, nos Chriſtum D. ad miſericordiam poſſumus inclinare ut vel ex manibus, vel pedibus, vel benedicto Jeſu corde ſtillent aliquot guttæ ſanguinis ſuper illas animas.

§. 4. *V. g. in Roſario B. V.*

Itaque animæ piæ, cogitatiſne ſubinde, cum recitatis Roſarium, hanc decadem recitabo in memoriam ſanguinei ſudoris, hac intentione, cum hoc deſiderio, cum hac obteſtatione,

ut aliquot guttæ stillent in purgatorium. hæc est sancta & salubris cogitatio, potissimum hodie (sic perge affectuose per reliqua mysteria Rosarii dolorosi.) Sodales Agoniæ moneo, ut hoc modo pro animabus recitent Rosarium quinque sacros. Vulnerum. Ex his fontibus, ex cavernis hujus petræ, haurire possumus aquam, qua animæ ardentes refrigerantur in purgatorio.

§ 5. *Quantum inde solatium pro animabus in purgatorio.*

Ingens hinc illis solatium & auxilium. Anima defuncti sacerdotis apparuit cuidam religioso (teste Luca Episcopo Thudensi) & dixit. *Dominicis diebus propter gloriam dominicæ resurrectionis, & præcipuis solennitatibus, & quoties pro nobis immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrum nulla pœna afficimur, & ad loca ubi corpora nostra quiescunt, venire permittimur, quasi incenso, vel aqua benedicta, invenimus aspersa, tanto perfundimur refrigerio, ut nobis quasi paradisi quædam requies videatur.* Itaque laudo illos, qui hodie sepulcra mortuorum ornant floribus; placent mihi quod accendatis cereos, quod aspergatis aqua benedicta, quod incendatis odoris. prosunt hæ cæremoniæ; junctæ orationibus & aliis operibus bonis, animabus corporum quæ in his sepulcris jacent. Sed si desideretis, ut animæ hæ inveniant quietem paradisi, aspergite quoque guttas sanguinis Christi. per sanctas cogitationes, per pia desideria, per 7. effusiones sanguinis Christi, ut saltem paucæ guttulæ stillent in purgatorium. In meo Rosariolo pro piis animabus una decas sic habet. Pie Jesu, per sanguinem in circumcisione effusum, dona eis requiem. Pie Jesu, per sanguin. sudorem, dona eis requiem. Pie Jesu per sanguinem flagellationis, per tot millia guttarum, dona eis requiem &c. Hæ sunt sanctæ cogitationes.

§. 6. *In purgatorio est aliquod refrigerium: non in inferno.*

S. Lucas ex ore Christi ait c. 16. v. 24. cum dives esset in tormentis, flamma infernali cinctus, *elevans oculos suos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus,* & cœpit rogare aliquod saltem solatium, *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Sed negatum illi fuit, quia in inferno, nullum ne minimum q. con-

cedi-

conceditur ſolatium, nec guttula aquæ, licet horrendum torqueantur. Feliciores longè ſunt animæ in purg. in iiſdem q. ardent flammis, horrenda patiuntur tormenta nec poſſunt ſe juvare. ideo à nobis, qui juvare poſſumus, petunt auxilium, præcipuè ut intingamus nos corda noſtra in fontes SS. Vulnerum Chriſti, in aquam benedicti lateris; fit hoc per peculiarem devotionem erga ſang. Chriſti. Clamant verò è flammis, ut aliquas guttulas illis communicemus, quod fit in auditione miſſæ, in communione, in precibus quæ fiunt cum memoria Paſſionis & ſanguinis Chriſti.

Novi pios ſacerdotes, qui initio miſſæ, dum ſub confiteor inclinant ſe, dum terram aſpiciunt cogitant ſe videre apertum purgatorium, & in illo ardentes animas; Dum verò oculos elevant, ut aſpiciant crucifixum, cogitant ſe videre diſtillantes guttas & decidentes ſuper animas in flammis; hinc illa deſideria, pie Jeſu per tuum ſang. dona eis requiem &c. Hæc eſt ſancta & ſalubris cogitatio. Volui addere, quomodo ſanctis cogitationibus B. V. potiſſimum, tanquam conſolatrici illàs animas debeamus commendare, ſed effluxit media hora. § 7. *Alia devota praxis ſacerdotum ſub ſacrificio miſſæ.*

Scitote Audit. me ſerio petere à vobis, ut ſoliciti ſitis, quomodo ſuccurratis animabus in purgatorio; ne fortaſſis nobis dicant, quod defunctus dixit, qui debitam eleemoſynam, & teſtamento legatam differebat dare. *Adeone perfide, meo ſanguine paſceris Chriſtiq; membra eleemoſyna privas? quæ me ignibus exemiſſet? pro Dei tribunali de injuria queſtus ſum.* Et vos mei Audit. tamne eſtis duri, ut ne roſarium velitis orare pro animabus defunctis &c. animæ piæ queruntur coram Chriſti tribunali &c. hoc modo poterit fieri p. pathos. § 8. *Epilogus.*

CON-



CONCIO LXXXVII.

FESTO PRÆSENTATIONIS B.V.

Beatus venter, qui te portavit.

Luc. 11. cap. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit triplex elogium B. Virginis ex Lauretanis Litaniis, Quod sit Consolatrix, Auxiliatrix, sive Advocata, & refugium peccatorum; præsertim in hora mortis.

§. 1. *B. Virgo comparatur aureo surculo, & arbori.*

§. 2. *Præsertim illi quam Danielis 4. vidit Rex Nabuchodonosor. Sub qua bestiis tutum fuit refugium.*

§. 3. *Regina Esther, quo sensu fuerit fons, & petra.*

§. 4. *Est figura B. Virginis, cujus ubera sunt turris, & murus; quia Consolatrix est, & Auxiliatrix.*

§. 5. *B. Virgo est Consolatrix oculata & misericors.*

§. 6. *Præsertim erga peccatores, quos peculiari titulo diligit.*

§. 7. *Cur diabolus impediat, ne peccatores implorent auxilium B. Virginis.*

§. 8. *Intercessio illius est efficax. Delectatur illa Filius.*

§. 9. *Maria, Filium suum nobis reddit suavem, & amabilem.*

§. 10. *Filius non potest non exaudire preces Matris suæ. Figuræ fuerunt Abigail, & Ruth.*

§. 11. *B. Virgo, in hora mortis fidelissima adjutrix.*

§. 12. *Sine ejus auxilio æternum pereunt peccatores.*

§. 13. *Mors est terribile mysterium. Væ morientibus! si non adsit illis Maria.*

§. 14. *Occasione Tragicæ Historiæ.*

floria.
§.15. *In Epilogo, Auctor desiderat colere & amare Mariam.*

SI S. Paulus verè dixit, prout illum dixisse arbitror, ad Rom. 11. v. 16. *Si radix sancta, & rami.* Et aliunde certissimum sit, Mariam trimulam, imò dum in utero Matris sine omni originaria labe concepta fuit, fuisse ramum sanctissimum, non id adeo debemus mirari, nam radix S. Joachimus, radix S. Anna! fuerunt sanctissimi parentes, à quibus felicissimus hic surculus progerminavit. Ramus aureus & ditissimus, aureæ arboris, fructus & partus. Surculus hic plantatus fuit à Spiritu S. octava Decembris, in die sanctissimæ & purissimæ conceptionis; crevit in utero Matris per menses novem, donec octava Septembris, lætante cœlo, jubilante terra, prodiit in auras; cùm instar Orientis Auroræ lætissima sua Nativitate omnes exhilaravit. Per triennium surculus ille in ædibus paternis virere & florere cœpit, donec hodierna die ita volentibus parentibus, transplantatus est in templo Domini; quam diem, nos vocamus festum Præsentationis B. Virg. In qualem deinde arborem excreverit, non cupio hac concione latius explicare. Analogia tamen à surculo, & arbore desumpta, ansam mihi præbuit, ut cogitaverim, in hac mea dictione explicare vobis eximia illa magnæ Virginis elogia, quod sit consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, auxilium Christianorum; quod proinde sit advocata nostra, quod nos muniat, protegat, atque defendat, præsertim in agone nostro; Ex primo statim elogio Virginis consolatricis advertere potestis, desiderium meum esse, ut vobis persuadeam peculiarem cultum erga illam imaginem, quæ hic Bambergæ in templo Societatis Jesu, sub titulo Virginis & Matris Consolatricis, magna devotione colitur. Ut voto meo fiat satis; ut ego & vos obtineamus hanc gratiam, ardentissime amandi Dei Matrem, dicamus una omnes in corde, cum S. Archangelo Gabriele, *Ave Maria!* Ave Consolatrix nostra! Ave refugium nostrum! Ave advocata.

§. 1. B. Virgo comparatur aureo surculo, & arbori.

§. 2. *Præsertim illi, quam Dan. 4. in somnio vidit Nabuchodonosor Rex. Sub qua bestiis tutum fuit refugium.*

Non ſine cauſa antea dixi, analogiam ab arbore deſumptam ſuggeſſiſſe mihi paulo ante nominata elogia magnæ Virginis. Dan.4.v.8. Regi Nabuchodonoſori in ſomnio objecta fuit arbor, *magna & fortis, & proceritas ejus contingens cælum: aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſa terræ; folia ejus pulcerrima, & fructus ejus nimius.* Quæ ſequuntur, notate; *Eſca univerſorum in ea, ſubter ea habitabant animalia & beſtiæ.* Et qualis hæc circumſtantia, qualis laus tam formoſæ arboris, quod protegat animalia, quod beſtiis præbeat umbram, latibulum & refugium? ut illas ramis ſuis protegat? Reſpondet quæſtioni D. Amedeus hom.8. de laudibus Mariæ. *Virga elegantiſſima, orta de tribu Ieſſe, ramorum ſuorum mirabili extenſione, ſeſe ubique terrarum expandit, ubi diſperſos filios Adæ, ab æſtu, à turbine, & à pluvia, umbra deſiderabili protegit, & fructu ſaluberrimo alit. O decus! O gloria! O magnificentia hujus arboris, cujus fructu indeficienti, cujus paſtu immortali, cæligenis atque terrigenis, fit jugis epulatio, continua exultatio.* Quid timetis, O filii Adæ! ſub hac ſaluberrima arbore! ſub pallio Virginis conſolatricis? in ſinu, inter brachia Matris auxiliatricis? inter mœnia & muros civitatis refugii? ad latus potentiſſimæ advocatæ? ſub clypeo Cœleſtis Bellonæ, quæ terribilis eſt, ut acies caſtrorum ordinata. Sub umbra hujus arboris, habetis paſtum, quo liberamini à malo famis: habetis protectionem, qua omnium hoſtium vires poteſtis ridere; habetis lætitiam, quæ omnes mœroris cauſas à vobis facit exulare. Non opus eſt, ut hanc arborem vobis oſtendam; ſcitis bene, ubi peculiari cultu & fiducia colatur Imago Virginis Conſolatricis. Premit vos paupertas? ibi quærite auxilium. Gravat vos onus ſcelerum veſtrorum, accuſat vos infernalis hoſtis? eo currite, invenietis refugium, & patrocinium &c.

§. 3. *Regina Eſther, quo ſenſu fuerit fons & petra.*

Suaviſſima Mater eſt Maria; ubera enim habet, quibus nos conſoletur; ſed ſimul potentiſſima Regina eſt, ut nobis auxilium & refugium præbeat: ut nos tueatur & defendat. Cum Eſther cap.11.v.8. Aſſverus Rex, ſuaſu Amani, juſſiſſet occidi omnes Judæos; in *die tenebrarum, & diſcriminis, tribulationis & angu-*

angustiæ, & cum ingens esset formido, inter gentem conturbatam, & præparatam ad mortem, ait textus; *Clamaverunt ad Deum, & illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum-lux & Sol ortus est. Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, Esther est, quam Rex voluit esse Reginam.* Sed cur Esther illa heroina, illa potens Regina, illa propugnatrix populi Israelis vocatur fons? responsum mihi suggeret S. Scriptura, quæ de mammis & uberibus matrum loquitur, veluti de fontibus, Jerem. c. 18. v. 14. *Nunquid deficiet de petra agri, nix Libani?* his verbis exprimuntur perennes fontes, stillantes per petras orti & deducti à nivibus Libani. Unde 70. sic legunt, *Nunquid deficient de petra ubera?* Et Theodoretus, *Nunquid deficient de petra mammæ stillantes.* Philo de opificio mundi. *Terræ quoque, antiquissimæ Matrum, ac fæcundissimæ, natura mammas dedit, amnium fluenta, fontiumque.* Itaque spiritus S. illud auxilium & solatium, quo populus Israelis ab Esthere Regina, ex periculo mortis, liberatus fuit, optimè expressit, per fontem & petram. Fons misericordiæ symbolum est, petra fortitudinis, suavis, benigna, & potens, fortisque fuit Esther.

Sed figura. In Maria adimpletum est, ut inter illius ubera, solatium, auxilium, refugium, & protectionem inveniamus, ut ab ipsa ab æterna morte liberemur, ut à nobis avertat illud fulmen supremæ sententiæ, ab irato Assvero de æterna damnatione. Ideo cum sponsa ait Cant. c. 8. v. 10. *Ego murus, & ubera mea turris.* Circa quæ Wilh. Abbas apud Delrium. *Ubera mea, non tantum sunt ubera, sed etiam turris; non tantum nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam, & non habere, quo muniam. Materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit.* Inter ubera hujus matris, qui moratur, hinc lætus vivit, quasi in horto, hinc ridet hostes, quasi in munitissima arce locatus. Prov. 9. v. 3. dum sapientia hospitibus offert mensam suam, & dulce propinat vinum, simul mittit ancillas, quæ eosdem vocent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Quid crater cum arce, cum muris? adverto sermonem esse de B. V. & de illius uberibus; ex quibus fluit lac miserationis & dulcedinis,

§. 4. Et figura, B. Virginis, cujus ubera turris sunt, & murus, quia consolatrix est, & auxiliatrix.

ut filii lactentur, quia consolatrix est, & pro iisdem parat arcem, ut tuti sint; quia fortis est auxiliatrix. Fons est: petra est: ubera fluunt lacte, melle & vino; sed simul sunt muri. D. Germanus Constant. in theoria rerum Eccles. *Crateras interpreteris licet, mammas Deiparæ, salutare lætitiæ poculum; & tutelare, ac conservatorium totius generis mortalium.*

§ 5. *B. Virgo est Consolatrix, oculata & misericors.*

Hoc quoque ingens nobis debet esse solatium, quod consolatricem habeamus; quæ hinc, novit & scit nostras afflictiones & miserias; inde potest & vult juvare; facillimeque inclinatur ad maternam compassionem; De quibus circumstantiis D. Amedeus sup. citatus ait; *Astat beatissima Maria singulari merito, vultui conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Sancta animalia Ezechielis licet ante & retro, intus & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores tamen hominum, & dolores, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æque ut Dei genitrix, valent examinare; examinando, cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quo enim sublimius immensi cor Regis aspicit, eo profundius, divinæ gratiâ pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere novit.*

§. 6. *Præsertim erga peccatores, quos peculiari titulo diligit.*

Præsertim peccatoribus, erga quos peculiari fertur affectu benignitatis non sine peculiari causa, quam his diebus modo didici, vel legi, in S. Anselmo l. de excell. Mariæ c. 1. *Cum recogito sanctum Mariæ Filium, ob hoc, ut peccatis hominum mederetur, factum esse filium ejus* (juxta illud S. Pauli 1. ad Timoth. cap. 1. v. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere*) *nonnihil spei concipio. Sciens, videlicet, illam magis propter peccatores, quàm propter justos factam esse Dei Matrem. Si igitur ipsa propter peccatores facta est Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile bonum, factum sit ex ea ob curationem eorum.* Plane æquum est, ut Maria inclinetur ad peccatores, quando ii in causa fuerunt, quod ipsa Dei Mater fieret, & in Reginam cœlorum assumeretur. Quis peccator, si velit non experiatur in se pia Mariæ viscera, quando ille in causa fuit, quod Mariæ viscera portaverint Dei Filium.

Non

Non est, quod quamvis enormis peccator, timeat repulsam, si apud hanc auxiliatricem refugium quærat.

Ideo diabolus sollicite allaborat, ne peccator id faciat. Cum Amanus à Rege Assvero, obtinuisset decretoriam mortis sententiam in Judæos, simul & hoc mandatum publicari jussit, Esther. 4. v. 11. *Omnes norint quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium Regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur.* Et quis scopus tam inhumanæ legis? Astus fuit diaboli, qui id suggessit Amano, ut Hebræi homines absque ullo intercessore perirent. Rupertus l. 8. de Victor. c. 10. *Ea lege, diabolus, pro Aman abuti voluit, ut dum illi accusator tam familiaris Regi immineret, & ad excusandum nullus aditus pateret* (nec Reginæ) *ad exorandum nullus accessus fieret, emuncta Regis sententia curreret irrevocabilis.* Et cucurrisset, nisi urgente Mardochæo Esther Regina, Regem accessisset. Feliciores nos sumus, qui habemus Mariam cœli Reginam, cujus tanta est auctoritas apud Deum, ut nulla potentia creata, nullo astu diaboli, (dummodo nos velimus) nullis aliis legibus possit impediri, ne pro nobis intercedat apud Filium; D. Methodius orat. in Hypopantem. *Quamobrem te, O sanctissima Deipara, quæ reliquis omnibus & benignior es, & materno honore, ac cum Deo colloquendi libertate gloriosior, obnixe rogamus, ut nostri jugem, ac perpetuam memoriam habere velis.* Libera est Maria, ab omni impedimento, libera ab omni lege & arte diaboli, ut ad Deum pro clientibus suis introeat, quandocunque illi placuerit, sive, quandocunque homo auxilium, solatium & refugium apud ipsam quæsiverit; tum enim benignissima Mater statim succurrit. D. Aug. l. cur Deus homo. *Est quoddam singulare refugium post Deum, quod habemus Reginam sororem nostram, ac Dei genitricem Virginem Mariam, quæ non cessit apud Deum pro hominibus intervenire;* Et nunquam sine fructu.

§. 7. *Cur diabolus impediat, ne peccatores implorent auxilium B. V.*

Nam Consolatricem, Auxiliatricem, Advocatam, Reginam & Matrem habemus. De qua Hailgrinus ait in laudem Mariæ. *Petitiones Mariæ Filius cum omni facilitate & delectatione admittit.* Imo, *cum placida dulcedine, in matris petitionibus Filius specia-*

§ 8. *Intercessio B. Virginis est efficax. Delectatur illa filius.*

specialiter delectatur. Cum sponsus Cant. 4. v. 9. Sponsæ innuere vellet, quod nihil ipsi posset negare ad illam dixit, *Vulnerasti cor meum.* vel, prout septuaginta legunt: *abstulisti mihi cor,* & cum corde meo, rapuisti omnem meum affectum & amorem, ut nihil tibi negare possim. Multo magis Maria vulneravit, & potentius rapuit cor Jesu, qui Matri nihil negat, facillimè ab illa inclinatur ad misericordiam; quod eleganti simili declarat Rich. à S. Laur. l. 12. de laud. Mariæ, super illum vers. 1. c. 11. Isaiæ. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet. Virga florida vel fructifera, si deorsum flectitur, secum inclinat florem suum, vel fructum. Studeas igitur ad terram, id est, ad te, qui terra es, amore & servitio flectere virgam illam, & securus esto, quia secum florem suum procul dubio, inclinabit.* Virga est Maria, in cujus summitate, maternæ & virginalis fœcunditatis, albicat flos, & nitet fructus, Christus Jesus. Ad quem itaque inclinabitur Mater, inclinabitur & Filius; si Mariam habeamus benevolam consolatricem & advocatam, benevolum habebimus & Judicem. Alio simili vel symbolo idem exponit sponsa Cant. 7. v. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructum ejus.* bene dicit, ascendam, nisi enim prius id faciat, fructum, qui in alto crescit, non apprehendet. *Accedit,* verò *ad palmam* (Rich. à S. Laur. cit.) *qui fide per dilectionem operante, propinquat ad Mariam; Sed quasi ascendit in palmam, qui quomodocunque potest, proficit in amorem & servitium ejus. Fructum vero palmæ, colligit mediante palma, qui precibus matris, à filio ejus veniam impetrat, & gratiam, & salutem.* Addamus, & solatium, & auxilium, & protectionem: dicamus itaque millies, Ave Maria! ave Consolatrix afflictorum, ave auxiliatrix, ave Refugium peccatorum, ave advocata nostra, & illos tuos &c.

§. 3. *Maria Filium suum nobis reddit suavem & amabilem.*

Scio, Christum D. ob varias causas vocari petram vel saxum; afferunt aliqui & hanc, quod tanquam justus, rigidus & severus Judex, peccatoribus sit durus; sed memini etiam vers. 13. cap. 32. Deuter. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Sed quid significat, petram stillare mella & oleum; sive quod

quod idem est, quomodo fit, ut Christus D. severus Judex, simul sit amabilis & misericors? Respondet Hugo Victor. ser. 22. de pop. Domini; *Petra & saxum Christum significant; saxum erit, cum apparebit in nubibus cæli, in iride Majestatis suæ, ubi nullus amplius erit locus misericordiæ. Petra vero fluens melle & oleo est, in sinu matris.* Quàm diu consolatrix & advocata nostra, apud Judicem adhuc pro nobis intercedit; non timeamus Judicem, sed amemus Salvatorem. In sinu consolatricis nostræ, si volumus, invenire possumus mel, id est, solatium, auxilium &c.

Audacior quibusdam videbitur Rich. à S. Laur. l. 2. p. 1. in 1. Reg. c. 25. cum dixerit; *Tam prudens & diserta advocata est Maria quod non potest filius vindicare in eos, pro quibus ipsa allegat:* quod significat Abigail, quæ avertit iram David, à Nabal stulto, subtilitate verborum suorum: qui Nabal significat peccatorem. Tanta est Marianæ intercessionis omnipotentia. Arcana quadam vi Deus inhibet ultionem in eos, pro quibus orat Maria. Nempe sic filius Dei ad Matris preces iram justissimam, meritissimamque vindictam cohibet, ac si aliter non posset facere. cap. 3. v. 11. Rutha rem arduam postulaverat à Boozo, nihilominus placido ore incunctanter respondit. *Noli metuere, quidquid dixeris mihi faciam tibi.* Et ideo multo magis Maria, (D Germ. Arch. Constant. or. 2. in M. dorm.) *quæ materna in Deum auctoritate pollet, etiam iis qui enormiter peccant, eximiam remissionis gratiam conciliat, non enim potest non exaudiri; cum Deus, ut veræ & intemeratæ Matri suæ, quoad omnia, & per omnia, & in omnibus morem gerat. Hinc meritò afflictus quisque ad illam confugit; infirmus tibi adhæret; bello petitus te hostibus opponit.* Ob eandem causam idem D. Germ. ausus fuit dicere, *Nemo salvus, nisi per te, O Deipara; nemo periculorum expers, nisi per te, Virgo parens; nemo redemptus, nisi per te, Dei Mater: nemo misericordiam consecutus, nisi per te. Quis enim peccatores, & suos clientes, tantopere defendit, O Domina.*

§. 10. Filius non potest non exaudire preces Matris suæ. Figura fuerunt Abigail & Ruth.

Et præsertim in hora mortis; quod est ultimum punctum hujus concionis. O felices, quibus contingit, ut consolatrix, auxi-

§. 11. B. Virgo in hora mortis fidelis-

sima adjutrix. auxiliatrix & advocata Maria, morientibus assistat. Nam in illa est *gratia omnis viæ*, Eccles. c. 24. v. 25. scilicet illius, *quæ ducit ad filium* (Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. Mar.) *qui est vita: ambulantibus per has vias, ostendit Maria se ipsam, hilariter exeuntibus de hoc mundo, & in omni providentia, quem ipsa dat, ad conservandam animam, occurrit, illis quasi adjutrix fidelissima.*

§. 12. *Sine illius auxilio æternum pereunt peccatores.* Putant aliqui de B. Virgine loqui v. 12. cap. 60. Isaiæ. *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.* Dico ego in particulari de quovis peccatore, in agone constituto: nam *destitutus, tantæ Matris auxilio* (Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. M.) *per consequens destituitur auxilio fili i & totius curiæ cælestis.* Ex quo clamat D. Ildeph. l. de Virginit. Mar. c. 4. *Unde jam veni mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam. Veni, abscondamur sub velamento virtutis ejus, ne induaris confusione, sicut diploide.* Non potest bene mori, destitutus auxilio Mariæ. nam loquentur illi inimici in porta &c. Clientibus verò suis est advocata, cum in conspectu Dei (coram tribunali Judicis) bonum pro illis loquitur, & contradicit adversariis nostris, ne obstrepere possint. Ideo peccatores multi (S. Germ. C. cit.) qui per Mariam Deum exquisiverunt, salvi facti sunt, dicuntque; nisi, quia Domina adjuvisset nos, paulò minus habitassent in inferno animæ nostræ.

§. 13. *Mors est terribile mysterium. Væ morientibus si non adsit Maria.* Cum magno solatio sæpe lego, promissionem B. Virginis factam S. Mechtildi; *Ego omnibus, qui mihi pie & sancte deserviunt, volo in morte, fidelissime, tanquam Mater piissima, adesse, eosque consolari, & protegere. Vere, vere, terribile est mortis mysterium*, dixit S. Nilus ad Agathiam: *trepidant, sudant, vociferantur in illo agone Hilariores, & viri sanctissimi*; quid nos faciemus. Adest enim tum diabolus, Apoc. 12. v. 12. *habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* O si ex alta quapiam specula, omnes, quaque longe ac late patet orbis, in agone luctantes mortales conspicaremur, O si pericula videremus, & exquisita dæmonum studia, & apertum rictu immani, atque hiatu, tartari, animas nunc hac hora migrantes glutientis os! quàm exardesceret in cordibus nostris accensum desiderium, dicendi

quoti-

quotidie, omni possibili devotione, consolatrix afflictorum, in hora mortis nostræ, Ora pro nobis &c.

Tremefactum sibi cor & concussum fatetur l.1. ep. 10. B. Petrus Damiani, quando rem audivit, quam gemendæ calamitatis historiam vocat. Ex duobus viatoribus, in densa sylva, in unum horrendus serpens biceps subito insiliit; ut miser se defenderet, securi alterum serpentis caput amputavit. Sed ille, ferocior sinuosis eum spiris implicuit & involvit, totumque hominem suis viribus vendicans, in subterraneæ specus latebras asportavit, opem amici territi, nequidquam ultimis clamoribus implorantem. Tum subdit B. Petrus Dam. *Meditor sæpe: Ecce homo & bestia, duo pariter in spelunca, non mediator intervenit, non ereptor accedit.* §.14. *Occasione tragica historia.*

Quæso Auditores dilectissimi, ex hac historia meditamini vos morientem impium, sine auxilio magnæ Matris. fateor, cor meum tremit, & concutitur. Mors, truculentissimi in Paradiso serpentis filia, sæpe subito, invadit hominem; adest simul dæmon, ut trahat in speluncam æternitatis; superi! hinc mors, dæmon, furiæ, serpentes, spectra, monstra! hinc homo solus, sine ullius auxilio. Facite vos, quod vultis Auditores; ego ex hoc momento, ita amabo Mariam; ita colam, toties ardentissimis precibus Matris fatigabo aures, ut in illo agone, sit mea consolatrix &c. §.15. *In Epilogo Auctor desiderat colere, & amare Mariam.*

CONCIO LXXXIIIX.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Salve O Crux preciosa: O bona Crux Salve.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AFfert plurima elogia SS. Crucis, desumpta potissimum ab Iride, veluti totidem causas, ob quas cum S. Andrea, Crucem appellare possumus preciosam.

§. 1. S. Andreas fuit stella, Saphirus, Sardius, Palma.

SI gloriosissimi duodecim sancti Apostoli, sunt duodecim lucidissimæ stellæ, quibus S. Joannes in Apocalypsi c.12. v.1. vidit, coronatum verticem fœminæ, circumamictæ Sole, quæ ex mente S. Ambrosii fuit Typus sponsæ Christi, sive Ecclesiæ; stella pulcerrima, ordine secunda, fuit S. Andreas. Stella lucidissima, quæ suis radiis, & nova luce Evangelii remotissimas Asiæ regiones, illustravit. Si duodecim Apostoli, sint totidm preciosissimæ gemmæ, & lapides, quibus veluti basibus inædificata est civitas Ecclesiæ, (sic sensit Joachimus Abbas) S. Andreas, alter ordine Apostolus, fuit Saphirus, qui inter illas gemmas à S. Joanne secundo loco ponitur. Saphirus teste Plinio, aureis punctis & stellulis perlucens, cœruleo colore perspicuus, & serenus, quoddam parvum cœlum refert. Talis gemma fuit S. Andreas, præcipuè cum in cruce penderet, plenus cœlestibus deliciis. Si duodecim Apostoli sint duodecim columnæ, quibus incumbit domus Ecclesiæ; altera colu-

columna est S. Andreas, ex lapide Sardio, ob naturalē rationem planè peculiarem. Sicut enim magnes ferro, succinum paleę, sic Sardius ligno, occulta sed forti quadam vi, veluti glutine constringitur, ut ab eo separari & abstrahi difficulter possit; Refert Alb. M. lapidem hunc ita fortiter adhærere tabulis, ut avelli non possit, nisi abscindatur cum eo pars tabulæ, cui inhæserit. Talis Sardius fuit S. Andreas, postquam semel lignum crucis fuit amplexatus; semel affixus & funibus alligatus beatissimæ isti arbori, avelli, vel liberari ab illa non voluit, nec potuit, nisi mortuus: non sine miraculo, de quo ait Vita Apostoli; Mittentes manus ad crucem artifices, non poterant penitus contingere eum, & subinde alii & alii se ingerentes, ut solverent eum, non poterant; vi quadam altiori fuerunt impediti. S. Andreas, fortissimus Sardius usque ad mortem adhæsit cruci. Si denique duodecim Apostoli, sint totidem pulcerrimæ, fructiferæ arbores, in agro, vel horto Ecclesiæ, S. Andreas fuit pulcerrima palma, cujus fructus fuit peculiaris; arbor erga SS. Crucem in qua vitam pro Christo posuit. Scitis, piissimam oratiunculam, sive ignea verba, quibus erectam crucem, cum in conspectum ejus venit, S. Andreas, salutavit; *Salve crux preciosa: Salve, O bona Crux, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, gaudens venio ad te: ita & tu suscipe discipulum ejus, qui in te pependit.* Quare vir sanctus Crucem compellarit preciosam, bonam sive utilem, desideratam; quare gaudens crucem susceperit, & cum gaudio in illa mortuus fuerit; hac concione fusius exponam; ut in nostris quoque cordibus tener quidam amor erga SS. Crucem exoriatur.

Cum Noë finito diluvio cum suis ex arca in montibus Armeniæ fuit egressus, promisit illi Deus, non puniturum se amplius mundum, submersione aquarum. Verum quia bonus Deus videbat, eorum animos præteritæ calamitatis horrore confusos atque consternatos, non posse penitus metum & timorem abjicere; præsertim si forte cœlum nubibus obduceretur; ad solatium & fiduciam concipiendam de divina misericordia Deus factam promissionem confirmavit certo signo, de quo

§. 2. *Origo Iridis, & ejus descriptio.*

quo ait cap.9.Gen.v.13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei.* Hic arcus, fuit pulcerrima iris, quæ inter roridas nubes oculis Noë se objecit; tam pulcra & decora, ut Ecclesiasticus deinde dixerit cap.43. vers.12. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo, gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum:* quibus verbis iris commendatur à decore, & pulcritudine, ob amœnissimos colores, quibus recreat aspectantium oculos, à forma & figura; est enim quasi pulcerrimus cœli baltheus & fascia; à magitudine & amplitudine, quæ ab Oriente in Occidentem, vel à meridie in Septentrionem protenditur, ideo Tigurina versio ait, *Manibus Altissimi eum extendentibus.* Hæc *ad literam.*

§. 3. *Iris, est symbolum, divinæ misericordiæ, SS. Eucharistiæ, B. Virginis; & præsertim SS. Crucis.*

In sensu symbolico & mystico, iris, signum est divinæ misericordiæ; cujus thronum S.Joannes in Apoc. vidit iride circumdatum, ut omnes cum magna spe & fiducia illum accedant. Iris, pulcerrima quoque ist imago, vel sacros. Eucharistiæ, vel B.V. quæ modo tantum insinuo, quia cum S.Andrea propero ad crucem. Sacros. crux fuit speciosus & purpureus ille arcus, quem Christus D. dimensus est, dum in illo brachia Christi D. fuerunt extensa. Crux fuit ille arcus, quem Filius altissimi, non coloribus sed suo sanguine depinxit, & tot rosis, quot guttis sanguinis decorum fecit. Crux fuit ille arcus, quo armatus Salvator mundi, de suis hostibus, de diabolo, de morte, de peccato, de inferno, triumphavit. sacros. Crux, fuit arcus amoris, ex quo Redemptor noster, cum extensus esset in cruce, validissimas sagittas amoris, & ignea tela ardentis orationis, cum gemitu & lacrymis, cum clamore valido, tum erga cœlestem Patrem, tum erga nos fuit ejaculatus. Verbo iris est symbolum crucis, in qua Salvator mundi pependit in monte Calvariæ. O cœlestes spiritus! novem angelorum chori! O Patriarchæ & Prophetæ! O Apostoli; tu inter illos, gloriosissime Andrea! Invicti Martyres! O omnes sancti, procumbite coram hac iride, coram sanctissima cruce; Videte arcum! & benedicite eum, qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo; *Vide quanta sit*

excel-

excellentia hujus signi, (D.Chrysost.hom.de cruce & latrone) *illa die sol obscurabitur, luna non splendebit, astra cadent. Crux apparebit ut intelligas illam luna splendidiorem, sole fulgentiorem, stellis clariorem.* Manus excelsi aperuerunt illum; sive, manus altissimi in illo extensæ fuerunt.

S.Chrysostomus iridem vocat, *Dei cum hominibus reconciliati chirographum*. S.Hieron. *Supernæ clementiæ simulacrum.* S. Damascenus, *cælestium induciarum pignus.* S.Augustinus, *divinæ amicitiæ tesseram.* S.Bernardus. *Sempiterni fœderis obsidem.* S. Ambrosius. *Multiformis gratiæ specimen.* S.Cyprianus. *Cælestis benignitatis typum.* S.Nazianzenus. *Benevolentissimi Numinis testimonium*, S.Basilius, *Pacis sequestram.* Venerabilis Beda. *Divinæ propitiationis symbolum.* Anaxagoras; *Serenitatis præludium.* Macrobius. *Benignissimum cæli prodigium.* Ab aliis profanis auctoribus, vocatur, *divina quædam Astrologia, superum legata, felicitatis index, tranquillitatis præco, lætitiæ præambulatrix.* § 4. *Elogia tridis ex SS. Patribus.*

Dicite mihi auditores, si Principem aliquem graviter offendissetis; qui loco meritæ pœnæ, veniam & amorem vobis offerret; & in signum veræ benevolentiæ offerret chirographum sua manu scriptum: nunquid exclamaretis, O preciosam syngrapham: ideo S.Andreas crucem pronuntiavit *preciosam*, quæ chirographum est, sive syngrapha, quam Christus D. suo sanguine scripsit; nostrum chirographum de peccatis nostris, eodem cruore delevit, & affixit illud cruci, laceravit, combussit. Suam verò crucē substituit, ut sit nobis tessera, reconciliati Numinis. *& divinæ propitiationis symbolum.* Non miror S.Andream, jacentem ante crucē exclamasse; O preciosa crux! O bona crux. § 5. *Applicantur sanctissimæ cruci.*

Si Christus D. nobis offerret gemmā; ut quibusdam sanctis obtulit, & diceret; fili, hæc gemma erit tibi tessera meę amicitię, benevolentiæ & amoris. Quamdiu hanc gemmam de collo tuo feres, habebis certissimū pignus induciarū, quod te punire non velim; nō obrueris à repentina morte, nō eris in periculo æternæ damnationis. Hæc gēma erit tibi obses confirmati fœderis, quod olim pepigi tecum, in sanguine meo, cū pependi in cruce; volo deniq; ait Christus D. ut hæc gemma sit tibi testimonium benevolentissimi amoris! si Christum amamus! si amari § 6. *Prosecutio.*

 ab il-

ab illo volumus! si amicitiam ejus desideramus! si optamus felicem mortem! si timemus æternam damnationem! si nobis est in animo, ut firmum fixumque maneat fœdus inter nos & Christum D. initum in cruce; cui subscripsit sanguine suo! nunquid æstimabimus hanc gemmam, nunquid exclamabimus; O preciosam gemmam! Non miremur S. Andream adeo æstimasse & amasse crucem, ut, etiam dum illi affigi, dum in illa inter atrocia tormenta mori debuit, exclamarit, *O Preciosa! O bona crux!* hæc est tessera divinæ amicitiæ, & cœlestis amoris; hæc est pignus tam utilium induciarum; si crucem amamus, moriemur sancte! si crucem diligimus stabile manebit nostrum fœdus cum Christo crucifixo.

§ 7. *Prosecutio.* Conglobate reliqua encomia Iridis; & dicetis de sacros. Cruce; hæc est, supernæ clementiæ simulacrum! Crux sacros. est specimen multiformis gratiæ. Sacrosancta Crux est typus cœlestis benignitatis! est pacis sequestra! est symbolum divinæ propitiationis! est præludium serenitatis æternæ! est prodigium amoris & divinæ misericordiæ! est index felicitatis, præco tranquillitatis, lætitiæ sempiternæ præambulatrix. O animæ piæ, procumbite hodie in genua coram sanctissimo ligno; videte hunc arcum; videte arborem, in qua pendet salus & vita mundi. Videte, & benedicite eum, qui hunc arcum posuit in nubibus; benedicite eum, qui in hac arbore suspendi & mori voluit! valde speciosus est in fulgore suo, decore & splendore suo; de cruce, si est simulacrum divinæ clementiæ, si est index nostræ felicitatis, si nuntia æternæ beatitudinis, merito cum S. Andrea exclamare possumus, *Salve O Crux preciosa! O bona crux Salve.*

§. 8. *SS. Crux est signum, in quo omnium rerum est tuta prosperitas.* Pulcrè dixit S. Ambrosius ser. 43. ad conversum & baptizatum gentilem; *Nonne cum adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere; quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? jam nunc nolo erres in numero! Scito, quia in uno signo Christi, omnium rerum est tuta prosperitas.* Fortassis dum gentilis ille hoc agnovit, exclamavit, O nobile! O preciosum! O carum signum! S. Andreas agnovit, hoc signum esse crucem; In cru-

In cruce omnium rerum est tuta prosperitas! alii SS.PP. Bonorum omnium summa. in hoc signo fulget divinus amor! in hoc signo radiat divina misericordia! in hoc signo nobis promittitur cœlestis benedictio! Cum Octavianus Augustus electus Imperator, urbem Romam fuit ingressus, medio die, solem cinxit & circumdedit pulcerrima Iris, instar aureæ coronæ, quæ auguribus fuit præsagium pacis & magnæ felicitatis, sub imperio hujus Imperatoris. Nolite errare auditores! si signum veræ felicitatis quæritis; iridem sive sacros. Crucem quærite cum S. Andrea, & dicite, O preciosa! O bona crux.

Ex his iisdem elogiis sacros. Crucis colligere possumus causas, ob quas cum S. Andrea gaudentes debemus amplecti crucem, & cùm lætitia in illa perseverare. Crux est paupertas! cruces sunt morbi! cruces sunt malevolæ linguæ. Clarius loquar: quoties adversitas aliqua vel tribulatio nos premit, & affligit; cogitemus illum afflictionem offerri nobis, à Deo vel Christo D. veluti syngrapham, quod nos amet; S. Basilius or. de transfig. *affectionem probat crucis societas*; quod in altero mundo nos punire non velit. Aves scire fili mi! an Christus D. te diligat, an tibi bene velit, &c. ne dubites, cum S. Andrea te ducit ad crucem: agnosce tantum, & dic cum S. Andrea, salve &c. §. 9. *Quare gaudentes debeamus amplecti crucem.*

Cœlum omnes exoptamus; ibi erit serenitas æterna! sed in terris, ejus præludium debet esse Iris sanctiss. Crucis. Cœlum quærimus! ibi est æterna felicitas & beatitudo! in terris dum vivimus, ejus index est Iris sanctiss. Crucis. O preciosa crux! Ad cœlum tendimus! veluti cervi anhelamus ad illos fontes lætitiæ sempiternæ! ad torrentes voluptatis! ut ibi æternum lætemur & exultemus. Sed prius in hac lacrymarum valle, per spinas, per tribulos, per saxa, præambulatrix nostra esse debet, Iris sanctiss. Crucis. § 10. *Repetitæ analogiæ inter Iridem & crucem.*

Dolerem, si sanctissimam Crucem, non comparassem Iridi; inter alia hoc habet iris mirabile. Teste Aristotele l. 3. Probl. 3. & Plinio, l. 12. c. 24. Iris, illas herbas, quibus ejus cornua incumbunt, reddit valde odoratas. Si, Aspalathus, sive spina candida, magnitudine modicæ arboris, parvulas germinat: §. 11. *S. Andreas in cruce fuit cœlestis Aspalathus.*

nat rosas, tum maxime odoratas, cùm inenarrabili quadam suavitate, cum super hunc fruticem cœlestis arcus curvatur. Idem Plinius ait; Terra, cum à siccitate continua immaduit imbre, si in illam arcus cœlestis dejecerit capita sua, tum emittit quendam divinum halitum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla potest. Quidni vocem hodie S. Andream cœlestem Aspalathum, vel decorum flosculum; parvum ob humilitatem, spinosum ob tribulationes quas pertulit; sed, pendentem in cruce, plenum cœlestibus odoribus, & odoramentis, quæ fuerunt ardentissima ejus suspiria ad crucem & Christum Salvatorem. Unde tanta fragrantia? unde cœlestis odor nisi ab iride sacrosanctæ crucis; nisi a sole Christo Jesu, qui prior in cruce obiit. O preciosa crux.

§. 12. *S. Andreas in cruce invenit favos cœlestium deliciarum*

Addit Aristoteles; ad generationem aërii mellis, sive ad manna, multum conferre odoratas qualitates, quæ manserunt in floribus & herbis, quibus iris incubuit, & inde apiculæ colligunt mel suavissimum. Quidni apiculam vocem Andream, plenum melle? Dulce manna est cœlestis amor! suave mel est tenera devotio cordis. Dulces favi sunt cœlestes consolationes: his tam copiose de cœlo S. Andreas etiam pendens in cruce, quasi obrutus fuit, & inebriatus ab ubertate domus Domini, ut dulce, & summa suavitas illi fuerit, pendere in cruce, ut noluerit ab illa separari, vel liberari. Sed unde illa solatia in corde S. Andreæ? nisi ab iride sacrosanctæ crucis, quam totis visceribus cordis complectebatur, & ut interna gaudia foris ostenderet, melleis verbis exclamavit, salve, O preciosa crux! O bona crux. Iris cùm fulget, plerumque salutares generat pluvias; O animæ piæ, si corda vestra desiderent pluvias cœlestium consolationum, si favos quæritis suavissimarum deliciarum, hoc necesse est, ut vos tangant cornua crucis; hoc necessarium est, ut cœlestis hic arcus super vos curvetur; gustate, stringite cum S. Andrea crucem, mox in dulces prorumpetis voces, O preciosa crux.

§. 13. *Rhamnus Rex arbo-*

Cum Judicum cap. 9. v. 15. arbores elegissent rhamnum in regem, dixit ad illas. *Si verè me Regem constituistis, venite & sub*

ſub umbra mea requieſcite. Et qualem umbram inveniemus ſub ſpinoſa arbore? qualem quietem inter ſpinas? Rhamnus ille fuit figura ſacroſanctæ Crucis. Facta eſt arbor regia, cum Rex Regum illi fuit affixus: germinavit, floruit ſpinoſa crux, cum rigata fuit ſanguine filii Dei; ſanctiſſimis membris divini corporis, vulneratis manibus & pedibus, fuit exornata, veluti roſis; rhamnus converſus fuit in therebynthum, latè expandentem ſuos ramos. Converſus fuit in pomum, de quo ſponſa ait; Cant. 2. *Sicut malus inter* ligna ſylvarum, ſic dilectus meus; ſub umbra illius ſedi. Honorius. Scilicet, malus eſt crux: fructus ejus Chriſtus: umbra, tutela. O animæ piæ, eſtote aviculæ, advolate, hic umbram & nidos quærite. Dulcis luſcinia in palma crucis fuit S. Andreas, ſuaviter cantillans, ſalve O Crux precioſa! ſponſum ſedentem in palma habuit præ oculis, & ſub umbra illius, quæſivit, imò invenit quietem & æternam felicitatem. Ob delicias crucis S. Chryſoſt. & alii SS. PP. illam vocarunt, *Argumentum totius gratulationis ſpiritualis*; *Lætitiam noſtram & ſpem deſperatorum; Clavem Paradiſi, dulcem ſarcinam; dulce lignum quod* amaras aquas reddit dulciſſimas. Lignum plane precioſum.

rum ex c. 9. Iud. fuit ſignum crucis.

§ 14. *Elogia crucis ex S. Athanaſio.*

Præter alia innumera bona & ingentia beneficia, quæ debemus ſacroſ. Cruci; nam (S. Athanaſius q. 158. ad Antioch.) *Crux de morte triumphavit: diabolum ſuſtulit*; Cruce conculcata eſt mors ejuſque metus: & in exilium relegata legis maledictio: infernus ceſſit in prædam; peccatum & ejus reatus eſt abolitum; natura hominum à ſervitute Satanæ liberata, diabolus, ut invicto credentium animo nocere nequeat, eſt ligatus; plantata eſt ſalus, reſurrectio eſt patefacta; vita eſt orta. Quidni millies, in gratiarum actionem pro tantis beneficiis, cum Sancto Andrea exclamemus, *Salve O precioſa Crux!* *O bona Crux Salve*; gaudio gaudentes te amplectimur, & cum jubilo ſalutamus: quia bene gnari ſumus nobis expedire, ut ad imitationem Sancti Andreæ ſimus amatores Crucis Chriſti.

§. 15. *Crux in medio Corona contexta ex lucidissimis stellis.*

Gloriam denique, qua victrix anima S. Andreæ in cœlis fruitur, & aliquando resumpto corpore æternum fruetur, reperit in cruce. Via crucis illum deduxit ad bravium immarcessibilis coronæ. Jucundissimum spectaculum videt Roma, in morte S. Eusebiæ Romanæ Virginis (teste Bollando 24. Jan.) Ipso in meridie, alto sole, sudoque aëre apparuit corona è micantibus stellis contexta, in cujus medio crux erat, miri candoris, ut cœlum nobis innueret, amatoribus crucis in cœlo parari tales coronas. Spinæ crucis aliquando convertentur in rosas & stellas. Ite pictores, si volupe vobis est ornare hodie crucem S. Andreæ aliquo symbolo; pingite supra verticem invicti athletæ coronam è lucidissimis stellis; imò major longe favor gloriosissimo apostolo fuit exhibitus; nam, ut ait S. Vincentius ser. de S. Andrea, ipse Christus D. cum multitudine angelorum descendit in terras, ad locum Martyrii, & animam S. Apostoli secum deduxit in cœlum. O millies preciosam crucem! in qua S. Andreas tam preciosam invenit coronam! Neque nos alibi inveniemus nisi in cruce.

§. 16. *A cruce gaudium, gloria, & regnum.*

De triumphante Imperatore apud Romanos dixit S. Augustinus; *Triumphat victor imperator, & quanto majus fuit periculum in prælio; tanto majus est gaudium in triumpho.* Idem nobis continget, & contigit S. Andreæ. Quanto major est afflictio nostra in hoc mundo, quanto gravius est pondus crucis (si momentaneum pondus dici potest) tanto gravius erit pondus gloriæ. Neque dubitemus de ejus certitudine, si cum S. Andrea crucem amplectimur. Estheris cap. 15. vers. 15. Assverus *tulit auream virgam, & posuit super collum ejus.* Josephus ait l. 11. cap. 6. *Sceptrum in manu ejus inseruit, & cervicem ejus virga permulcens aurea, à legis metu, omnino fecit liberam, & regiam dignitatem illi confirmavit.* Et miraris, amice mi, cur subinde Christus Dominus crucem humeris tuis imponat? sic offert sceptrum; sic mulcet te, sic tenerum monstrat amorem, sic te disponit ad regnum. O preciosum sceptrum! O preciosam Virgam! O preciosam crucem! O preciosam coronam.

CON



CONCIO LXXXIX.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie salus huic domui facta est.

Luc. 19. cap. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de sanctitate & aliis elogiis Ecclesiarum.

CUm ipse Christus D. æterna Veritas templum Judæorum Hierosolymis exstructum vocaverit Domum Patris sui, (Lucæ 2. v. 49. Matt. 21. v. 13.) merito & nos templa Christianorum hac compellatione honorare possu- *§. 1. Ecclesia est Domus æterni Patris.*

possumus. cum ad illum finem 1. à Constantino M. deinde aliis Principibus, & Christianis exstructa sint ut verus Deus in illis peculiari cultu colatur & adoretur. Ad hunc eundem finem majores nostri ante 8. & amplius sæcula in hac urbe templum hoc S. Martini magnificè exstruxerunt, liberaliter dotarunt, ut sit Domus Dei. Hodiernus, est dies annuus, quo Ecclesia hæc, æterno Patri, Christianis ritibus, primum est consecrata.

§. 2. *Ecclesiæ sunt aula Dei.*

Si teste S. Joanne Chrysostomo quævis Ecclesia est aula Dei sive Palatium Regis æterni; Et hæc Ecclesia S. Martini talis erit aula, tale palatium. Ecce in altari sacros. Sacramentum, divinam Hostiam, in qua veluti regio throno apud nos in terris moratur & habitat, Rex Regum & Dominus Dominantium Christus Jesus. Verè non est hoc ædificium aliud; quàm aula Dei, & palatium Regis æterni. Hodie in lætitia & exultatione celebramus diem annuum quo hæc aula magno Deo, & Regi fuit dedicata & consecrata.

§. 3. *Sunt Paradisus in terris.*

Si teste S. Bernardo quævis Ecclesia Christiana, sit parvulus Paradisus in terris, ob cœlestia solatia, quibus animæ sanctæ in templis præcipuè, coram Venerabili Eucharistia, in ferventibus precibus & preciosis occupationibus, perfunduntur; Permittite quoque mihi, ut portæ hujus Ecclesiæ palmaribus & aureis literis hoc elogium inscribam: Parvulus paradisus in terris. Ecce in altari arborem vitæ, ex cujus radicibus fons salit aquarum viventium & vitæ æternæ. Hodie memoriam agimus illius diei, quo hic paradisus sive hæc Ecclesia primum est fundata. Cum gaudio & lætitia paradisum hunc ingredimini auditores.

§. 4. *Alia elogia Ecclesiarum.*

Majores nostri vocarunt Ecclesiam: *Asylum afflictorum* cap. 25. *Sanctuarium, tabernaculum*, cap. 12. vers. 11. Deuteron. *locum quem elegit Dominus.* cap. 56. *Domum orationis.* Omnia hæc elogia debentur huic Ecclesiæ S. Martini, cujus annuam dedicationem hodie celebramus; est sanctuarium, est tabernaculum, sub quo habitat Deus, est locus quem elegit Dominus, est

nus, est locus orationis. Quanta hæc sit gratia, quam eximium beneficium, quod Deus sive Christus Dominus tam admirabili modo in sacramento altaris nobiscum in terris habitare velit, prima parte hujus concionis ostendam. Discursus hujus puncti mihi suggeret corollarium, quo deducam, graviter illos puniri, qui Ecclesias violant & polluunt. De benevola vestra attentione hodierno festo non dubito.

Cum Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 10. exstructum & absolutum templum ingenti pompa, præsente universa multitudine Israel dedicaret Domino; cum sacerdotes intulissent arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim; *Factum est, ut nebula impleret Domum Domini, adeo ut sacerdotes non possent ministrare propter nebulam, impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tum ait Salomon, Dominus dixit ut habitaret in nebula; & ruens* in genua exclamavit; *Ergone putandum est, quod verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quàm ædificavi* Unde tanta admiratio in sapientissimo Rege? nunquid structura templi est admirabilis! an non fundamenta posita sunt ex marmore & omni lapide precioso, nunquid omnia, intus & foris inducta sunt auro, argento, gemmis & lignis cedrinis. Et quid ad architecturæ inventionem, quid ad ornatum & elegantiam desiderari potest? nunquid regios thesauros, & innumeros auri milliones effudit liberalissima Salomonis manus; quid ergo miraris Rex sapientissime, elegisse Dominum hanc domum ut ibi habitet? hoc promisit Exodi. 25. cap. vers. 8. *Faciant mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

§ 5. *Deus habitat in Christianorum Ecclesiis.*

Sed advertere oportet, quid sacer textus intelligat per hanc phrasin, quod Deus habitaverit in templo vel sanct. Judæor. Illa nebula quæ implevit domũ Salomonis, tandẽ condensata sedit super arcam D. sive thronũ propitiatorii inter duos Cherubim

§ 6. *Quid hæc verba significent.*

ex auro purissimo; & cum deinde sacerdos in magnis necessitatibus intraret sanctum sanctorum ad consulendum damnum, aliquis angelus ex hac nebula loco Dei sacerdoti & populo dabat responsa; unde modus hic loquendi profluxit, Deus ex templo Salomonis, in arca, in nebula, habitavit cum populo suo. Præsertim quod oculi Domini fuerint aperti super domum hanc nocte ac die; super domum de qua dixit, *Erit nomen meum ibi, & sanctificavi domum hanc, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Cit. c. 8. & 9. l. 3. reg. variæ numerantur gratiæ, quas Dominus Deus promisit populis, si orarent in templo, si offerrent sacrificia &c. ob quæ beneficia dictum fuit, Deum habitare in templo Jud. Et hanc habitationem Rex Salomon ita fuit miratus, ut exclamarit, *Ergone putandum est &c.*

§. 7. *Affectus admirationis.* Si mihi modo umbram Salomonis, vel ex cœlo vel inferno excitare liceret; si in hoc templo ducerem ad altare, & dicerem; Ecce Rex sapientissime, non in nebula, sed sub his accidentibus sacrosanctæ hostiæ Magnus Deus noster, altissimus Dei filius personaliter, realiter nobiscum habitat in terris; quid putatis audit. Nunquid plenus stupore diceret, ergone hoc putandum est. Si dicerem, quod nos Christiani & Catholici credimus, Qui in gloria sedit ad dexteram Patris; qui ante, ut nos redimeret pependit in cruce; idem ille hic in altari nobis præsens est, & erit usque in consummationem sæculi; nunquid exclamaret, Ergone putandum est? &c. Nos ut dixi non putamus, sed credimus, certi sumus, parati sumus morte & sanguine subscribere præsentiæ Christi in Eucharistia.

§. 8. *Prosecutio.* Si umbram Salomonis deducerem ad sedem aliquam confessionalem, & dicerem: Ecce Salomon, tua balnea, tui fontes, tuæ piscinæ, tuæ lotiones, tuæ aspersiones, quæ in templo tuo in usu fuerunt figura fuerunt fontis sanctiss. sacram. pœnitentiæ, quod in hac sede administratur. Hic, lavantur animæ in sanguine agni immaculati, hic super nivem dealbantur. Nunquid plena admiratione in hæc eadem verba prorumperet: Ergone putandum est &c. Nos non putamus, sed credimus; quem articulum si bene perciperemus, si viva fide perpende-

penderemus hunc infinitum Christi Domini amorem, quod die & nocte, in hoc v.g. templo sub speciebus sacram. adesse nobis velit, ut oculi ejus super nos in loco hoc sint aperti; ut cor ejus nobiscum sit ut preces vestras exaudiat, ut nobis concilietur &c. sine dubio quis diceret cum Davide Ps. 5. v. 8. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* ex ps. 65. v. 13. *Introibo in Domum tuam in holocaustis.* ex psal. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco* (non ubi steterunt pedes ejus) sed ubi est sanctissimum corpus ejus, ubi est anima ejus, ubi est preciosissimus ejus sanguis, ubi est totus Christus, ubi tam admirabili modo præsens est sacrosancta Trinitas, Pater, Filius & spiritus S.

Exodi. 3. v. 3. Moyses pascebat oves in monte Dei Horeb, & apparuit illi Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quod rubus arderet & non combureretur; dixitq; Moyses, *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. cum* iret audivit vocem de medio rubi; v. 5. *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* Inter innumera mysteria, quæ latent sub hoc rubo, hoc modo inquiro, quare locus, in quo rubus stetit, dictus fuerit ab angelo, qui ex rubo loquebatur, terra sancta. Sensus allegoricus dabit mihi causas. In illo 1. subtiliter dicunt aliqui interpretes. *Ignis in rubo, est Deus in carne*; sive *verbum caro factum.* Vilis, asper, spinosus rubus significat Christi Humanitatem; Ignis divinitatem. Ob tam excellentem figuram tanti mysterii incarnationis, locus ille, vel terra in qua stetit rubus, merito sancta dici potuit. 2. S.Greg.Nyss. ait. Ignis in rubo, est Deus conceptus & natus ex Virgine. nam, *ut frutex accendit ignem, & non crematur*; *itidem etiam Virgo parit & non corrumpitur.* Et cur locus in quo stetit rubus, figura tam sanctæ Virginis, non dicatur sanctus. §. 9. *In Ecclesia est terra sancta. Quare?*

3. Alia mirabilia deinde contigerunt in hoc monte, ad ejus radices jacuit petra, quam cum Moyses sua virga percussit, aquam dedit populo in abundantia. Ecce figuram petræ, quæ deinde Christus fuit, ex quo in monte fluxerunt fontes sanguinis. §. 10. *Prosecutio.*

guinis. Quid sub sole, vel in cœlis & in terris est sanctius sanguine filii Dei. Vel ob figuram ejusdem, mons, in quo fuit illa petra, sanctus dici debuit. In illo monte, Moyses orans expansis brachiis, obtinuit, ut Josue vinceret Amelec; in quo fuit locus ille figura Montis Calvariæ in quo Christus D. expansis & affixis ad crucem brachiis orans, obtinuit victoriam contra diabolum. In hoc monte Moysi deinde data fuit lex; in illo monte 3. Reg. 19. v. 12. Elias vidit Deum in sibilo auræ tenuis. Quid miramur quod angelus de rubo locum illum vocaverit terram sanctam.

§. 11. *Comparatur Ecclesia cum monte Sinai.*

Ex monte Sinai redite mecum Auditores ad templum hoc S. Martini, ut intelligatis vos stare in loco sancto. Ecce in altari, non rubum aliquem, sed parvam Hostiam; non dicamus hic in fig. Ignis in rubo, est Deus in carne, vel, *verbum caro factum est*; Fides nostra dicit, in hac hostia realiter, personaliter est illud verbum, quod carnem assumpsit; in hac hostia realiter, personaliter modo sacramentali, est idem Deus, qui regnat in cœlis, æternus, immensus, omnipotens &c. Idem Christus qui sedet ad dexterum Patris. Idem qui conceptus & natus, ex Maria Virg. passus & mortuus pro nobis est: idem qui gloriose resurrexit à mortuis, idem qui judicaturus est vivos & mortuos. Hunc locum, hoc altare, hoc templum, nunquid appellare debemus sanctum. Profecto non est alia natio sub sole, quæ Deos suos ita habeat sibi appropinquantes, sicut nos habemus. Ecce petram, quæ non in figura dat aquas, sed re ipsa, preciosissimum Christi sanguinem, quo abluimur in remissionem peccatorum, imò quem bibimus. Ecce altare non holocausti, non thymiamatum, non victimarum, sed agni immaculati, qui tollit peccata mundi, qui nos sanctificat. Verè locus hic sanctus est, in quo sanctus sanctorum tam admirabili modo nobis præsens est.

§. 12. *Cur Moyses ante rubum jussu*

Cogitet quivis sibi dici, quod Angelus, vel Arch. Michaël ut quidam putant dixit Moysi; *Ne appropies*, nisi prius solvas calceamentum de pedibus tuis probabile est Moysem cum accedere

cedere voluit ad inſpiciendum rubum acceſſiſſe celeriter, audacter, ſine timore & reverentia, ideo dixit angelus, qui ſecundum quoſdam Patres, Filius Dei, Iſraelitas ex Ægypto liberaturus,& in terram promiſſionis deducturus erat: *Ne appropies &c.* Juſſus eſt autem exuere calceos, ut ſic reverentiam exhiberet divinæ Majeſtati, quæ in rubo, in igne, in perſona angeli,ſuam præſentiam Moyſi exhibebat, juſſus eſt exuere calceos, & accedere nudis pedibus ſive cum magna reverentia cum abnegatione omnium inordinatorum affectuum, cum mortificatione paſſionum, quas corium ſive fœtidæ animalium pelles ſignificant. Pari ratione deinde juſſu Moyſis ſacerdotes Aaronici in tabernaculo nudis pedibus debuerunt offerre hoſtias; Exodi 30. verſ.20. hinc illud dictum Tarentini Philoſophi primi Pythagoræ; *Nudis pedibus Sacrifica*, id eſt, exutis beſtialis ſenſus affectibus, quod aliter expreſſit Cato in diſtichis:

Si Deus eſt animus nobis ut carmina dicunt
Hic itidem pura ſemper tibi mente colendus.

Berenice Regis Agrippæ ſoror cum veniſſet Jeroſolymam, ante tribunal Flori præſidis, ſtetit nudis pedibus in ſignum ſubmiſſionis: Seraphini & Cherubini aſtantes throno divinæ Majeſtatis pinguntur nudis pedibus. Ita etiam mancipia quondam apud Romanos incedebant, in ſignum reverentiæ quam debent ſuis Dominis.

§.13. Qua reverentia debeamus ingredi Ecclesiam.

Niſi fallor hodierno dedicationis feſto nos hoc templum ingreſſi ſumus, ut videamus viſionem hanc magnam, Deum & Chriſtum Salvatorem noſtrum non in rubo, ſed in altari; Venimus in hoc templum, ut adoremus Dominum, ut Deo offeramus ſacrificia laudis; Venimus ut invocemus nomen Domini. Sed deponamus prius calceamenta, exuamus inordinatos affectus, mortificemus noſtras paſſiones, ut accedamus cum magna reverentia. Ecce thronum & tribunal non Flori, non alicujus Principis, ſed Regis Regum; attendite ut cum Berenice, ut cum Seraphinis & Cherubinis aſtemus nudis pedibus. Hunc timorem, hanc humilitatem, hanc

nat rosas, tum maxime odoratas, cùm inenarrabili quadam suavitate, cum super hunc fruticem cœlestis arcus curvatur. Idem Plinius ait; Terra, cum à siccitate continua immaduit imbre, si in illam arcus cœlestis dejecerit capita sua, tum emittit quendam divinum halitum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla potest. Quidni vocem hodie S. Andream cœlestem Aspalathum, vel decorum flosculum; parvum ob humilitatem, spinosum ob tribulationes quas pertulit; sed, pendentem in cruce, plenum cœlestibus odoribus, & odoramentis, quæ fuerunt ardentissima ejus suspiria ad crucem & Christum Salvatorem. Unde tanta fragrantia? unde cœlestis odor nisi ab iride sacrosanctæ crucis; nisi à sole Christo Jesu, qui prior in cruce obiit. O preciosa crux.

§. 12. *S. Andreas in cruce invenit favos cœlestium deliciarum*

Addit Aristoteles; ad generationem aërii mellis, sive ad manna, multum conferre odoratas qualitates, quæ manserunt in floribus & herbis, quibus iris incubuit, & inde apiculæ colligunt mel suavissimum. Quidni apiculam vocem Andream, plenum melle? Dulce manna est cœlestis amor! suave mel est tenera devotio cordis. Dulces favi sunt cœlestes consolationes: his tam copiose de cœlo S. Andreas etiam pendens in cruce, quasi obrutus fuit, & inebriatus ab ubertate domus Domini, ut dulce, & summa suavitas illi fuerit, pendere in cruce, ut noluerit ab illa separari, vel liberari. Sed unde illa solatia in corde S. Andreæ? nisi ab iride sacrosanctæ crucis, quam totis visceribus cordis complectebatur, & ut interna gaudia foris ostenderet, melleis verbis exclamavit, salve, O preciosa crux! O bona crux. Iris cùm fulget, plerumque salutares generat pluvias; O animæ piæ, si corda vestra desiderent pluvias cœlestium consolationum, si favos quæritis suavissimarum deliciarum, hoc necesse est, ut vos tangant cornua crucis; hoc necessarium est, ut cœlestis hic arcus super vos curvetur; gustate, stringite cum S. Andrea crucem, mox in dulces prorumpetis voces, O preciosa crux.

§. 13. *Rhamnus Rex arbo.*

Cum Judicum cap. 9. v. 15. arbores elegissent rhamnum in regem, dixit ad illas. *Si vere me Regem constituistis, venite &*

sub

sub umbra mea requiescite. Et qualem umbram inveniemus sub spinosa arbore? qualem quietem inter spinas? Rhamnus ille fuit figura sacrosanctæ Crucis. Facta est arbor regia, cum Rex Regum illi fuit affixus: germinavit, floruit spinosa crux, cum rigata fuit sanguine filii Dei; sanctissimis membris divini corporis, vulneratis manibus & pedibus, fuit exornata, veluti rosis; rhamnus conversus fuit in therebynthum, latè expandentem suos ramos. Conversus fuit in pomum, de quo sponsa ait; Cant. 2. *Sicut malus inter* ligna sylvarum, sic dilectus meus; sub umbra illius sedi. Honorius. Scilicet, malus est crux: fructus ejus Christus: umbra, tutela. O animæ piæ, estote aviculæ, advolate, hic umbram & nidos quærite. Dulcis luscinia in palma crucis fuit S. Andreas, suaviter cantillans, salve O Crux preciosa! sponsum sedentem in palma habuit præ oculis, & sub umbra illius, quæsivit, imò invenit quietem & æternam felicitatem. Ob delicias crucis S. Chrysost. & alii SS. PP. illam vocarunt, *Argumentum totius gratulationis spiritualis*; *Lætitiam nostram & spem desperatorum*; *Clavem Paradisi, dulcem sarcinam*; *dulce lignum quod* amaras aquas reddit dulcissimas. Lignum plane preciosum.

rum ex c. 9. Iud. fuit signum crucis.

§ 14. *Elogia crucis ex S. Athanasio.*

Præter alia innumera bona & ingentia beneficia, quæ debemus sacros. Cruci; nam (S. Athanasius q. 158. ad Antioch.) *Crux de morte triumphavit: diabolum sustulit*; Cruce conculcata est mors ejusque metus: & in exilium relegata legis maledictio: infernus cessit in prædam; peccatum & ejus reatus est abolitum; natura hominum à servitute Satanæ liberata, diabolus, ut invicto credentium animo nocere nequeat, est ligatus; plantata est salus, resurrectio est patefacta; vita est orta. Quidni millies, in gratiarum actionem pro tantis beneficiis, cum Sancto Andrea exclamemus, *Salve O preciosa Crux! O bona Crux Salve*; gaudio gaudentes te amplectimur, & cum jubilo salutamus: quia bene gnari sumus nobis expedire, ut ad imitationem Sancti Andreæ simus amatores Crucis Christi.

§. 15. *Crux in medio Coronæ contexta ex lucidissimis stellis.*

Gloriam denique, qua victrix anima S. Andreæ in cœlis fruitur, & aliquando resumpto corpore æternum fruetur, reperit in cruce. Via crucis illum deduxit ad bravium immarcessibilis coronæ. Jucundissimum spectaculum videt Roma, in morte S. Eusebiæ Romanæ Virginis (teste Bollando 24. Jan.) Ipso in meridie, alto sole, sudoque aëre apparuit corona è micantibus stellis contexta, in cujus medio crux erat, miri candoris, ut cœlum nobis innueret, amatoribus crucis in cœlo parari tales coronas. Spinæ crucis aliquando convertentur in rosas & stellas. Ite pictores, si volupe vobis est ornare hodie crucem S. Andreæ aliquo symbolo; pingite supra verticem invicti athletæ coronam è lucidissimis stellis; imò major longe favor gloriosissimo apostolo fuit exhibitus; nam, ut ait S. Vincentius ser. de S. Andrea, ipse Christus D. cum multitudine angelorum descendit in terras, ad locum Martyrii, & animam S. Apostoli secum deduxit in cœlum. O millies preciosam crucem! in qua S. Andreas tam preciosam invenit coronam! Neque nos alibi inveniemus nisi in cruce.

§. 16. *A cruce gaudium, gloria, & regnum.*

De triumphante Imperatore apud Romanos dixit S. Augustinus; *Triumphat victor imperator, & quanto majus fuit periculum in prælio; tanto majus est gaudium in triumpho.* Idem nobis continget, & contigit S. Andreæ. Quanto major est afflictio nostra in hoc mundo, quanto gravius est pondus crucis (si momentaneum pondus dici potest) tanto gravius erit pondus gloriæ. Neque dubitemus de ejus certitudine, si cum S. Andrea crucem amplectimur. Estheris cap. 15. vers. 15. Assverus *tulit auream virgam, & posuit super collum ejus.* Josephus ait l. 11. cap. 6. *Sceptrum in manu ejus inseruit, & cervicem ejus virga permulcens aurea, à legis metu, omnino fecit liberam, & regiam dignitatem illi confirmavit.* Et miraris, amice mi, cur subinde Christus Dominus crucem humeris tuis imponat? sic offert sceptrum; sic mulcet te, sic tenerum monstrat amorem, sic te disponit ad regnum. O preciosum sceptrum! O preciosam Virgam! O preciosam crucem! O preciosam coronam.



CONCIO LXXXIX.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie salus huic domui facta est.

Luc. 19. cap. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de sanctitate & aliis elogiis Ecclesiarum.

§. 1. *Ecclesia est domus æterni Patris.*
§ 2. *Ecclesiæ sunt Aula Dei.*
§. 3. *Sunt Paradisus in terris.*
§. 4. *Alia elogia.*
§. 5. *Deus habitat in Ecclesiis Christianorum.*
§. 6. *Quid hæc verba significent.*
§. 7. *Affectus admirationis.*
§. 8. *Prosecutio.*
§. 9. *In Ecclesiis est terra sancta. Quare?*
§. 10. *Prosecutio.*
§. 11. *Comparatur Ecclesia cum monte Sinai.*
§. 12. *Cur Moyses ante rubum jussus fuerit exuere calceos.*
§. 13. *Qua reverentia debeamus ingredi Ecclesias.*
§. 14. *Violatores Ecclesiarum graviter puniuntur.*
§. 15. *Sanguis Christi contra illos clamat vindictam.*

CUm ipse Christus D. æterna Veritas templum Judæorum Hierosolymis exstructum vocaverit Domum Patris sui, (Lucæ 2. v. 49. Matt. 21. v. 13.) merito & nos templa Christianorum hac compellatione honorare possu- *§. 1. Ecclesia est Domus æterni Patris.*

possumus. cum ad illum finem 1. à Constantino M. deinde aliis Principibus, & Christianis exstructa sint ut verus Deus in illis peculiari cultu colatur & adoretur. Ad hunc eundem finem majores nostri ante 8. & amplius sæcula in hac urbe templum hoc S. Martini magnificè exstruxerunt, liberaliter dotarunt, ut sit Domus Dei. Hodiernus, est dies annuus, quo Ecclesia hæc, æterno Patri, Christianis ritibus, primum est consecrata.

§. 2. *Ecclesiæ sunt aula Dei.* Si teste S. Joanne Chrysostomo quævis Ecclesia est aula Dei sive Palatium Regis æterni; Et hæc Ecclesia S. Martini talis erit aula, tale palatium. Ecce in altari sacros. Sacramentum, divinam Hostiam, in qua veluti regio throno apud nos in terris moratur & habitat, Rex Regum & Dominus Dominantium Christus Jesus. Verè non est hoc ædificium aliud; quàm aula Dei, & palatium Regis æterni. Hodie in lætitia & exultatione celebramus diem annuum quo hæc aula magno Deo, & Regi fuit dedicata & consecrata.

§. 3. *Sunt Paradisus in terris.* Si teste S. Bernardo quævis Ecclesia Christiana, sit parvulus Paradisus in terris, ob cœlestia solatia, quibus animæ sanctæ in templis præcipuè, coram Venerabili Eucharistia, in ferventibus precibus & preciosis occupationibus, perfunduntur; Permittite quoque mihi, ut portæ hujus Ecclesiæ palmaribus & aureis literis hoc elogium inscribam: Parvulus paradisus in terris. Ecce in altari arborem vitæ, ex cujus radicibus fons salit aquarum viventium & vitæ æternæ. Hodie memoriam agimus illius diei, quo hic paradisus sive hæc Ecclesia primum est fundata. Cum gaudio & lætitia paradisum hunc ingredimini auditores.

§. 4. *Alia elogia Ecclesiarum.* Majores nostri vocarunt Ecclesiam: *Asylum afflictorum* cap. 25. *Sanctuarium, tabernaculum*, cap. 12. vers. 11. Deuteron. *locum quem elegit Dominus*. cap. 56. *Domum orationis*. Omnia hæc elogia debentur huic Ecclesiæ S. Martini, cujus annuam dedicationem hodie celebramus; est sanctuarium, est tabernaculum, sub quo habitat Deus, est locus quem elegit Dominus, est

nus, est locus orationis. Quanta hæc sit gratia, quam eximium beneficium, quod Deus sive Christus Dominus tam admirabili modo in sacramento altaris nobiscum in terris habitare velit, prima parte hujus concionis ostendam. Discursus hujus puncti mihi suggeret corollarium, quo deducam, graviter illos puniri, qui Ecclesias violant & polluunt. De benevola vestra attentione hodierno festo non dubito.

Cum Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 10. exstructum & absolutum templum ingenti pompa, præsente universa multitudine Israel dedicaret Domino; cum sacerdotes intulissent arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim; *Factum est, ut nebula impleret Domum Domini, adeo ut sacerdotes non possent ministrare propter nebulam, impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tum ait Salomon, Dominus dixit ut habitaret in nebula; & ruens* in genua exclamavit; *Ergone putandum est, quod verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quàm ædificavi* Unde tanta admiratio in sapientissimo Rege? nunquid structura templi est admirabilis! an non fundamenta posita sunt ex marmore & omni lapide precioso, nunquid omnia, intus & foris inducta sunt auro, argento, gemmis & lignis cedrinis. Et quid ad architecturæ inventionem, quid ad ornatum & elegantiam desiderari potest? nunquid regios thesauros, & innumeros auri milliones effudit liberalissima Salomonis manus; quid ergo miraris Rex sapientissime, elegisse Dominum hanc domum ut ibi habitet? hoc promisit Exodi. 25. cap. vers. 8. *Faciant mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

§ 5. *Deus habitat in Christianorum Ecclesiis.*

Sed advertere oportet, quid sacer textus intelligat per hanc phrasin, quod Deus habitaverit in templo vel sanct. Judæor. Illa nebula quæ implevit domũ Salomonis, tandẽ condensata sedit super arcam D. sive thronũ propitiatorii inter duos Cherubim

§ 6. *Quid hæc verba significent.*

ex auro purissimo; & cum deinde sacerdos in magnis necessitatibus intraret sanctum sanctorum ad consulendum damnum, aliquis angelus ex hac nebula loco Dei sacerdoti & populo dabat responsa; unde modus hic loquendi profluxit, Deus ex templo Salomonis, in arca, in nebula, habitavit cum populo suo. Præsertim quod oculi Domini fuerint aperti super domum hanc nocte ac die; super domum de qua dixit, *Erit nomen meum ibi, & sanctificavi domum hanc,-& erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Cit. c.8. & 9. l. 3. reg. variæ numerantur gratiæ, quas Dominus Deus promisit populis, si orarent in templo, si offerrent sacrificia &c. ob quæ beneficia dictum fuit, Deum habitare in templo Jud. Et hanc habitationem Rex Salomon ita fuit miratus, ut exclamarit, *Ergone putandum est &c.*

§. 7. *Affectus admirationis.* Si mihi modo umbram Salomonis, vel ex cœlo vel inferno excitare liceret; si in hoc templo ducerem ad altare, & dicerem; Ecce Rex sapientissime, non in nebula, sed sub his accidentibus sacrosanctæ hostiæ Magnus Deus noster, altissimus Dei filius personaliter, realiter nobiscum habitat in terris; quid putatis audit. Nunquid plenus stupore diceret, ergone hoc putandum est. Si dicerem, quod nos Christiani & Catholici credimus, Qui in gloria sedit ad dexteram Patris; qui ante, ut nos redimeret pependit in cruce; idem ille hic in altari nobis præsens est, & erit usque in consummationem sæculi; nunquid exclamaret, Ergone putandum est? &c. Nos ut dixi non putamus, sed credimus, certi sumus, parati sumus morte & sanguine subscribere præsentiæ Christi in Eucharistia.

§. 8. *Prosecutio.* Si umbram Salomonis deducerem ad sedem aliquam confessionalem, & dicerem: Ecce Salomon, tua balnea, tui fontes, tuæ piscinæ, tuæ lotiones, tuæ aspersiones, quæ in templo tuo in usu fuerunt figura fuerunt fontis sanctiss. sacram. pœnitentiæ, quod in hac sede administratur. Hic, lavantur animæ in sanguine agni immaculati, hic super nivem dealbantur. Nunquid plena admiratione in hæc eadem verba prorumperet: Ergone putandum est &c. Nos non putamus, sed credimus; quem articulum si bene perciperemus, si viva fide perpende-

penderemus huncinfinitum Christi Domini amorem, quod die & nocte, in hoc v.g. templo sub speciebus sacram. adesse nobis velit, ut oculi ejus super nos in loco hoc sint aperti; ut cor ejus nobiscum sit ut preces vestras exaudiat, ut nobis concilietur &c. sine dubio quis diceret cum Davide Ps. 5. v. 8. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* ex ps. 65. v. 13. *Introibo in Domum tuam in holocaustis.* ex psal. 131. v. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco* (non ubi steterunt pedes ejus) sed ubi est sanctissimum corpus ejus, ubi est anima ejus, ubi est preciosissimus ejus sanguis, ubi est totus Christus, ubi tam admirabili modo præsens est sacrosancta Trinitas, Pater, Filius & spiritus S.

§. 9. In Ecclesia est terra sancta. Quare?

Exodi. 3. v. 3. Moyses pascebat oves in monte Dei Horeb, & apparuit illi Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quod rubus arderet & non combureretur; dixitq; Moyses, *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. cum* iret audivit vocem de medio rubi; v. 5. *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* Inter innumera mysteria, quæ latent sub hoc rubo, hoc modo inquiro, quare locus, in quo rubus stetit, dictus fuerit ab angelo, qui ex rubo loquebatur, terra sancta. Sensus allegoricus dabit mihi causas. In illo 1. subtiliter dicunt aliqui interpretes. *Ignis in rubo, est Deus in carne*; sive *verbum caro factum.* Vilis, asper, spinosus rubus significat Christi Humanitatem; Ignis divinitatem. Ob tam excellentem figuram tanti mysterii incarnationis, locus ille, vel terra in qua stetit rubus, merito sancta dici potuit. 2. S. Greg. Nyss. ait. Ignis in rubo, est Deus conceptus & natus ex Virgine. nam, *ut frutex accendit ignem, & non crematur*; *itidem etiam Virgo parit & non corrumpitur.* Et cur locus in quo stetit rubus, figura tam sanctæ Virginis, non dicatur sanctus.

§. 10. Prosecutio.

3. Alia mirabilia deinde contigerunt in hoc monte, ad ejus radices jacuit petra, quam cum Moyses sua virga percussit, aquam dedit populo in abundantia. Ecce figuram petræ, quæ deinde Christus fuit, ex quo in monte fluxerunt fontes sanguinis.

guinis. Quid sub sole, vel in cœlis & in terris est sanctius sanguine filii Dei. Vel ob figuram ejusdem, mons, in quo fuit illa petra, sanctus dici debuit. In illo monte, Moyses orans expansis brachiis, obtinuit, ut Josue vinceret Amelec; in quo fuit locus ille figura Montis Calvariæ in quo Christus D. expansis & affixis ad crucem brachiis orans, obtinuit victoriam contra diabolum. In hoc monte Moysi deinde data fuit lex; in illo monte 3. Reg. 19. v. 12. Elias vidit Deum in sibilo auræ tenuis. Quid miramur quod angelus de rubo locum illum vocaverit terram sanctam.

§. 11. *Comparatur Ecclesia cum monte Sinai.* Ex monte Sinai redite mecum Auditores ad templum hoc S. Martini, ut intelligatis vos stare in loco sancto. Ecce in altari, non rubum aliquem, sed parvam Hostiam; non dicamus hic in fig. Ignis in rubo, est Deus in carne, vel, *verbum caro factum est*; Fides nostra dicit, in hac hostia realiter, personaliter est illud verbum, quod carnem assumpsit; in hac hostia realiter, personaliter modo sacramentali, est idem Deus, qui regnat in cœlis, æternus, immensus, omnipotens &c. Idem Christus qui sedet ad dexterum Patris. Idem qui conceptus & natus, ex Maria Virg. passus & mortuus pro nobis est. idem qui gloriose resurrexit à mortuis, idem qui judicaturus est vivos & mortuos. Hunc locum, hoc altare, hoc templum, nunquid appellare debemus sanctum. Profecto non est alia natio sub sole, quæ Deos suos ita habeat sibi appropinquantes, sicut nos habemus. Ecce petram, quæ non in figura dat aquas, sed re ipsa, preciosissimum Christi sanguinem, quo abluimur in remissionem peccatorum, imò quem bibimus. Ecce altare non holocausti, non thymiamatum, non victimarum, sed agni immaculati, qui tollit peccata mundi, qui nos sanctificat. Verè locus hic sanctus est, in quo sanctus sanctorum tam admirabili modo nobis præsens est.

§. 12. *Cur Moyses ante rubum jussus* Cogitet quivis sibi dici, quod Angelus, vel Arch. Michaël ut quidam putant dixit Moysi; *Ne appropies*, nisi prius solvas calceamentum de pedibus tuis probabile est Moysem cum accedere

cedere

cedere voluit ad inſpiciendum rubum acceſſiſſe celeriter, audacter, ſine timore & reverentia, ideo dixit angelus, qui ſecundum quoſdam Patres, Filius Dei, Iſraelitas ex Ægypto liberaturus, & in terram promiſſionis deducturus erat: *Ne appropies &c.* Juſſus eſt autem exuere calceos, ut ſic reverentiam exhiberet divinæ Majeſtati, quæ in rubo, in igne, in perſona angeli, ſuam præſentiam Moyſi exhibebat, juſſus eſt exuere calceos, & accedere nudis pedibus ſive cum magna reverentia cum abnegatione omnium inordinatorum affectuum, cum mortificatione paſſionum, quas corium ſive fœtidæ animalium pelles ſignificant. Pari ratione deinde juſſu Moyſis ſacerdotes Aaronici in tabernaculo nudis pedibus debuerunt offerre hoſtias; Exodi 30. verſ. 20. hinc illud dictum Tarentini Philoſophi primi Pythagoræ; *Nudis pedibus Sacrifica*, id eſt, exutis beſtialis ſenſus affectibus, quod aliter expreſſit Cato in diſtichis:

Si Deus eſt animus nobis ut carmina dicunt
Hic itidem pura ſemper tibi mente colendus.

Berenice Regis Agrippæ ſoror cum veniſſet Jeroſolymam, ante tribunal Flori præſidis, ſtetit nudis pedibus in ſignum ſubmiſſionis: Seraphini & Cherubini aſtantes throno divinæ Majeſtatis pinguntur nudis pedibus. Ita etiam mancipia quondam apud Romanos incedebant, in ſignum reverentiæ quam debent ſuis Dominis.

Niſi fallor hodierno dedicationis feſto nos hoc templum ingreſſi ſumus, ut videamus viſionem hanc magnam, Deum & Chriſtum Salvatorem noſtrum non in rubo, ſed in altari; Venimus in hoc templum, ut adoremus Dominum, ut Deo offeramus ſacrificia laudis; Venimus ut invocemus nomen Domini. Sed deponamus prius calceamenta, exuamus inordinatos affectus, mortificemus noſtras paſſiones, ut accedamus cum magna reverentia. Ecce thronum & tribunal non Flori, non alicujus Principis, ſed Regis Regum; attendite ut cum Berenice, ut cum Seraphinis & Cherubinis aſtemus nudis pedibus. Hunc timorem, hanc humilitatem, hanc

§. 13. Qua reverentia debeamus ingredi Eccleſiam.

reverentiam debemus Deo nostro, & Christo Regi tam mirabili dignatione & modo nobis præsenti in sacrosancta Eucharistia.

§.14. *Violatores Ecclesiarum graviter puniuntur.*

Qui secus faciunt, qui templa magnis peccatis & irreverentiis violant, graviter à Deo puniuntur, quod est corollarium quod ex primo puncto concionis meæ deduco. Mirabile est quod in vita Christi Domini adverto. Accerrimè detonuit verbis in varia scelera Pharisæorum præcipuè publica & scandalosa, nunquam tamen legimus quod aliquem blasphemum, adulterum aliumve peccatorem sua manu percusserit. Vendentes verò & ementes in templo arrepto flagello suis manibus ejecit, cum accerrima exprobratione, domum Patris mei fecistis speluncam latronum. Hoc scelus sua manu punire voluit. Plenæ sunt historiæ horrendis pœnis in violatores templorum, clarissimo Baronio teste in annalibus ad annum Christi 840. cum quidam effringeret portas Ecclesiæ, pedes portæ impacti, in eadem immoti remanserunt, nec avelli potuerunt, nisi oratione S. Remigii exaudita esset à Deo rursum liberatus. In Hungar. milites voluerunt diruere altare S. Basilii, Sed unius manum impactam lapidi Deus mirabiliter quasi clavis affixit, neque ulla ratione abstrahere potuit. Anno 844. latrones quidam spoliantes Ecclesiam S. Germani Ep. Antisiod. ab eodem baculo ita excepti sunt, ut clamarint *S. Germanus nos baculo percussit.* Cambysen Regem Persarum reducem cum spoliis templorum, ipsum & ejus exercitum sepeliverunt arenosi montes, immani vento ad hunc finem condensati. De Pompeio M. ait S. Vincentius Ferrariens. Pompeius & Cæsar de imperio contendebant, ac Pompeius semper fuit victor: Jerosolymæ atrium templi convertit in stabulum, & deinceps semper fuit victus quia non dedit honorem templo Dei. Milites Theodorici Regis Gothorum à Dæmonibus fuerunt obsessi, cum spoliarunt templum S. Juliani. Pyrrhus in Sicilia spoliavit templum Proserpinæ, sed nihil unquam postea prospere illi evenit. Sic etiam Ethnicorum Templa contra violatores vindicavit Deus, eosq; acriter punivit qui nefarias illis manus inferebant,

rebant,